9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AD
NOVA ACTA
ERUDITORUM,
QUÆ
LIPSIÆ PUBLICANTUR,
SUPPLEMENTA.
TOMUS VIII.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegiis.

LIPSIAE,

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII & B. LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM: & Amſtelodami in WAESBERGIORUM officina.

MDCCLVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

HUMANISSIMO LECTORI SALUTEM.

In hoc foecundiſſimo rei litterariae proventu, & exſurgente quotannis nova librorum alios aliorum fugantium caterva, quam ſi aliqua doctae pars Europae numeroſam effundit, Germania certe noſtra, & haec urbs inprimis, producit numeroſiſſimam, recte quidem a primis inde Actorum *noſtrorum initiis conſtitutum fuit, ut, cum menſtruae illae enarrationes capere tantam copiam non poſſent, accederent iis quidam quaſi codicilli, quos, quoniam, velut foetura gregem, ſic illi corpus ipſum Actorum ſupplerent,* Supplementa *dici placuit. Is adhuc mos, non levi, ut putamus, Lectorum adſenſu & commodo, diligenter ſervatus eſt. Servabitur autem & deinceps conſtantiſſime: cuius conſilii cer-*

Digitized by Google

certum pignus Octavum iſtud Volumen cupimus Te, Lector, *tenere. Neque alia inibitur a nobis per futura Volumina ratio, quam illa vetus & vera, quam ſignificavimus in perficienda Actorum aliqua integritate & plenitudine eſſe poſitam. Quam ergo ſit ab ea alienum exiſtimare, haec Supplementa non referre niſi de iis libris, qui commemoratione in* Acta *inſerenda digni non videantur, nullo negotio intelligitur. Enimvero complures tardius accipimus, quam ut iuſto tempore iniici eorum mentio poſſit. Deinde nobis continuo luctandum eſt cum quadam huius aetatis ſuperba ignavia, quae mavult honeſtis laboribus futilium ſpeciem inventorum, quae ſua appellat, opponere, quam promovendis opem ferre. Elegans hominum genus, qui ſibi id datum putant, ut omnes rideant, ignari quam ipſi rideantur ab omnibus. Sed credant illi, per nos licet, ſe totos, quod eſt apud Catullum, naſum eſſe. Nos vero* Te, Lector, *aequo & benevolo uti ita optamus, ut in opera noſtra* Tibi *grata utilique praeſtanda ceſſare per hominum temporumque iniuriam nolimus. Vale.*

Ad

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VIII Sectio I.

JO. GUIL. MARKARTI INTERPRETAtionum Receptarum Juris Civilis Lectionum Libri duo, in quibus variæ leges ab emendationibus liberantur, explicantur, illuſtrantur.

Trajecti ad Rhenum, apud J. H. Vonk. a Lynden 1747, 8. Alph. 1. plag. 1.

Ea eſt profecto Juris Civilis præſtantia, ut aliorum populorum Legibus, & prudentia, & æquitate, & ſapientia, longe multumque antecellat: quippe plus mille ducentorum annorum ſpatio collectum, ab æquiſſimis ſapientiſſimiſque auctoribus conſtitutum, a doctiſſimis & acutiſſimis Jure Conſultis enarratum, & excultum, ab omnibus denique fere populis humaniſſimis receptum: quod, non impetus, ſed conſilium, non ſtudium temerarium, ſed judicium, comprobavit: non antiquitas, ſed ſapientia, non auctoritas, ſed ingens commendavit utilitas. Eſt illud tamquam Palladium, coelo ac divinitus demiſſum, & pignus certiſſimum, æquitatem & juſtitiam tam diu eſſe inter homines verſaturam, donec illi ſuus honos & auctoritas conſtiterit ſua. Itaque nihil ad laudem elegantius, & ad utilitatem præſtabilius, fieri poteſt,

Digitized by Google

quam ſi id, ab elegantibus & acutis viris, illuſtretur interpretationibus, & adverſus doctorum hominum emendationes ac ſuſpiciones juſtis defendatur vindiciis. In quo genere, inprimis noſtris temporibus, multum ceteris præſtant JCti Batavi, quippe præ aliis maxime litteris humanioribus, & antiquitatis ſcientia, ad Jus Romanum explicandum inprimis neceſſario inſtrumento, ornati & parati. Qui quidem id propemodum effecerunt, ut terra Batavorum, ingenioſum Juris Conſultorum ſolum, aut velut patria dicenda videatur. Hanc gloriam & laudem Batavorum, doctiſſ. Markartus, quanquam non Batavus, ſed Germanus natione, tueri non ſolum ac ſuſtinere, ſed etiam augere ſuſcepit, hoc libello vulgando; jam, editis ante hos ipſos decem annos probabilium Juris Civilis lectionum partibus duabus, egregio hujus generis ſpecimine, clarus. Quamvis vero jam ex iſto præjudicium fieri poſſit, quale huic pretium libello ſtatuendum ſit; tamen & noſtræ conſuetudini, & lectorum noſtrorum opportunitati dabimus hoc, ut ejus brevem quaſi recenſum agamus, quo unuſquiſque ſtatuere per ſe ac iudicare poſſit. Ac primo quidem in univerſum dicendum eſt hoc, per totum hoc opuſculum, ſingularem quandam, & numquam ſatis laudandam modeſtiam, egregiam explicationum facilitatem, perſpicuitatem, antiquitatis & litterarum ſcientiam, judicii acumen denique, regnare. Neque vero in commemorandis doctorum virorum auctoritatibus, & ſententiæ prætexendis ſuæ, aut, ambitum quendam, lectionis copiam oſtentandi, committit, aut, bonos maloſve promiſcue omnes nominando, famam & auram popularem captat: quod in ignorantiæ loco ponent, interpretabunturque ii, qui, multitudine & copia auctorum laudatorum, eruditionem & ſcientiam vel unice metiuntur.

Duplicis autem generis ſunt hæ interpretationes. Namque aut receptarum lectionum latinitas confirmatur & explicatur iis in locis, ubi, verborum propter ſuſpicionem, emendationibus proferendis docti homines ingenium jactaverant ſuum: aut fragmenta JCtorum, Imperatorumve conſtitutiones, a correctionibus opinionibuſque interpretum liberantur,

qui

qui aliquid, Juris decretis & ſententiis repugnans, in iis ſibi videbantur reperiiſſe. Denique etiam interdum recepta aliqua & vulgaris Doctorum opinio, e male intellecto loco, ſuſcepta, minuitur atque infringitur. Quædam etiam Juris Naturæ & Gentium loca, & capita, illuſtrantur.

Jam, ut dictis noſtris fides conſtet, & cuique ſit ſtatuendi exiſtimandique libera poteſtas; ſpeciminibus nonnullis e libello iſto decerptis, efficiendum videtur. Primo loco adferemus id, quod in primo ſtatim capite a Viro doctiſſimo propoſitum L. I. c. I.
eſt. In L. 1. §. 3. D. de ſerv. corr. verba inprimis hæc: *Perſuadere autem eſt plus, quam compelli atque cogi ſibi parere. Sed perſuadere τῶν μέσων ἐςὶν.* hæc, inquam, præcipue verba magnopere animos interpretum torſerunt, ea non recte ſe habere exiſtimantium; quamvis, neque in Florentino, neque in Haloandrino exemplo, aliter reperiantur. Ac primo Hotomanus reſtituendum eſſe arbitratus eſt: *Perſuadere eſt plus quam ſuadere. Perſuaderi enim eſt compelli atque cogi ſibi parere.* Sed hæc profecto vis eſt: qua ſi quis uti velit in legibus, cogentur ſane JCti reſpondere ac ſcribere, & Imperatores edicere, quæ cuicumque interpreti, ſeu prædoni potius, viſa fuerint. Tamen Cel. Noodtius, mutatis tantum paucis, eam emendationem amplexus eſt. In obſervationibus autem Miſc. T. I. Vol. II. p. 140. Anonymus quidam eruditus legendum cenſuit: *perſuadere autem plus eſt, quum compellit atque cogit ſibi parere*: inductus in eam ſententiam, & confirmatus, a Græcis Intt. in Lib. LX. Baſil. p. 85. qui converterunt ita: συμβουλεύει ὁ συναθῶν καὶ ἀναγκάζων ἑαυτῷ πεισθῆναι: in quo etiam conſentit Scholiaſt. F. p. 187. Sane ſi quis hanc emendationem Viri docti probet, is quidem rationes ſatis idoneas auctoritati prætendere poteſt ſuæ. Etenim probabile eſt, Græcos Interpretes Pandectarum, paullo poſt Juſtinianum ad minimum florentes, (jam tum enim Pandectas & Paraphraſibus, & κατὰ πόδα, & εἰς πλάτος Interpretationibus, redditos fuiſſe, Baſilicorum autem compilatores iis uſos, ſatis conſtat,) eos igitur Gr. Intt. probabile eſt lectionem iſtam, quam interpretati ſunt, in ſuo Cod. inveniſſe, quo integriore ſine

 dubio

dubio tum uti potuerunt. Neque vero dici poteſt, eos Intt. Latinum textum non intellexiſſe: propterea, quod hic neque reconditus aliquis rerum tractatus, neque verborum ſignificatus reperiretur retruſus, atque ex interiore Latinitate arceſſendus. Vis autem atque poteſtas his verbis: *perſuadere plus eſt, quum compellit atque cogit ſibi parere:* hæc ſubjecta eſt: *Perſuadere,* quod Edicto comprehenſum eſt, plus eſt, quam *recepiſſe,* (quod jam interpretatus eſt JCtus,) quoniam hic perſuadendo, , rationibus argumentiſque admovendis, propemodum cogit, atque compellit ſibi parere. Scimus enim, perſuaſioni atque argumentis hanc vim interdum ineſſe, ut hominibus adſenſum extorqueant, eoſque cogant. Sed, quoniam vulgata, & ſenſus elegantia commendatur, & Florentini ipſius Pand. auctoritate roboratur, præſtat eam retinere.

Nempe, uti Doctiſſimo Auctori placet recte, Ulpianus hoc loco explicat Prætoris Edictum, de *ſervo corrupto*, h. e. de corruptione animi: in eoque interpretando, ſuam ſententiam rationemque e moralis doctrinæ præceptis repetit: e quibus, qui ſervo perſuadet, magis ſervum corrumpit eo, qui cogit atque compellit. Cum enim cogentis, & vim adhibentis, non ea ſit poteſtas, ut, quem ad male agendum adigat, eius animum quoque deteriorem reddat; qui autem dolo malo, propoſitis commodis tentet, exhortationibus premat, argumentis urgeat, ac ſic tandem ſervo perſuadeat, ut malum facinus ſuſcipiat, animum deteriorem faciat: conſequitur profecto, ut, in hac quidem ſpecie, *perſuadere plus* ſit, *quam cogere atque compellere ſibi parere.* Si quis igitur vi adigat ſervum, non ideo ille fit quoque pejor. Semel tantum malus eſt. Qui perſuadet dolo malo, is, animo ejus corrupto, perpetuam quandam ac durabilem pravitatem inducit. His rationibus, hac doctrinæ moralis auctoritate, Vir doctiſſimus vulgatam Lectionem tuetur, ſententiam explicat. Sed quoniam reſtat in hoc loco Ulpiani difficultas Grammatica, ne quis in ea hærere, aut offendere poſſit, eam quoque V. C. tollendam putavit. Nempe legitur: *perſuadere plus eſt, quam compelli atque cogi ſibi parere.* Itaque ut concinnitas dictionis ſervaretur,

Ulpia-

Digitized by Google

Ulpianus videri poſſit, aut: *perſuaderi*, aut: *compellere atque cogere*, ſcribere debuiſſe. Sed V. C. Ulpianum tamen putat ita poſuiſſe verba, uti nunc jacent. Cum enim interpretaturus eſſet, qui ejus mos eſt, edicti verba, invento vocabulo: *perſuaſiſſe*, eum explicare, mutato tantum tempore, quid ſit *perſuadere*. Deinde, quod vocabulum activum interpretatur per verba paſſiva: ejus generis exempla Vir doctiſſimus nonnulla hic notavit. Etenim in *L. 12. §. 1. D. Rat. rem hab.* ait Ulpianus: *Rem* haberi *ratam, hoc eſt,* Comprobare agnoſcereque *quod actum eſt*, &c. In *L. 6. §. 7. D. de Edend.* Edi *autem eſt, vel* dictare, *vel* tradere *libellum, vel codicem* proferre: Nempe ipſe Prætor ſcripſerat: *edi* & *rem ratam haberi.* Denique aliud eiuſdem enallages exemplum e *L. 5. §. 3. D. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* adfert.

Jam alterum ſpecimen adferemus, e Lib. primo c. V. L. I. c. V. *Lex 34. §. 2. D. de aur. arg. mund. leg.* ita habet: *Quod ſi ita legaſſet uxori:* aurum, quod ejus cauſa paratum erit; *tunc rectiſſime ſcribit Quintus Mucius, ut haec ſcriptura habeat in ſe &* demonſtrationem *legati &* argumentum: *ideoque ipſo jure alienata libra auri amplius quatuor pondo non remanebunt in obligatione, nec erit utendum diſtinctione, qua ex cauſa alienaverit teſtator.* Quo in loco, cum legatum, in futuri temporis diem conceptum, tamen dicatur *in ſe habere demonſtrationem*; id, quod in *L. 6. D. de Legat. I. L. 85. D. de legat. III. & L. 34. §. 1. D. de Cond. & demonſtr.* negatur diſertis verbis: videtur pugna eſſe inter hanc & illas Leges. Quapropter Cujacius Obſ. II, 39. inventa in quibuſdam Codicibus, loco *argumenti*, lectione: *augmentum*, cum inprimis intelligi, hoc in loco quid eſſet *argumentum*, non poſſe crederet, emendandum cenſuit: *rectiſſime ſcribit Q. Mucius, ut haec ſcriptura habeat in ſe &* deminutionem *legati &* augmentum: ſimilemque e *L. 20. §. 3. D. de hered. pet.* dictionem adfert. Quæ emendatio, quamquam & ad ſenſum Mucii, ac legis, qua de agitur, explicandum, ſatis elegans, & ad Latinitatem ſatis commoda eſt: tamen, cum nulla lectio vetuſta, quæ idoneum ſenſum habere poſſit, poſſeſſione ſua moveri per vim debeat,

rectiſſime Doctiſſimus Markartus, & hanc Cujacianam, & alteram Bertrandi, convellere emendationem, & vulgatam eamque Florentinam lectionem defendere, ſuæque eruditionis luce colluſtrare, ſuſcepit. Sed quibus rationibus utatur, videbimus.

In hujus ejusdem L. 34. §. 1. Q. Mucius de ſpecie conſultus hac, cum juſſiſſet maritus heredem uxori dare *aurum, quodcumque uxoris cauſa paratum eſſet*, reſpondiſſe refertur ita, ut, ſi maritus quinque libras auri uxoris cauſa paratas haberet tempore eo, quo teſtamenti tabulas ſcriberet, heredem diceret quinque libras dare oportere, etiamſi tunc, cum moreretur teſtator, non amplius quam quatuor libræ auri repertæ eſſent: hujusque ſuæ ſententiæ hanc addidit rationem, quoniam verbum, *eſt*, præſentis temporis demonſtrationem adferret. Quod reſponſum Pomponius ita probat, ſi tantum ratio ducatur ejus, quod heres *ipſo jure* obligatus ſit dare, & verum eſſe, dicit, ſi teſtator neceſſitate adactus, non diminuendi legati voluntate inductus, libram auri alienaſſet, nec poſſe mulierem, quinque libras auri petentem, ab herede doli exceptione repelli. Deinde ſecus fore Pomponius cenſet, ſi teſtator, diminuendi legati cauſa, unam libram alienaviſſet: hac enim in cauſa, heredem ipſo jure teneri illum quidem, ſed exceptione doli tamen mulierem poſſe ſubmovere. Jam porro huic contraria ſpecies proponitur in §. 2. ubi teſtator, non præſentis temporis, ſed futuri, vocabulo adhibito, ſcripſerat: *aurum, quod uxoris cauſa paratum erit*, heres ſc. dato. In hoc ſcripto, Q. Mucius, & *demonſtrationem & argumentum legati* ineſſe, ſtatuit. Quam ſententiam, illa exceptione, quam ſupra adjecerat, non adhibita, ita amplectitur, ut, libra auri alienata, heredem ipſo jure non, niſi quatuor librarum præſtandarum obligationi adſtrictum, arbitretur. Jam, quoniam ſupra commemoratis Digeſtorum locis, repugnare hæc Lex ita ſcripta videtur, age, quemadmodum pugna illa dirimi debeat, auctore Viro doctiſſimo, cognoſcamus. In *L. 34. §. 1. D. de cond. & demonſtr.* traditur, demonſtrationem *plerumque* rem factam ſignificare, atque adeo, non ſem-

Digitized by Google

ſemper. Quod cum ita ſit, hoc loco ſimpliciter id tantum edici putat Vir doctiſſimus, illa ſcriptura: *quod uxoris cauſa paratum erit*, demonſtrari futurum tempus quaſi conditionaliter, & declarari, quantum auri legetur, ut, ſi tempore mortis plus minusve deprehenſum eſſet, quam tempore eo, quo teſtamentum fieret, id ſit præſtandum. Deinde, quod contineri dicitur *argumentum*; id indicium exponit, vel γνώρισμα, cujus generis aurum legatum ſit, ſc. illud tantum, quod uxoris cauſa paratum erit, uxoriſque uſibus deſtinatum: *argumenti*que ſignificationem ſimilem e *L. 3. pr. D. de exhib.* huc repetit. Denique ipſum Q. Mucium vocat ad partes, qui in *L. 10. D. de aur. arg. mund. leg.* id videtur, dicit, legaſſe paterfamilias, quod magis *uxoris*, quam *communis* uſus cauſa, paratum eſſet. Et ſic, quoniam verba legati iſtius figuram demonſtrationis habeant, ita quoque adpellari, ſicuti interdum, quod re ipſa non ſit conditio, ſed ſi verba ſpectentur, ſpeciem tantum ejus adferat, nomine conditionis inſigniatur. Atque ita, non repugnari Legibus ſupra laudatis, oſtendit Vir doctiſſimus.

In eo loco Juris Civilis, quo de rebus derelictis quæritur, Leyſerus, Medit. ad Pand. Spec. 456. m. 6. & 7. diſtinguendum putat inter res mobiles & immobiles, ita, ut res mobiles quidem ſtatim, ſed res immobiles elapſo demum biennio, cedere occupanti tradat; propterea, quod verus dominus intra biennium revocare poſſit, redditis tamen expenſis, de quibus ſatis liquido conſtitiſſet. Quam in ſententiam utitur auctoritate legis *8. C. de omni agr. deſert.* Sed hunc locum, Vir Clariſſimus, non ſatis juſtam, ad id, quod Leyſerus intendebat, efficiendum, vim habere oſtendit. Primo enim hæc L. 8. laud. non de agro derelicto, ſed *deſerto* agit; magnum autem inter utrumque diſcrimen intercedit. *Deſerta* enim ſunt inculta, quæ non feruntur, neque exercentur: quæ, dici non poſſunt, ideo, quod non colantur, dominum non habere. Deinde, cum titulus Cod. *de omni agr. deſert.* potiſſimum de fundis patrimonialibus principis agat, valde dubium videtur, de quibuslibet privatorum agris laud. *L. 8.* capien-

Lib. II. c. XVII.

pienda ſit, an de patrimonialibus principis tantum. Quod ſi enim hoc poſterius ponitur, non poteſt ejus ſententia ad agros quoscunque prorogari. Sin autem illud, tum vero quod biennii mentio fit, id non eam vim habet, ut agri pro derelictis habiti, intra biennium a domino vindicari poſſe videantur: ſed ut pro derelictis non habeantur, niſi poſt biennium, quoniam dominus, eo tempore, ſua culpa, præterito, in perpetuum a repetitione excluditur. Itaque, ſi conſtitiſſet aliis e ſignis & argumentis, dominum pro derelicto habuiſſe, non neceſſe erat expectare biennii exitum, quemadmodum manifeſte definitur in *L. 14. C. eod.* Denique Ulpianus in *L. 1. D. pro derelict.* non diſcernit in hoc argumento res mobiles & immobiles: *Si res*, inquit, *pro derelicta habita ſit, ſtatim noſtra eſſe deſinit, & occupantis ſtatim ſit.*

Lib. II. c. X. n. 2. In *L. 1. D. de decret. ab ord. fac.* JCtus hæc ſcribit: *Medicorum intra numerum definitum conſtituendorum arbitrium, non Praeſidi provinciae commiſſum eſt, ſed ordini &* poſſeſſoribus *cujusque civitatis: ut certi de probitate morum & peritia artis eligant ipſi, quibus ſe liberosque ſuos in aegritudine corporum committant.* In quibus Bynkershoek. Obſ. I, 15. non ferens, neque intelligere ſe faſſus, neque a quoquam dictum ratus, *poſſeſſores civitatium,* legi juſſit *profeſſoribus.* Neque enim ullos alios tum poſſeſſores civitatum fuiſſe, niſi principes ipſos, neque cuiquam melius medicos potuiſſe, ſe dignos & idoneos, niſi ipſis profeſſoribus, probare. Hæ ratiunculæ nobis ſemper ſatis jejunæ viſæ fuere, ad poſſeſſores, lectionem, & ſua elegantia, & perſpicuitate commendabilem, turbandos, & poſſeſſione ejiciendos ſua. Vir Clariſſ. autem eos poſſeſſores, juſtis vindiciis, in ſuum fundum reſtituit. Ac primo oſtendit, *poſſeſſores civitatis* non eſſe, qui poſſideant civitatem, ſed qui habeant poſſeſſiones in civitate: atque ita in *L. 6. §. 5. D. de mun. & hon.* ſimpliciter occurrere *poſſeſſores*, pluribusque aliis in locis: ſimiliterque in *L. 3. C. Th. de Indiction. Lib. XI. tit. 6. Aegyptiaci tractus poſſeſſoribus*, & in L. 2. C. Th. *Ne operae a conlat. exig.* Lib. XI. tit. 10. *ut a poſſeſſoribus civitatis ejus territorio ſuo reformetur.*

Qui-

Quibus locis quid poteſt eſſe potentius, ad poteſtatem hujus vocabuli defendendam? Deinde docet V. C. *Profeſſorum*, uti emendat Cel. Bynkershoekius, mentionem hic plane alienam eſſe: propterea quod ſubjicitur: *quibus ſe ſuosque liberos in aegritudine corporum committant.* Neque quæſtionem eſſe, de examinando, ſed eligendo medico. Hæc omnia ſunt ejusmodi, ut plane omnibus, uti arbitramur, probare debeant, quam bene, acute, eruditeque, Vir doctiſſimus receptas lectiones interpretari ſoleat.

In eo tamen, quod Lib. II. c. XIII. n. 3. receptam lectionem *L. 17. §. 6. D. de excuſat.* ſecutus Merillium Obſ. III, 39. vindicare inſtituit, adſenſum noſtrum ei adſcribere non poſſumus: quem quidem noſtrum diſſenſum, facilitas & humanitas Viri Clariſſimi facile, uti ſperamus, condonabit. Eſt autem ille locus hujus modi: *Domini navium non videntur haberi inter privilegia, ut a tutelis vacent: idque D. Trajanus reſcripſit.* Semper enim nobis hæc ſedit ſententia, uti reponendum, *habere*, putaremus.

Quamquam enim non ii ſumus, qui facile in emendationes inclinemus, ubi neceſſitas nulla id flagitet: tamen, neque nos iis adgregare noſtram ſententiam poſſumus, qui pro receptis, quamvis abſurdis, lectionibus, tamquam pro aris & focis pugnant, & contortis interpretationibus malunt veterem lectionem tueri, quam facilitati & elegantiæ ſcriptoris, emendationem aliquam probabilem condonare. Neque vero ea exempla a V. C. hic oſtenſa, ſatis nobis probant, *privilegia* ſignificare perſonas privilegiatas. Adfertur primo loco duplex legis auctoritas, *L. 7. §. 2. D. depoſ.* & *L. 24. §. 2. D. de reb. auct. jud. poſſid.* unde *privilegio* eam poteſtatem adferat. Deinde, eadem ratione, *officia* pro officialibus, *ſervitia* pro ſervis, frequenter poni dicit. Jam, quamvis non negemus, hæc poſteriora ita reperiri; etſi *beneficia* pro beneficiariis inveniuntur, ſive iis, qui beneficiis quibusdam a magiſtratibus provincialibus adficiuntur, veluti commendatione ad ærarium delati, quemadmodum apud Ciceronem in *beneficiis ad aerarium deferri* dicuntur: tamen *privilegio* eandem

Digitized by Google

vim ſubeſſe, parum certum nobis videtur. Etenim in *L. 7. §. 2. D. depoſ. ante privilegia*, & in *L. 24. §. 2. D. de reb. auct. jud. poſſ. poſt privilegia* ſignificat, antequam, vel poſtquam privilegiorum ratio habeatur, quibus homines in concurſu creditorum cenſeantur. Itaque nobis adhuc magis placet emendatio, *habere;* quia præſertim ratio dubitationis conſultationisve redditur, quod nempe *domini navium*, plura privilegia, plures immunitates haberent alias, ut propterea quibusdam viderentur quoque vacationem a tutelis habere. Deinde facile adparet ratio, quemadmodum librarii labi, & pro *habere*, ſcribere *haberi* potuerint, quia ſtatim ſequitur vox *inter*, eadem incipiens littera, in quam prius deſinebat. Huc accedit denique, quod, ſi *privilegia* capiantur pro perſonis privilegiatis, non adparet ratio, cur adjectum ſit, *ut a tutelis vacent.* Nam perſonæ privilegio ornatæ, hoc in loco nullæ poſſunt eſſe aliæ, niſi quibus vacatio a tutelis conceſſa eſt, propterea quod de his ſolum vacationibus a JCto hic exponitur.

His, animus erat, adjungere ſpecimen aliquod ex eo genere, cum de Jure Naturæ & Gentium quæritur, veluti Lib. I. c. X. de mutato rerum bello captarum dominio, vel cum de falſo receptis, e male intellecto Juris Civilis loco, Doctorum opinionibus diſceptatur, veluti e Libr. II. c. quo demonſtratur, ad revocandum teſtamentum ſufficere tres teſtes, nec neceſſarium eſſe lapſum decennii. Quo, putabamus, eorum obviam iri poſſe calumniis, qui homines elegantioris Jurisprudentiæ ſcientes, nil, quod ad uſum transferri poſſit, elaborare, & non niſi in ſingulis ſyllabis ac vocabulis occupari, criminantur: quamquam hoc neceſſarium eſt ei, qui vere ac recte JCti munus ac nomen ſuſtinere tuerique velit, & id veteres, iique ſummi, JCti, omnes fere a ſuo officio alienum non crediderunt. Sed, quoniam nimis longi eſſe dubitavimus, & ex his ſpeciminibus jam judicium fieri poteſt, ea opera abſtinendum duximus.

HERM.

Digitized by Google

HERM. ALEX. ROELLII S. S. TH. ET PH. D. & Profeſſoris Exegeſis in Pſalmum LXXXIX. Opus poſthumum.

Duisburgi ad Rhenum, 1735. apud Joannem Frambach, 1. Alph. 4. plag. 8.

Hæc exegeſis, ſua non defraudanda laude, a Cel. Auctore non edita, ſed auditoribus tantum dictata, nunc primo publici juris facta eſt. Nos, ut lectoribus noſtris, brevibus, quid de ea ſit ſentiendum, aperiamus, ſummatim potiora momenta huc transferemus. Totum hunc *Pſalmum*, pleniorem explicationem continere arbitratur auctor, promiſſionis *Davidi* a Deo per *Nathanem* factæ *2 Sam. VII.* & *1 Par. XVII.* Hæc vero promiſſio eſt de Chriſto, & ejus regno æterno, *amplitudine, firmitate, & fatis*, id quod variis argumentis ex ipſo *Pſalmo* probare annititur. Partes hujus *Pſalmi* IV. conſtituit, ubi occurrit: I. Propoſitio ſummaria poſt titulum, *v. 2. 3.* II. Ἐξεργασία plenior, per deſcriptionem regni Chriſti, ejusque tum conſtitutionis, tum adminiſtrationis, *v. 4-35.* III. Querela populi Dei in afflictionibus graviſſimis, conjuncta cum petitione efficaci, *v. 39 -- 52.* IV. Ἐπινίκιον poſt omnes ſuperatas miſerias, *v. 53.* Auctorem hujus *Pſalmi* non habet *Ethanem*, cujus nomen eſt in inſcriptione, ſed illi tantum traditum fuiſſe, ad uſum publicum, tanquam præfecto Muſices. Argumentum *Pſalmi*, uſus, & finis indicatur, quando *inſcribitur* מַשְׂכִּיל, quod ſapienter & proſpere agere notat, & tale canticum, quod poſſit hominem vere reddere & ſapientem & felicem, quodque aptum ſit hominem erudire ad veram ſcientiam, ſapientiam, pietatem, & felicitatem. In compendio itaque proponit doctrinam gratiæ atque ſalutis. Ratio *v. 3.* additur; כִּי enim eſt h. l. cauſſalis particula. Dixi enim, quia certiſſime ſum perſuaſus, quod gratia ſit ædificanda &c. Quando ædificanda dicitur gratia, reſpicitur ad ædificium, hominesque comparantur cum domo gratiæ, ſub quo nomine intelligit auctor electos, quos ſubinde ædificet & exornet, quod omne per tabernaculum & templum fuerit adumbratum. *v. 4.* reſpici putat ad *2 Sam. VII.* ex quibus promiſſio divina

repetatur & confirmetur. Deus loquitur de electo, ſub quo Chriſtum intelligit Auctor, qui vel maxime ſit electus; nec tamen negat, ſatis commode *Davidem* poſſe intelligi. Promiſerat vero Davidi Deus confirmationem ſeminis in ſæculum *v. 5.* & ædificationem ſolii, quod in primis Meſſiæ ſolium eſt, idque futurum a generatione in generationem, i. e. duraturum, quamdiu hominum generationes durabunt. *v. 6.* oſtendit, quomodo ipſi coeli Deum celebrent, & mirabile ſimul Dei regnum exponit, in quo conſpicua ſit gratia & veritas fidelitasque Dei, non minus quam ſumma ipſius potentia. Per עלא intelligit Cel. Auctor non tantum mirabilia in natura, ſed & in primis Chriſtum, qui maxime eſt mirabilis Dei, quantus quantus eſt. Hujus rei *v. 7.* rationem ſuppeditat, petitam ex Dei perfectione ſumma, & excellentia, ab ejus decentia, venerabilitate, potentia, regno, operibus, & gratia; hoc pluribus etiam Pſaltes deſcribit *v. 8.* ut pateat, qui ſit timendus in coetu ſanctorum, & reverendus ſupra omnes, qui circa ipſum. *v. 9.* pergit ejus perfectionem & gloriam enarrare, & in operibus contemplandam ſiſtere, idque non tantum *v. 10.* in genere, ſed etiam *v. 11.* in ſpecie; quod porro exaggerat, oſtendendo poteſtatem Dei in coelos & terram, addita ratione *v. 13. 14.* Poſtquam de operibus locutus fuerat, cauſſam ob oculos ponit *v. 14.* Pergit deinde, & celebrat juſtitiam & judicium Dei, gratiam ac veritatem, tanquam virtutes, ſingulari ratione in eodem conſpicuas, quæ quales ſint, uberius enarrat auctor. *v. 16.* oſtendit Propheta, quænam ſint qualitates populi hujus regni & officia, qua occaſione in primis explicat, quid תרועה ſit, & quomodo in ſcriptura uſurpetur, & inquirit, quid hic poſſit hoc vocabulum ſignificare, quia abſolute & ſine reſtrictione uſurpatur, & etiam nihil obſtare credit, quo minus omnem eam ſignificationem verbo tribuamus, quam patitur contextus, & omnem clangorem, omne jubilum, quod convenit regno Chriſti, &c. Hoc conjunctum eſſe cum exultatione in nomine Dei, & exultatione in juſtitia Dei, confirmat *v. 17. 18. & 19.* Pergit poſtea eadem demonſtrare ex iis, quæ antea dixerat Deus in viſione, coll.

coll. *2 Sam. VII* & *2 Chron. XXII, 9.* Sunt tamen in his prædicata, quæ *Salomoni* ejusque regno non conveniunt, ſed tantum Chriſto & regno ejus. Quamvis itaque de *Salomone* ſit ſermo, tamen omnia ad illum applicari non poterunt, proinde de Meſſia capienda. Id explicat plenius *v. 21.* ubi illum, qui exaltatus fuit, vocat בחור, itidem hic intelligitur Chriſtus, & quidquid de *Davide* hic dicitur, non niſi ſenſu tenuiori, pleno & abſoluto vero de Chriſto debere intelligi obſervat Auctor, monſtratque *Davidis* & Chriſti convenientiam. His expeditis *David* amplius oſtendit, qua ratione, in exequendis iis, quæ pertinebant ad munera illa divina, munus & potentia ſit futura conſpicua, ad pudorem & deletionem hoſtium, & lætitiæ ipſius & populi. Effectus quoque *v. 23.* proponitur, quod nempe inimicus propterea non ſit illum vel ſeducturus, vel exactorem in ipſum acturus, ſed potius omnes hoſtes ſint conterendi *v. 24.* Felix regni ſucceſſus ſimul demonſtratur *v. 25.* quæ omnia non de *Davide* ſolo explicanda ſunt, ſed recte ad Chriſtum applicantur. Cornu vero illius qua ratione ſit exaltatum, exponit *v. 26.* manus enim ponere in mari, & dextram in fluminibus, eſt, ſubjicere ea poteſtati alicujus & imperio, atque ita regnum ejus eo usque extendere. *v. 27.* plenius promiſſionum fundamentum, & regni excellentia, confirmantur. Quæ iterum de Chriſto eſſe accipienda, etiam ex N. T. & quidem *Ebr. I, 5.* poteſt demonſtrari, aliisque locis. Hujus promiſſionis effectus uberius docetur *v. 28.* quod iterum ex cauſſis ſuis explicatur *v. 29* & *30.* ubi iterum bene evincitur, hæc non de ſolo *Davide*, ſed etiam ſimul de Chriſto eſſe capienda, quod etiam prædicata demonſtrant ſatis. Diſtincte memorantur *v. 31.* fata ſeminis Chriſti, ubi per illius peccatum, quod erit deſerere legem, profanare ſtatuta Dei, & non ſervare præcepta Dei, *v. 32.* pro illius poena *v. 33.* ample deſcribitur. Nec tamen Deus prorſus omittit ſuam gratiam, ſed ſimul cum poena conjungit promiſſionem *v. 34 - 38.* Poſt illas vero promiſſiones inducuntur pii, querentes de miſerrimo regni ſtatu *Davidici*, in quo videbantur omnia ſeſe aliter habere ac promiſſum fuerat, *v. 39. ſqq.* ut videretur

foedus plane fuiſſe ruptum. Querelas movent ex ea cauſſa, quod nulla ipſis ſit contra hoſtes ſecuritas *v. 41. ſq.* quum e contrario hoſtes fortuna proſpera uterentur. Præcipuum malum *v. 45.* recenſetur, quod ceſſare fecerit מטהרו puritatem ejus, ſub quo intelligit Auctor Sanctum Sanctorum. Omnes has querelas pluribus conſiderat, & ſimul monſtrat, qua ratione evenerint hæc mala regno *Davidis*, non ſolum tempore *Salomonis*, ſed etiam ſub filio, deinde *Joramo*, *Achaz*, *Ezechia*, *Joſia*, aliiſque. Tandem ſub *Antiocho*, *Ptolomaeo Philopatre*, *Antiocho M.* & poſtera ætate hæc perpeſſa ſunt infortunia. Eadem vero, ſpirituali ſenſu, de Chriſto ejuſque regno poſſunt accipi, quia totus Pſalmus de Chriſto agebat; quod etiam ex hiſtoria eccleſiaſtica paucis recenſet auctor. Sed illas querelas excipiunt preces *v. 47. ſqq.* Jovam alloquitur eccleſia; argumentum precum eſt deprecatio mali, & petitio implementi promiſſionum; rationibus ſimul urgentur preces. Tandem his *v. 50.* ſubjungitur efficax ratio compellandi Deum, & ab eo auxilium petendi, quæ petitur a Dei priſtinis factis, & promiſſionibus Davidi factis. Additur *v. 51.* ratio, ab opprobrio & blaſphemia hoſtium petita. Clauditur *v. 53.* precatio δοξολογίας, quia Deus voluit invocari in die anguſtiæ, & promiſit exauditiones & liberationem, inde & ſperat, fore, ut preces non ſint inanes. Facile ex his poterit judicari de *Roellii* in hac exegeſi ſtudio, ſiquidem ille, non tantum quæ ad textum interpretandum facere poſſunt, non omiſit, ſed etiam hinc inde explanationes adjecit vocum ebraicarum; ut adeo etiam hic, quamvis exiguæ molis, libellus, uſum non contemnendum præbere poſſit exegeſeos ſacræ cultoribus.

HISTORIA ASTRONOMIAE, SIVE DE ortu & progreſſu Aſtronomiæ, auctore R. HEATHCOTE, Artium Baccalaureo Collegii Jeſu Cantabrig.

Cantabrigiæ 1747, typis Academicis, pagg. 82. 8v.

Era

Eruditus hiſtoriæ hujus Aſtronomicæ auctor, ætate quidem juvenis eſſe videtur, ut qui in Dedicatione ad Juventutem Cantabrigienſem fateatur, ſe una cum illa nuper in Academia Cantabrigienſi ſcientiæ Aſtronomicæ præceptis imbutum fuiſſe; ſed ejus ingenium & doctrina multum pollicetur. Cum is diſciplinas Mathematicas & Aſtronomicas in Academia Cantabrigienſi patulis avidiſque auribus hauſiſſet, id ipſum animo ejus deſiderium inſtillavit, paulo diſtinctius cognoſcendi, quænam fuiſſent ſcientiæ Aſtronomicæ origines, quos progreſſus habuerit, quænam fuerint illius ſucceſſu temporis incrementa, qua denique laboris ingeniique felicitate ad umbilicum tandem perducta fuerit; quæ porro fuiſſent antiquiorum Aſtronomorum placita, ab aliis poſt hæc derelicta; quid in *Ariſtotelis*, quid in Carteſii, aliorumque heroum *hypotheſibus* deſideratum ac vituperatum fuerit, & cur ab his alii diſceſſerint? Ut itaque ardori huic mentis ſuæ velificaret, operam dedit ſedulo, ut hiſtoriam originis & progreſſuum Aſtronomiæ, ex ſcriptoribus probatis, in proprium uſum contexeret. Mox deinde incidit in Joh. Frid. Weidleri *Hiſtoriam Aſtronomiae*, eruditis noſtris oppido notam & percelebrem, ex qua ſe plurimum profeciſſe, grato ore agnoſcit & prædicat. Ex eo libro obſervationes ſuas inſigniter locupletavit, & perfecit auctor, ipſiſque formam hiſtoricam induit; ſed ita tamen, ut omnia limitibus multo arctioribus circumſcriberet, ea tantum, quæ obſervatu ipſi digniora viderentur, perſequeretur, & brevitati pro viribus ſtuderet. Hiſtoria igitur auctoris noſtri Aſtronomica in duas partes diſtributa eſt.

Pars prior declarat, unde orta primum fuerit ſcientia Aſtronomica, quibuſnam deinde creverit augmentis, & qua poſtremo laboris ingeniique felicitate ad umbilicum perducta fuerit. Aſtronomia fabuloſa Græcorum, qui veteres pag. 2. fabulas poetarum ſuorum de Endymione, Phaetonte, Orpheo, Dædalo, & ſimilibus, de horum hominum ſtudio & profectu Aſtronomico explicant, parum quidem lucis ad noſcendas veras Aſtronomiæ origines confert: id tamen oſtendit, (ſaltem

ex

ex mente veterum,) ſtudium hoc eſſe perantiquum, & ab omni
pag. 3. ævo excultum. Quæ de Aſtronomia, ante diluvium, a Sethi
poſteris exculta, narrat Joſephus hiſtoricus, perquam incerta
ſunt. Moſen in Aſtronomica diſciplina ab Ægyptiis inſtitu-
tum, illius egregie gnarum fuiſſe, tradidit quidem Philo; ſed
exiſtimat tamen auctor, gentis hujus rem Aſtronomicam an-
guſtam tum fuiſſe ac tenuem. Jobum cognita habuiſſe ſidera
Arcturi, Orionis, & Plejadum, liber ipſius cap. XXXVIII.
31. 32. fidem utique facit; ſed neque ex eo nobis conſtare
4. poteſt de origine & progreſſu nobiliſſimæ hujus ſcientiæ.
Non multo certiora de illius prima veraque origine no-
bis ſuppeditat hiſtoria Chaldæorum, tametſi illi hac de re li-
tem gravem Ægyptiis intentaverint, & aliunde etiam proba-
bile ſit, eos cum aliquo ſucceſſu obſervandis ſideribus incum-
bere potuiſſe, & re ipſa incubuiſſe. Quandoquidem autem
ex teſtimonio Vitruvii diſcimus, ſapientibus hujus gentis opa-
citatem lunæ manſiſſe ignotam, & aliunde ſatis ſciamus, eos ob-
ſervationibus ſuis Aſtronomicis, ad ſtudium vanum Aſtrolo-
gicum fovendum & poliendum, turpiter abuſos eſſe: colligi
hinc jam abunde poteſt, eos fines ſcientiæ Aſtronomicæ cum
ſingulari laude non protuliſſe.

6. Ægyptii quidem, origines diſciplinæ huius, ſuo inge-
nio, ſuoque labori in acceptis ferendas eſſe, olim contra Chal-
dæos contenderunt; idque etiam ex Græcis Scriptores qui-
dam melioris notæ confirmarunt: ſed ſub judice tamen lis
etiamnum verſatur, eaque tanti non eſt, ut nos morari de-
8. beat. Quod ſi vero ipſius gentis Ægyptiacæ profectus in
Aſtronomica diſciplina juſta lance trutines, permultum ſane
abfuit, ut illa perfectionem aliquam conſummatam attigerit.

11. Prætermiſſis igitur aliarum gentium barbararum philo-
ſophis, de quibus multo etiam tenuius ſentiendum eſt, ad-
eundi potiſſimum ſunt Græci; etſi & illic primordia &
incunabula tam præſtantis ſcientiæ fabulis corrupta invenia-
mus. In Homeri atque Heſiodi carminibus videmus non-
nunquam ſiderum mentionem injici; ſed, quod ipſe etiam
Plato

Digitized by Google

Plato teſtatur, tota illius temporis ſcientia ſideralis, ultra cognitionem ortus & occaſus ſtellarum progreſſa non eſt.

Primus inter Græcos Thales, uſus in Ægypto ſacerdotum diſciplina, Aſtronomiae fundamenta genuina jeciſſe, & in ſtudio hoc forte Ægyptios ipſos, magiſtros ſuos, antecelluiſſe putatur. Dicitur æquinoctia & ſolſtitia primus notaſſe, eclipſium cauſas enarraſſe, nec non eclipſes quaſdam prædixiſſe. Sed notum tamen eſt, hæc a recentioribus ſub examen vocari. Ex Thaletis ſchola, quæ Jonica vocatur, prodiere plures, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, aliique, quos ſtudio huic operam diligentem navaſſe, veteres perhibent. pag. 12.

Thaleti jungendus eſt Pythagoras, qui illius exemplo, 13.
cum *Ægyptiorum* ſacerdotibus diu verſatus eſt, & alios præterea gentium orientalium philoſophos audivit, deinde vero in Græciam reverſus, ſcholam fundavit Italicam, cui quidem doctrina ſiderea plurimum omnino debet. In ea ſchola quod illi gloriam præcipuam conciliat, ſive Pythagoras ipſe, ſive, quod credibilius videtur, Philolaus Pythagoræus, ſyſtema Copernicanum, de motu terræ, & circa ſuum axem, & circa ſolem, jam tum aſſeruit; certe doctrina hæc ſcholæ Italicæ
propria fuit. Aliarum ſectarum placita Aſtronomica diſcutere 16.
operæ pretium non eſt, ne ipſius quidem Academicæ. Etſi
enim conditor ejus, Plato, Aſtronomiam, in Ægypto conſi- 17.
militer hauſtam, continuo creparet, & ſedulo in uſum ſuum converteret: ſequebatur tamen in ſtudio hoc unice præcepta
Pythagoræorum, neque ab iis diſcedebat. In eadem diſci- 18.
plina exiles admodum fuiſſe profectus Ariſtotelis, ſcripta ejus loquuntur.

Poſt Alexandri M. tempora, Ptolemæus Philadelphus, 20.
Rex Ægypti, ſcholam florentiſſimam Alexandriæ erexit, in qua præter diſciplinas alias, Aſtronomica quoque, a magnis viris aucta, & egregie amplificata fuit; unde factum eſt, ut brevi per Græciam totam florerent Aſtronomi præſtantiſſimi, quos inter princeps veluti cenſetur Hipparchus Bithynus, qui ad integræ ſcientiæ Aſtronomicæ compoſitionem primus animum

Digitized by Google

adjecit, primuſque ſtellas numerare auſus eſt. Circa idem fere tempus floruit quoque Ariſtarchus Samius, hypotheſeos Philolaicæ, de terræ mobilitate, non tamen ſine aliquo diſcrimine ſuo, reſtaurator. Alii nobis ſunt prætereundi.

pag. 22. Romanos, poſteaquam literis & artibus Græcorum urbem ſuam aperuiſſent, Aſtronomiæ ſtudium non neglexiſſe, paſſim ex eorum hiſtoria conſtat, docentque ſatis acta Julii Cæſaris, ſcriptaque Ciceronis, Virgilii, Manilii, & aliorum plurimorum. Sed ſtudii hujus inepta adplicatio ad nugas genethliacorum, effeciſſe videtur, ut procedente tempore langueret, & incultum jaceret idem ſtudium.

25. Alexandriæ vero, etiam ſub Romanorum imperio, inſigniter florere perrexit Aſtronomiæ cultura, eique novum ſplendorem conciliavit Claudius Ptolemæus, cujus in hanc ſcientiam merita, nemini ignota, nulla unquam obliterabit ætas. *Magna* ejus, quæ ſic appellatur, *Conſtructio*, gloriam ipſi cumprimis peperit immortalem.

27. A Græcis amor ſtudiumque ſcientiæ Aſtronomicæ tranſiit ad Arabes, non quidem in Ægypto, poſtquam illam cepiſſent, uti cenſet auctor; nam illi Alexandriæ potius, bibliothecam illam celebratiſſimam, & vere incomparabilem, quæ omnes ſcientiarum græcarum theſauros pretioſiſſimos complectebatur, jubente id Chaliſa Omare, igne abſumi voluerunt: at ſucceſſores illius ſcientiarum oſoris, Chaliſæ Bagdadenſes, diu poſt, Seculo VIII. ac præſertim IX. literarum omnis generis, cumprimis vero Aſtronomicarum, patronos apertos ſe profeſſi ſunt, doctiſque viris ſpecimina benevolentiæ ſummæ dederunt. Unde factum eſt, ut meliores Græcorum Aſtronomi, paulatim, ex ſermone patrio Græco, in Arabicum transferrentur, & Arabes ipſi, ad ornandum hocce ſtudium ardore laudabili incenderentur. Eos inter auctor noſter hic nominat Albategnium, qui floruit Seculo IX. & Alpetragium, ſcriptorem Seculi XII. qui ultimus Tychoni dicitur præiviſſe, ſiquidem hic ſimiles poſtea ſpiras, motibus planetarum propriis explicandis, accommodavit.

Cum

Digitized by Google

Cum autem Arabes, poſt ſubjugatam Ægyptum & Africam Romanam, trajeciſſent in Hiſpaniam, ibique novum regnum fundaſſent, labores eorum Aſtronomici, noſtris quoque Europæis innotuerunt, hoſque ad imitationem provocarunt. pag. 28. Crevit apud hos nobilis ille ardor, poſtquam Fridericus II. Imp. Seculo XIII. ſingularem in haſce literas propenſionem teſtatus erat, eaſque omni modo promotas cupiverat, eumque in finem libros veterum Philoſophorum, & Aſtronomorum Græcorum, præcipue vero Ptolemæi magnam conſtructionem, ex Arabico in Latinum ſermonem converti juſſiſſet; eodemque inſuper Seculo, Alphonſus X, Caſtellæ in Hiſpaniis rex, inſtaurationem Aſtronomiæ molitus eſſet, quin & novas Tabulas, quæ in honorem ejus Alphonſinæ vocantur, abſolviſſet. 29. Ab eo igitur tempore, ſtudium Aſtronomicum a viris præclaris feliciter excultum, variiſque novis acceſſionibus ornatum fuit; quos inter Seculo XV. non parum eminuerunt Georgius Purbachius, & Johannes Regiomontanus.

Ultimi hujus diſcipulus, Nicolaus Copernicus, in honorem veluti & commodum ſcientiæ Aſtronomicæ natus, cum varias veterum & recentiorum in doctrina ſiderali hypotheſes ſtudioſe exploraſſet, & curate ſecum invicem compoſuiſſet, ſyſtema tandem Philolaicum, juxta quod Sol centrum obtinet, terræ vero motus, non modo diurnus circa axem, ſed etiam annuus circa Solem adſcribitur, ſuam fecit, idque eum in modum exaſciavit, ut ab eo tempore, nobiliſſima ſcientia, novam plane & lætiſſimam faciem indueret. 31. Multos initio ſyſtema hoc excellens adverſarios expertum eſt.

Itaque Tycho Braheus, nobilis Danus, qui incredibili mentis ardore, & ſtudio immenſo, culturæ Aſtronomiæ incubuit, novum ſyſtema excogitavit, quod inter vulgare Ptolemaicum, & novum Copernicanum, viam teneret mediam. 33. quo ſaltem id obtentum eſt, ut anticipatæ ac præjudicatæ plerorumque adverſus doctrinam Copernicanam opiniones paulatim pellerentur, & veritas placide magis audiretur, atque etiam admitteretur. Idem Braheus, in arce ſua celeberrima Uraniburgenſi, contemplationi ſtellarum unice deditus, earum catalogum 35.

talogum compoſuit, complectentem ſtellas DCCLXXVII. quem aliis CCXXIII. auctum Keplerus poſtea vulgavit. Lam-
pag. 36. pada ſibi a Tychone amico traditam, ingenti cum laude prætulit, aliiſque tradidit is ipſe, cujus mentionem fecimus, Johannes Keplerus, vir ad amplificandam & ornandam diſciplinam
37. ſideream natus, prorſuſque factus. Hujus æqualis, Galilæus Florentinus, ejuſdem diſciplinæ limites latiſſime extendit.
40. Illa ætate, caſu quodam, uſus teleſcopii inventus eſt, & mox eruditis innotuit. Fama hac de re ad Galilæum perlata, ipſe ſibi confeſtim tale inſtrumentum fabricavit, cujus ope quid non detexit in coelo? quid non conſpexit in luna? quid non deprehendit in planetis? hactenus ut plurimum plane ignota, aut etiam non recte, nec certo cognita. Galilæus tamen, qui Copernicanum de terra & ſole Syſtema adoptaverat, religionis ſuæ hominibus, qui tales veritates ferre nondum didicerant, ſe tum ita ſuſpectum reddidit, ut tanquam hæreticus in carcerem compingeretur, nec ex eo dimitteretur ante, quam opinionem Copernici, & ſuam de terra mota, ejuraſſet. Poſtea
42. veſtigiis magnorum horum virorum inſtiterunt Chriſtianus Longomontanus, Renatus Carteſius, Iſmael Bullialdus, Joh. Hevelius, Joh. Bapt. Ricciolus, Chriſtianus Hugenius, aliique, quorum ingentia in rem Aſtronomicam merita nemini poſſunt
47. eſſe obſcura; donec tandem, fauſtis auſpiciis, provincia hæc perveniret in manus Iſaaci Neutoni, viri de ea immortaliter meriti, qui, exploſa coelorum ſoliditate, & relegatis Carteſii vorticibus, motibus coeleſtibus dirigendis præfecit univerſalem illam & ſimpliciſſimam naturæ vim, quam *gravitatem* vocant, ex qua Phænomenon coeleſtium ratio nunc reddi poteſt ſimplex, facilis, & perſpicua. Et ſic, opera magni hujus Aſtronomi, doctrinam de aſtris ad umbilicum tandem perductam eſſe cenſet auctor.

In tota hiſtoria Aſtronomiæ, quæ primam opuſculi hujus partem conſtituit, auctor unice fere ſequitur Weidlerum noſtrum, quod & ipſe præmonuit. Ex ejus opere ſelegit, quæ uſibus juventutis Cantabrigienſis quam maxime attemperata eſſe credidit, omiſſis permultis, quæ ad illuſtrandam hanc

Digitized by Google

hanc hiſtoriam plurimum conferunt; ea vero, quæ ſelegit, in compendium perbreve & circumciſum redegit. Pars altera opuſculi exhibet tum ingenium, tum rationem olim philoſophantium, & expenſa eorum philoſophandi methodo, in Neutonianam tandem itur.

Auctor hic obſervat, Principia Philoſophiæ Neutonia- pag. 50.
næ, initio non ſine invidia, multaque & pertinaci renitentia excepta fuiſſe, multoſque, aliis mitiores, Philoſophiæ huic alium eventum ominatos non fuiſſe, quam quem habuiſ-
ſet Philoſophia Ariſtotelis & Carteſii. Sed hos magnopere 53.
falli judicat auctor, quia Philoſophia Neutoniana de eo poſſit gloriari, quod aliorum Philoſophiæ defuit. Omnis ſcientia rerum naturalium, duratura, in experimentis fundata eſſe debet. Id vero eſt, quod defuit antiquis, & inter recentiores ipſi alioquin magno Carteſio. Omnes hi experimentis parum edocti, aut exercitati, omnem fere in conjecturis fidu-
ciam collocavere. Græci primum principia Philoſophiæ in 54.
Ægypto tradita audiverant, mirificis fictionum involucris amicta, eaque in patriam advecta verſibus complecti ſolebant; quod comminiſcendi cupiditatem & licentiam auxit, veram au-
tem rerum cognitionem multis modis impedivit. Poetis ſuc- 56.
ceſſerunt Philoſophi, e Schola Jonica, Italica, reliquiſque, quorum Philoſophia atque ſcientia Aſtronomica, ſupra leviter tacta, talis fuit, ut diu omnino durare & placere non poſ-
ſet. Romani, acceptam a Græcis Philoſophiam, parcius multo 59.
& negligentius coluerunt, & ſic plane, ut ea tantum, quæ Græci invenerant, Latinis literis illuſtrare voluiſſe videantur.
Regnavit ſeculis inſecutis, in ſcholis, Ariſtoteles, & vix hypo- 61.
theſes ejus in aſtronomicis pellere licuit Copernico. Subſidio quidem huic venit Keplerus, veram Phyſicam coeleſtem non infeliciter moliens. Verum id maxime conaminibus ejus obſtitit, quo minus veram perfectionis metam contingere potuerit, quod leges motus ipſi perſpectæ non eſſent, quodque vis gravitatis ipſum lateret. Ariſtotelem tandem e ſcholis penitus eliminavit Carteſius, dum ipſe integram Philoſophiam ex novis principiis tradere inciperet. Et in eo uti-

Digitized by Google

que eximium quid is præſtitit, quod inveteratas, & a longo tempore radicatas in animis hominum, opiniones, tandem evellere potuerit, etſi iis, quas in triſte exilium ablegavit, vix meliores ſubſtituit. Exempla potius Ariſtotelis, & Scholaſticorum, hominum ſæpe ultra quam dici poteſt argutorum & ſubtilium, ſecutus, in phænomena diligenter inquirere neglexit, quinimo ea contemſit, omniumque rerum rationes ex proprio cerebro conjectando depromere aggreſſus eſt.

Alio prorſus modo, ad inveniendam veritatem, in rerum natura progreſſus eſt Neutonus. Nam hypotheſi aut conjecturæ, raro, vel nunquam ceſſit: ſemper autem gradu lento tardoque incedens, nihil affirmare auſus eſt ante, quam demonſtrari poſſe ſciret. Neque etiam naturæ penetralia unquam ſubire viſus eſt, ſine comitatu arithmetices & geometriæ, quo iſtud eſt aſſecutus, ut abdita mundi adſpectabilis arcana, ex denſis tenebris in lucem protraheret, atque diſtincte explicaret. In his omnibus lucem clariſſimam ipſi affudit univerſale gravitatis & attractionis principium, in quod initio caſu quopiam incidit; ſed quo poſtea, inſtar fili Ariadnei, ut ſecure in abdita rerum ſe immergeret, uſus eſt. Multum vero hos a ſcopo aberrare judicat auctor, qui gravitatem & attractionem ſyſtematis Neutoniani, cum occultis qualitatibus ſcholæ Peripateticæ, eodem loco habent; quod illæ tantum occultæ qualitates deridiculo habeantur, earumque exiſtentia penitus ficta ſit & occulta. Id vero de gravitate & attractione Neutoniana dicere non licet, cum horum principiorum exiſtentia, ex phænomenis, per obſervationes, clariſſime demonſtrata fuerit.

Hiſtoire Naturelle &c.

id eſt:

HISTORIA NATURALIS GENERALIS & particularis, cum deſcriptione Muſei Regii.

Pariſiis 1749, T. I. 3. Alph. 8. plag. T. II. 3. Alph. 7. pl. T. III. 3. Alph. 4to. Cum plurimis tabulis æneis.

Splen-

Digitized by Google

Splendidi operis, & Ludovici XV, qua naturæ cognitionem tuetur, benignitatem ſeris poſteris commendaturi, tres priores Tomi in manus noſtras pervenerunt. Ex iis brevem ideam totius operis dabimus, & aliqua delibabimus, non quæ dignitati operis reſpondeant, quod fieri poſſe omnino a nobis, ſpatio, quo includimur, prohibiti, deſperamus; ſed quæ guſtum lectoribus noſtris dent, ſalivamque moveant operis ipſius legendi, quo nullus naturæ ſtudioſus impune ſit cariturus. Igitur ab auctoribus, Dom. *Buffon*, Inſpectore horti Regii, & *Daubenton*, cuſtodiendo & oſtendendo Muſeo præfecto, hæc operis, juſſu Regis prodituri, ichnographia traditur. Quindecim volumina continebit. Maurepaſii auctoritate, qui & ipſe Muſeum formavit, coeptum eſt. Primum volumen, poſt præfationem, & diſſertationem de methodo hiſtoriam naturalem tractandi, hiſtoriam & theoriam Terræ continet; alterum generalem animalium hiſtoriam; tertium & quartum quadrupedium, ab homine inchoandum; quintum amphibiorum & piſcium cetaceorum; ſextum reliquorum piſcium, cum hiſtoria piſcationum; ſeptimum teſtacea, cruſtacea, inſecta marina, cum plantis, quas vocant, marinis, quæ Galli jam pro inſectorum operibus habent; octavum reptilia, inſecta terreſtria, & animalcula microſcopica, de quibus memorant auctores plura nova ſe detexiſſe; nonum Ornithologiam; decimum, undecimum, & duodecimum, vegetabile regnum, cum tractatu de cultura plantarum. Tres ultimi tomi minerale regnum continebunt.

Primi Voluminis auctor D. *Buffon* eſt. Ex ejus cogitatis, circa hiſtoriæ naturalis methodum, pauca adducemus. Non probat methodos, quæ paucis characteribus, iisque externis, & ad naturam interiorem fere nihil ſpectantibus, ordines & genera rerum creatarum diſcriminant; eaque occaſione Linnæum ſæpius, acerbe ſatis, perſtringit. Laudat antiquos, qui artificioſis illis, de quibus tantopere gloriamur, methodis caruerint, tamen, quod utile eſt in creaturarum cognitione, inquiſiverint, neque rerum ſatis notarum deſcriptionem per characteres neceſſariam judicaverint; cum rectius hæc omnia ipſo ſenſu cognoſcantur. Sed propriam, quam ſequi vult, methodum,

dum, non ita clare videtur explicare, ut exſpectandum ſit, quando ejus ſpecimina in ſequentibus ſint comparitura: nam animalium, mineralium &c. methodi, & characteres, quibus genera dignoſci queant, promittuntur.

Sequitur theoria telluris. Innumera in ſuperficie telluris reperiunda indicare cenſet, mare olim fuiſſe, ubi jam tellus eſt, idque longo ſatis tempore ibi ſubſtitiſſe. Nam innumerabilem illam teſtaceorum, cruſtaceorum, & quæ ab inſectis marinis producta ſunt, coralliorum &c. multitudinem, ex qua integri montes componantur, ita quidem, ut harum rerum copia, lapidis, ex quibus montes alii conſtant, maſſam fere ſuperent, nec uno eodemque tempore ſimul in mari vixiſſe, nec potuiſſe in tam diſſita a mari loca, diluvio, quod vulgo hic in auxilium vocatur, deferri; niſi cum aliquibus diſſolutum penitus globum terreſtrem aquis diluvii ſtatuamus, novum miraculum, & de quo ſileat ſcriptura, ſtatuentes. Deinde montes tantum non omnes ſtratis parallelis conſtare notat, non niſi inde explicandis, quod ſedimenta diverſarum materiarum, ſint loco, ubi mons natus eſt, olim ſub aquis poſito. Reperiri etiam fere ſemper in montibus, valle interjecto diſcriminatis, eadem ſtrata utrinque, ad eandem altitudinem, idque ad ipſa freta, Gaditanum & Anglicanum, obtinere: ſic ut alii jam inde argumentum duxerint, Angliam olim Galliæ fuiſſe continuam. Fiſſuras lapidum, ipſorumque montium, quales v. g. *Thermopylae*, aliæque jugorum portæ ſunt, inde natas exiſtimat, quod materia montis evaporante, aqua in minus ſpatium redacta, loca vacua reliquerit. Fieri etiam potuiſſe, ut ſubſidente tantillum fundamento montis, moles ſuperimpoſita multum loco priore moveretur. Hæc, aliaque, quæ longum eſſet recenſere, ſed omnia ſingularia, acumenque viri non minus, quam obſervationes ſedulo inſtitutas, probantia, *probationibus*, quas vocat, confirmat. Earum aliæ loca auctorum, quibus facta ſententiis ſuis ſubſtruenda continentur, continent, aliæ quædam in textu brevibus memorata uberius deducunt. Eſt inter illas hypotheſis nova de origine planetarum, modeſte tamen ab auctore propoſita. Cum non fortuitum videatur, plane-

planetas omnes in eodem fere plano, & communi directione, circa ſolem revolvi, rationem comminiſcitur, qua id in omnibus ab eadem cauſſa effici potuerit. Ponamus enim, cometam oblique in ſolem impingere, ut vi ictus a ſolis maſſa portiones aliquas projiciat, quæ poſtea vi attractiva globos planetarios, illorumque ſatellites, conſtituent, & circa ſolem, urgente verſus eum gravitate, revolventur: & videtur, hoc modo altera pars virium in motibus planetariis obviarum, impulſus nempe, quem Neutonus de ſola gravitate cogitans intactum reliquit, explicari poſſe.

Alterum volumen, idem auctor, a plantarum, mineralium, & animalium comparatione orditur: deinde, facultatem ſui ſimile producendi explicaturus, probabile exiſtimat, abundare naturam *exiguis rebus organiſatis*, magnis illis, quæ in mundo ſentiuntur, ſimilibus, & idoneo augmento, illarum magnitudinem attingere aptis. Nec tamen credit, plantæ v. c. ſemen, eas omnes plantas, quæ ex plantæ proditurae ſemine, plantarumque ex his ſeminibus oriundarum ſeminibus, & ſic porro orituræ ſunt, continere; cum id in infiniti labyrinthum nos deducat: deinde hypotheſin aliam ſibi veroſimiliorem exponit, ſed quæ brevibus explicari non poteſt. Poſthæc de nutritione & evolutione agit, animalium quoque generationem contemplatus, & Leuwenhoekii aliorumque obſervationes & ſyſtemata uberius exponens. Memorabile eſt, quod ex Nedhami, propriisque obſervationibus conſtare ſibi dicit, omnia vegetabilia, animaliaque, ex particulis exiguis organicis ſe moventibus conſiſtere. Carni aſſatæ ſuperinfuſa eſt aqua, in vitris magna ſollicitudine clauſis ſervata: hanc aquam plenam particulis moventibus, & figuras mutantibus, microſcopium detexit, quas quilibet primo intuitu pro animalculis fuiſſet habiturus. Sed nec poſſunt obſervationes hæ in brevitatem contrahi, nec generationis ſyſtema illis innixum explicari: itaque monebimus ſaltim lectores, in hoc Tomo, quæ foetum, nativitatem hominum, variasque illorum, pro ætatis diverſitate, conditiones ſpectant, uberius expoſita reperiri.

Tertio tomo *Daubenton*, poſt generalem de Muſeorum

D inſtru-

Digitized by Google

inſtructione, curaque rebus ibi aſſeruandis impendenda, commentationem, primo oſſa contemplatur, variaque, præſertim ob ſtatum præternaturalem notatu digna, deſcribit, & icones aliquorum adjicit. Sunt inter hæc oſſa, carie, exoſtoſibus, callis &c. ſingularia. Poſt, antequam ad injectione & exſicca tione præparata progreditur, de methodo has operationes perficiendi agit, multa, quæ Ruyſchius, Monro, in actis Societatis Edimburgenſis, aliique in hoc genere præſtarunt, adducens. Dum ad præparata in vitris ſpiritu plenis progreditur, media, quibus evaporatio ſpiritus impeditur, recenſet. Eſt inter ea illud Glauberi, ut excavato in orificio vaſis circumcirca limbo, mercurius infundatur, quem ſpiritus vapores non penetrant, cum illo in loco operculi & vaſis ſit commiſſura. Poteſt vero & orificium vaſis embolo ex ſubere occludi, cujus ſuperior ſuperficies, compoſitione aliqua, ad obturandos poros omnes obducitur. Vtile quoque eſt monitum de figuris vitrorum, cum cylindrica, vulgo adhiberi ſolita, plurimis animalibus non conveniant: ſed nil prohibet alia alius figuræ, v. g. parallelepipeda, pro animalibus quadrupedibus, & ſic porro adhiberi. Poteſt etiam ſpiritus vini loco, quivis alius ſpiritus frumenti, cerevîſiæ cet. adhiberi. Deinde is, ſi fortior eſt, carnes arrodit, ut alcoholiſatus non adhiberi poſſit, niſi aqua temperetur, a qua tamen, ſi deſtillata non fuerit, lacteſcit. Non tamen ea quantitas phlegmatis adeſſe debet, quæ, ut congeletur fluidum, hieme efficiat.

Poſt hæc imitationes rerum anatomicarum ex cera & ligno ſequuntur, cum earum hiſtoria. Denique de Mumiis agitur, ex itinerariis potiſſimum; nam in muſeo regio, mumiæ indicem dextrum, & partem pedis ſiniſtri adſervari ſolum, memoratur. Finiunt hunc Daubentonii laborem concretiones lapideæ. Sed in eodem tomo, *Buffonius* adhuc de viſu & auditu, ſenſibusque in genere, commentatur, tum quæ ad phyſicam illorum cognitionem ſpectant, tum quæ ad judicia pertinent, quibus ferendis, quando certa objecta organa noſtra feriunt, ita adſueſcimus, ut illa a nobis ferri vix agnoſcamus; denique varietates ſpeciei humanæ per orbem cognitum, magna

eru-

Digitized by Google

eruditione, & inſigni acumine, percenſet; oſtendens, quæ in colore, corporis forma, & ſimilibus, gentes diſcriminantia, obſervantur, climati, vitæ generi, &c. eſſe adſcribenda.

Hæc quidem brevem dabunt ideam egregii operis, quantum ejus nobis innotuit. Quod quidem non ſolum plurima, quæ in aliis ad naturæ hiſtoriam pertinentibus libris reperiuntur, ſed & multa nova continet, taliaque, quæ ab iis demum detegi poſſunt, qui regiis ſumtibus in naturæ myſteria inquirunt. Non igitur non probare poſſumus conſilium duorum librariorum, Grundii Hamburgenſis, & Hollii Lipſienſis, qui de hujus libri verſione germanica, prænumerationis modo publicanda cogitarunt, illamque programmate germanico, elapſis nundinis autumnalibus anni 1749. emiſſo, obtulerunt.

TRACTATVS DE MATERIA MEDICA, ſive de medicamentorum ſimplicium hiſtoria, virtute, delectu, & uſu, auctore STEPHANO FRANCISCO GEOFFROY, Doctore medico Pariſienſi, Regiæ ſcientiarum Academiæ Pariſienſis, Regiæque ſocietatis Londinenſis, Socio, nec non & Chemiæ in horto Regio, & Medicinæ in Regio Franciæ Collegio, Profeſſore.

Pariſiis 1741, apud Joannem de Saint, & Carolum Saillant, 8. maj. Tom. I. Alph. 1. pl. 9. cum fig. æn. Tom. II. Alph. 2. pl. 4. Tom. III. Alph. 2. pl. 6.

Quodſi ad bene de libro ſperandum, velut ſigno quodam, excitamur, ſi ejus auctorem operi perficiendo parem fuiſſe intelligamus, celeberrimum Godofredi nomen, his de materia medica commentariis, inſigni fore commendationi facile prævidemus. Quæcunque enim, ſive naturæ, ſive doctrinæ præſidia, ad id operis erant neceſſaria, iis omnibus noſter cumulate abundabat. In paterna domo a teneris educatus, præter humaniorum ſtudium literarum, quas non leviter edoctus fuit, impetu quodam naturæ ferebatur ad omnia, quæ vel ad Phyſicam, vel rerum naturalium hiſtoriam, vel medicinam pertinebant. Procedente ætate, nihil prætermittebat

corum, quæ perito medico formando inſervirent. Medicamentorum hiſtoriam, delectum, uſum, & præparationes, a patre in his rebus verſatiſſimo didicit, eodem duce in Chemia exercebatur, quam poſtea ſumma cum laude, & maxima auditorum frequentia, per viginti duos annos in horto regio explicavit. Medicinæ in ſchola Pariſienſi omnium celeberrima operam navabat, cujus ipſe deinceps inſigne decus fuit, & ornamentum. Anno 1709. deſignatus a Galliarum Rege, ut Profeſſoris ſpartam in Regio Franciæ Collegio ornaret, ad eam artis medendi partem convertebatur, quæ de medicaminibus agit. Inſtructus hoc apparatu doctrinæ, muneris ſui partes ita explevit, ut celebritate nominis non apud indigenas tantum, ſed exteros quoque, brevi propagata, ingens fieret ad eum undique auditorum concurſus, qui Lutetiam quotannis advolabant, quæcunque de materia medica dictitaret, avide auribus & calamis excepturi. Hanc materiæ medicæ tractationem in tres partes diſtribuerat, quarum prima foſſilia comprehendit, altera de vegetabilibus agit, in tertia denique de medicaminibus ex animalium regno petitis, diſſerere conſtituerat. Vegetabilia in duas ſectiones erat partitus, quarum prior vegetabilia exotica continebat, in altera de indigenis diſquirebatur. Priorem ad umbilicum perduxit, poſteriorem vero, morte præmatura circumventus, non perfecit; animale autem regnum plane non attigit. Quanquam autem incepto operi ipſemet auctor manum non admovit extremam: id tamen, quod jam confectum eſt, ita numeris omnibus abſolutum eſſe, viri artis medicæ peritiſſimi, & æqui æſtimatores judicarunt, ut rem medicis non ingratam ſe facturum eſſe putarit Bibliopola, ſi librum hunc, ope & opera docti cujuſdam viri, nobis incogniti, ex ipſius auctoris autographo ederet. Qua in re id quidem primum omnium fuit curatum, ut liber nitidis typis excuderetur; deinde, ut Auctoris autographum integrum & incorruptum redderetur, paucis quibuſdam exceptis, quæ vel addere Celeb. *Juſſieu*, vel emendare placuit. Cum enim Vir hic in univerſa hiſtoria naturali verſatiſſimus, alterum hujus tractatus Tomum, qui vegetabi-

lia

lia exotica complectitur, integrum recognoviſſet, nonnulla animadvertit, quæ auctori noſtro, ut in opere longo, eſſent prætermiſſa, alia, poſt ejus mortem accuratius cognita vel deſcripta. Eo igitur duce & auſpice Cl. Editor operis, quæ Auctoris doctiſſimi memoriam ſefellerant, explevit, quæ nova eſſent addidit, & pauca recentioribus accuratius deſcripta emendavit, eademque ſupplementa ſignis a reliquo textu diſtinxit. Ante vero, quam ad ipſum opus admittamur, viſum fuit Cl. Editori, nos aliquamdiu velut in atrio detinere. Extat enim initio primi Tomi, non ſolum Elogium Cl. Godofredi, a Fontenellio in Hiſtor. Acad. Scient. Reg. 1731. propoſitum, ſed variæ etiam Auctoris diſſertationes, ad materiam medicam ſpectantes, ex ejuſdem regiæ ſcientiarum academiæ commentariis excerptæ, itemque quæſtiones quinque medicæ, in medicorum Pariſienſium ſcholis propugnatæ. Ex commentariis Academiæ Regiæ huc revocantur: Tabula diverſarum relationum, inter diverſa corpora, in Chemia obſervatarum; ſupplementa ad illuſtrandam eam, alio tempore producta; & obſervationes de Vitriolo & Ferro, quæ pariter, atque Elogium, operi huic latino, latine potius translata, quam Gallica, qua primum ſcripta fuerunt, lingua, noſtro quidem judicio, congruiſſent. Ex quæſtionibus autem medicis prima diſquirit: an medicus philoſophus mechanico-chemicus? Altera: an omnis morbus a coagulatione? Tertia: an hominis primordia vermis? Quarta: an Erethiſmi ſedatio, morbi curatio? Quinta: an aqua, ſæviente peſte, προφυλακτικὸν eximium? Opus ipſum in tres Tomos eſſe diviſum, ex ſuperioribus jam conſtat. Primus, tum introductionem in materiam medicam, tum ipſius huius materiæ medicæ primam partem, quæ de foſſilibus agit, complectitur. Introductionis ad materiam medicam Cap. I. de medicamentorum definitione & diviſione, Cap. II. de corporum principiis generatim, Cap. III. de iiſdem ſpeciatim, igne nimirum elementari, aqua elementari, ſ. phlegmate, terra elementari, ſale tum acido, acri ſeu alcali, & ſalſo, & oleo ſ. ſulphure, Cap. IV. de elementorum miſtione, Cap. V. de dignoſcendis medicamentorum viribus, commentatur.

Digitized by Google

Doctrina de foſſilibus in aliquot dividitur Sectiones, quarum I. aquas ſub examen revocat, & 1. quidem Capite ſimpliciores, 2. autem minerales medicatas, ſive terreis partibus refertæ, ſive ſalibus impregnatæ, ſive ſulphureæ, ſive metallorum participes ſint. Sect. II. Terris deſtinatur, ubi Cap. 1. Argillæ, Terra Lemnia Melitenſis, Terræ quædam Sigillatæ Germanicæ, Cap. 2. Margæ, 3. Boli, 4. Cretæ, excutiuntur. Sectio III. Lapides, & Cap. quidem 1. Lapidem calcarium, & calcem vivam, 2. Talcum, 3. Actiten, 4. Lapidem Bezoardicum foſſilem, 5. quoſdam Lapides figuratos, Belemniten ſ. Lapidem Lyncis, & Lapidem Judaicum, 6. quaſdam lapideſcentes ſubſtantias, Gloſſopetras, & unicornu foſſile, 7. Lapides quoſdam pretioſos opacos, Lapidem Lazuli & Armenum, 8. Lapides quoſdam pretioſos pellucidos, ſ. Gemmas, Cryſtallum, quinque fragmenta pretioſa, aliaſque gemmas, quæ rarius in uſum medicum veniunt, perſequitur. Sectio IV. Salia, Cap. 1. Sal cibarium, foſſile non minus & gemmeum, quam artificiale, & præſertim marinum, 2. Nitrum ſ. natrum antiquorum, & nitrum recentiorum, ſ. Sal petræ, 3. Vitriolum, 4. Alumen, 5. Sal ammoniacum, 6. Chryſocollam & Boracem, perſcrutatur. Sectio V. in ſuccos bituminoſos, Cap. 1. in bitumina liquida, Naphtham ſ. Petroleum & Piſſaſphaltum, 2. in bitumina ſolida, bitumen Judaicum, Ambarum cineraceum, Succinum, Gagatem, & Carbonem foſſilem, 3. in Sulphur, 4. in Succos arſenicales, Auripigmentum, Realgar, Arſenicum proprie dictum, inquirit. Sectio VI. Foſſilium metallicorum Cap. 1. eorum, quæ veri metalli partem aliquam continent, Hæmatitis, Smyridis, Magnetis, Magneſiæ, & Lapidis Petracorii, Cadmiæ, Lapidis Calaminaris, Tutiæ Pompholygis, & Spodii, Chalcitidis, Miſy, Sory, & Melanteriæ, 2. Foſſilium metallicorum, quæ ſunt peculiaris naturæ, & metalla ſpuria, vel ſemimetalla a quibuſdam dicuntur, Stibii nimirum ſ. Antimonii, Biſmuthi, Zinci, Cinnabaris, & Hydrargyri, rationem habet. Sectio denique VII. de Metallis Cap. 1. imperfectis, Plumbo & ejus recrementis, Stanno, Ferro, Aere, 2. perfectis, Argento & Auro, exponit.

Tomus

Digitized by Google

Tomus II. Vegetabilia exotica perſequitur, ubi Cap. I. Radices Acori veri, Indici, & Pſeudo-Acori, Angelicæ, Anthoræ, Ariſtolochiæ longæ, rotundæ, clematitidis, & tenuis, Behen albi & rubri, Butulæ, Carlinæ, Caſſummuniar, Chinæ, Contrayervæ, Coſtorum, Curcumæ, Cyperi longi & rotundi, Dictamni albi ſ. Fraxinellæ, Doronici, Galangæ majoris & minoris, Gentianæ, Glycyrrhizæ, Hellebori albi & nigri, Hermodactylorum, Jalappæ, Imperatoriæ, Ipecacuanhæ, Iridis Florentinæ & noſtratis, Mechoacannæ, Mei Athamantici, Nardorum, Ninzin, & Gins-eng, Pyrethri, Rhabarbari, & Rhapontici, Sarſaparillæ, Seneka, Serpentariæ Virginianæ, Turpethi, Zedoariæ, & Zerumbeth, Zingiberis, Cap. 2. Cortices Cinnamomi, Caſſiæ ligneæ, Caſſiæ cariophyllatæ, Canellæ albæ, Winteranum, Chinæ, Caſcarillæ, Codaga-pala, Simarouba, Cap. 3. Ligna Agallochi ſ. Aloes, Aſpalathi & Rhodii, Guajaci, Nephritico, Santalo Citrino, albo & rubro, Saſſafras, Cap. 4. plantas quaſdam maritimas, Corallia & Madrepora, Corallinam, Cap. 5. Surculos quoſdam, folia, & flores, Calamum aromaticum verum, Schoenanthum, ſ. Juncum odoratum, Malabathrum, ſ. Folium Indum, Sennam, Dictamnum Creticum, Folia Theæ, Stoechadem, Crocum, Cap. 6. Fructus & Semina, Palmulas ſ. Dactylos, Jujubas, Sebeſten, Uvas paſſas, Caricas, Mirobalanos, Colocynthidem, Caſſiam ſativam, Tamarindos, Vanillam, Cardamomi varias ſpecies, Amomum racemoſum, Cubebas, Piperis diverſas ſpecies, Cariophylli Aromatici, Anthophylli, & Cariophyllus Regius, Anacardia, Nux Cajous, Ben, Cacao, Piſtacia, Pinea, Ricinus & Ricinoides, nucleis purgantibus, Semen Caffeæ, Nux Moſchata & Macis, Nux vomica, Lignum Colubrinum, Faba S. Ignatii, Semen Carthami ſ. Cnici, Sem. contra vermes, Aniſum Indicum ſtellatum, Cap. 7. Plantarum Succi liquidi & concreti, & quidem ex Reſinis liquidis Opobalſamum, Balſamum Peruvianum, album & fuſcum, Tolutanum, de Copaiva, Liquidambarum, Styrax liquida, Terebinthina; ex Reſinis ſolidis Anime & Copal, Benzoe, Camphora, Caranna, Elemi, Gummi Hederæ Ladunum, Maſtix, Olibanum, Sandaracha,

San-

Sanguis Draconis, Styrax ſolida, Tacamahaca; ex Succis gummoſis, Gummi Arabicum, Seneka, & noſtras Tragacanthum, Manna ſolutiva; ex Gummi-reſinis Ammoniacum, Aſſa foetida, Bdellium, Euphorbium, Galbanum, Myrrha, Opoponax, Sagapenum, Sarcocolla, Cap. 8. Succi arte quadam e plantis extracti, Aloe, Scammonium, Gummi Gutta, Opium, Acacia vera & noſtras, Hypociſtis, Catechu, Succus Glycyrrhizæ, Saccharum, Tartarus, Cap. 9. Tubera Fungi, & adnata quædam vegetabilia, Tubera cervina, Fungus Sambuci, Agaricus, Gallæ, Grana Kermes, & Coccinella, occurrunt.

Tomo denique III. Plantæ domeſticæ, quæ in uſum medicum veniunt, reſervantur, ad literarum ordinem digeſtæ, ſed vix ac ne vix quidem dimidia parte expoſitæ, quum ultra Melilotum earum enarratio non procedat, quarum tamen omnium nomina longo ordine enumerare, non opus eſt. Tam naviter vero, accurateque, omnem hanc de materie medica doctrinam Cel. Auctor perſequitur, ut non modo ſingulorum medicamentorum naturalem hiſtoriam, & foſſilium geneſin, atque Vegetabilium modum creſcendi, floreſque & fructus proferendi, eleganter, atque ex melioris notæ ſcriptoribus, deſcribat; varias, quibus a veteribus recentioribuſque inſignita fuerunt, denominationes ſimul enumeret; & quibus bonitatis notis ad delectum habendum diſtinguantur, indicet: verum etiam vires illorum, tum longo uſu in medicina comprobatas, tum ab Auctoribus fide dignis obſervatas, tum propria experientia confirmatas, explicet; nonnunquam etiam effectibus cauſas adjungat, illorum analyſin chemicam ſubnectat, legitima a ſpuriis ſecernat, varias quorundam ſeplaſiariorum fraudes detegat, quibus in morbis, qua doſi, quibuſve cautionibus adhibere ea deceat, quibus indigeant præparationibus, ad quæ compoſita officinarum medicamenta recipiantur, & quando inutilia noxiave ſint, ſedulo moneat, illorum quoque præſcribendorum ſpecimina, ad artis regulas exacta, adjiciat, idque tam nervoſe & concinne, ut nihil alienum aut ſuperfluum hic reperias, nihil, quod huc pertineat, temere requiras, & liber hic, modo eſſet integer, locum eminentiorem inter præſtan-

ſtantiſſimos materiæ medicæ commentarios mereretur. Atque in tanta ubertate, difficillimum ſane nobis foret, rerum notabiliorum, quas excerperemus, habere delectum, vel modum invenire. Quamobrem ſatius fore putamus, bina tantum ſpecimina, eaque de vegetabilibus nondum adeo notis, hic exhibere, ut omnis tractandi ratio hinc eo clarius innoteſcat. Primum itaque hunc in cenſum veniat radix Seneka, quæ plantæ radix eſt, quam Polygalam, caule ſimplici erecto, foliis ovato-lanceolatis, alternis integerrimis racemo terminatrice erecto, Gronovius Flor. Virgin. appellat. Alias etiam Polygala Virginiana, foliis oblongis, floribus in thyrſo candidis, radice alexipharmaca, a Millerò, Anglice *The Rattle Snakeroot*, Gallice *Racine contre la morſure du Serpent à Sonnettes, ou le Seneka*, vocatur. E radice perenni, ſemiſpithamam vel etiam ſpithamam longa, variæ pro ætate craſſitiei, utplurimum digitum circiter minimum craſſa, varie contorta, in plures ramos divaricata, fibris ſtipata lateralibus, & margine velut membranaceo extuberante, ſecundum longitudinem decurrente, foris ſublutea, intus alba, ſapore acri amaricanti nonnihil aromatico prædita, multos profert caules alios ſurrectos, alios humi ſparſos tenues, ſubluteos, ſimpliciſſimos, ramis deſtitutos, teretes, glabros, vix pedales, debiles, foliis veſtitos ovato-lanceolatis, alternis, unciam circiter longis, glabris, integerrimis, lævibus, in petiolos deſinentibus, vix manifeſtos, ſuperioribus ſenſim majoribus, ſpica laxa florum polygalæ vulgaris plane ſimilium, aut minorum, alternorum ſeſſilium, caules terminat mediante pedunculo, foliis breviore. Dignoſcitur margine membranaceo exuberante, & ſecundum illius longitudinem decurrente. D. *Tennet*, Medicus Anglus, qui plures annos in Virginia commoratus eſt, in Epiſtola Regiæ Scient. Academ. ſcripta, & in Eſſay on the pleuriſy, virtutem huic radici diaphoreticam, diureticam, alexipharmacam, ſanguinem viſcidum, tenacem, & inflammatorium reſolventem, catharſin, interdum quoque vomitum moventem, tribuit, eamque ab Indis ſpecificum adverſus ſerpentis caudiſoni venenum haberi refert; ex quo etiam exempla incolarum, qui ab his ſerpentibus vulnerati, & iisdem,

quibus pleuritici & peripnevmonici ſymptomatibus laborantes, ipſo menſe Julio, quo virus horum ſerpentum maxime eſt noxium, & virtus reliquorum antidotorum irrita, perfecte convaluerunt, copioſius adducuntur. Perſpecta hujus radicis efficacia & virtute, ſanguinem coactum & tenacem reſolvendi, idem D. Tennet eam in aliis morbis, ab inſpiſſato ſanguine oriundis, fructuoſam quoque fore intulit; & cum obſervaſſet, ſerpentis caudiſoni veneno infectos, reſpirandi difficultate, tuſſi, ac ſanguinis ſputo laborare, quaſi pleuritide aut peripnevmonia ægrotarent; & cum aliunde noſſet, pleuritidem ac peripnevmoniam ſanguine inſpiſſato foveri, idem remedium in utroque morbo tentavit, quod ei feliciter ceſſit. Hac autem methodo utebatur. In plethoricis, & ubi febris aderat, ſanguinem ad uncias decem e brachio, dolenti lateri oppoſito, mittebat, vel e Saphena, ſi utrumque latus doleret. Tum ſequentis tincturæ tria cochlearia, ægrotanti, ſexta quaque hora, incipiendo ſtatim a venæſectione, propinabat, & ſic deinceps, donec remiſſiora fierent ſymptomata.

Rec. Rad. Seneka Unc. tres, Valerianæ Sylveſtr. Unc. unam ſemis. Conterantur ſimul in mortario. Deinde in vini Canarienſis veteris & generoſi libris duabus digere igne arenæ per ſex horas, in vaſe idoneo operto, & decanta ad uſum. Deinde *Rec.* Balſami Copaivæ & Salis Volatil. oleoſ. ana gutt. 15. & hauriantur in cyatho potus conſueti, ſecunda quaque hora, inter ſingulas tincturæ ſuperioris doſes. Potus conſuetus ſit infuſio tepida rad. Altheæ, decoctum ſc. ſolius radicis, ad uncias tres, in aquæ fontanæ libris duabus, ad medietatis conſumtionem, quovis Syrupo pectorali e melle confecto edulcoratum. Ceſſit quoque feliciter, dum ægro ſanguis miſſus eſt, ubi primum ægrotare coepit, dummodo ſtatim ab inſultu morbi hoc decocto uſus eſſet. At cum febris aliquatenus nervoſa ſit, tinctura eſt anteponenda. In eo enim caſu Rad. Valer. ſylveſtr. mira præſtat, & Balſ. Copaivæ aut Gilead, cæteris pectoralibus, ſi qua adhiberi opus eſt, merito præferuntur. Radicis quoque pulvis ad gr. 35. in morbi principio adhiberi poteſt; ſed dolor non tam cito remittit, ac ſi tinctura propinetur. Si

æger

Digitized by Google

æger aliquot dies prius ægrotaverit, quam Tinctura fuerit uſus, Balſami uſus continuandus eſt, etiam ſi melius ſe habuerit. Altero die, ſi dolor & febris non multum remiſerint, venæ ſectio ad uncias decem repetenda eſt. Verum raro opus habetur. Namque 24 horarum intervallo, ſymptomata utplurimum uſu hujus tincturæ quam maxime remittunt. In valde plethoricis tamen, & ubi ſolida inter & fluida admodum labefactatum fuerit æquilibrium, aliquando eodem die, urgentibus ſymptomatibus, repetenda eſt ſanguinis miſſio, idque hora quarta, poſt primam tincturæ doſin exhibitam; rariſſime tertio requiritur. Vomitus & catharſis interdum hocce remedio benigne cientur, idque ſatis feliciter. At ſi ægrotus admodum debilitatus fuerit, nec vomitum facile pertulerit, emeſin ſiſtent abſorbentia quævis teſtacea, tincturæ immixta, vel gr. 12. Salis Tartari, in modica aquæ Cinamomi debilitatæ doſi propinata. Teſtatur D. Tennet, hocce remedio, ea methodo exhibito, plurimos pleuritide ac peripnevmonia ægrotantes, ab orci faucibus ereptos fuiſſe. In morbis etiam nervoſis, ſ. febribus lentis, pleuritidem aut peripnevmoniam mentientibus, eadem tinctura, abſque ulla ſanguinis miſſione, utitur proſpero eventu, & intra paucos dies ſanitati integræ reſtitui ægros aſſeverat. Exhibita quoque fuit polygalæ vulgaris noſtræ radix, ſub forma pulveris ad gr. 12. plurimis pleuriticis, cum ſat proſperis ægrotantium rebus. Screatus movit copioſos, & ſanguis, poſtero die ab hujusce radicis uſu miſſus, minus coriaceus, & multo fluidior apparuit. At Senека radix, multo uberiores ſcreatus ciet, & ſanguinem lymphamque viſcidam potentius atterit, & dividit.

Alterum, de quo hic ſpeciminis loco referemus, vegetabile exoticum, cortex *Codaga-pala* eſto. Codagapala vocatur alias *Nerium Indicum*, ſiliquis anguſtis erectis longis geminis, Apocynum erectum Malabaricum fruteſcens, Jaſmini flore candido, Arbor Malabarica lacteſcens, Jaſmini flore odorato, ſiliquis oblongis. Apud Malabares & Zeylonenſes frequens naſcitur hæc arbuſcula, ex radice minus ſubmiſſe ſe demittente, fibras late diffundente, cortice rubro fuſco, & lacteo, ſaporis amari, & minus pungentis. Caules firmi

lignoſi rotundi, varios proferunt ramos, cortice nigricante, lignum albicans tegente, cinctos, folia gerentes bina, ſibi mutuo oppoſita, cum brevi petiolo, oblongo-lanceolata, acuta glabra nervoſa, variæ magnitudinis, at utraque parte læte viridia, lacteum ſuccum fundentia. In ſummo caulium varii egrediuntur flores tubuloſi, in quinque ſegmenta diviſi, monopetali, ſtaminibus quinque in conum acutum collectis ornati, albiſſimi, jucundi odoris & aſpectus. Calix flores ſuſtinens eſt ſtellatus, in quinque lacinias diviſus, qui ſatis longo & tenui ac varie multiplicato innititur pedunculo, & perpetuus eſt. Floribus enim emarcidis, ex uno tali calice duæ ſimul eriguntur ſiliquæ anguſtæ, erectæ, longiſſimæ, miro modo in ſummo per apicem acutiſſimum circumvolutum ſibi junctæ & connexæ, lanugine albiſſima repletæ, qua ſemina coronantur plurima, longa, anguſta, ſtriata, cinerea, & pappo, veluti funiculo umbilicali, placentæ adhærentia. Cortex contritus, & epotus in lacte acido, commendatur in fluxu ventris. Radicis quoque cortex laudatur, eodem modo ſumtus in fluxu ventris quocunque, ſive dyſenterico, ſive lienterico, & in fluxu hæmorrhoidali. Idem in aqua decoctus & epotus, ſervit contra tumores corporis. Radix trita, & cum aqua, in qua Oryza lota fuit, decocta, confert pro angina gutturis & colli facta lotione. Servit quoque in tumoribus corporis eodem modo uſurpata, neque minus in dolore arthritico partibus affectis appoſita. Dentium quoque dolores ſedat, vermes in iis necando, ejus decocto in ore detento. Semina in decocto data, proſunt in febre calida, ardore jecinoris, atque in podagra. Lumbricos quoque enecant. Commendatur in Act. Edimb. recentiorum minorumque ramorum cortex, arboris muſco, & quadam veluti tinea exteriori & inſipida minime obductus. Hic cortex, muſco diligenter eraſo, in tenuiſſimum pulverem contritus, & cum Syr. Aurant. in electuarium redactus, laudatur ut ſpecificum in diarrhoeis. Huius Electuarii uncia ſemis vel amplius, quarta quaque hora quotidie exhibetur, per tres quatuorve dies. Dejectiones primo die frequentiores & copioſiores fiunt, ſed ſine torminibus. Altero die color fæcum in melius mutatur.

Tertio

Digitized by Google

Tertio autem vel quarto, ſi medicamentum penitus ſucceſſerit, fæces ad naturales, qua conſiſtentiam, proxime accedunt. Rariſſime fallit hocce remedium in diarrhoeis recentibus, ab inordinato victu ortis, modo febris abſit, ſi prius Ipecacuanhæ doſis ægrotanti fuerit propinata. Non minori ſucceſſu, & eadem ratione datur Electuarium iis, qui laxo corporis habitu inſtructi, cum pluvioſum ac humidum eſt coelum, in diarrhoeas facillime incidunt; imo per aliquot dies poſt curatam diarrhoeam mane & veſperi eſt continuandum, aquam oryzæ propinando pro potu conſueto, vel etiam ſi opus fuerit, emulſiones ex ſeminibus frigidis & Sale prunellæ. At ſi febris diarrhoeam comitetur, reprimenda prius erit febris venæ ſectione, & emulſionibus refrigerantibus, vel decocto albo cum Sale prunellæ.

MISCELLANEOUS WORKS OF MR. JOHN GREAVES cet.

JO. GRAVII, PROFESSORIS ASTRONOmiae in Academia Oxonienſi, Opera miſcellanea, quorum aliqua nunc primum edita ſunt, cet.

Londini 1737, Tom. I. Alph. 1. plag. 2. Tom. II. Alph. 1. plag. 12. præter vitam auctoris.

Io. Gravii ſcripta ſatis jam ſunt eruditis nota. Ea vero univerſa ſi quis duobus hiſce voluminibus comprehenſa ſuſpicetur, magnopere erraverit. Sunt enim prætermiſſa illa, quæ literas Arabicas & Perſicas ad edendum poſtulaſſent. Quamobrem fidei noſtræ ſatisfacturi, diligenter perſequemur nomina librorum, quos duo hæc volumina complectuntur. Primum igitur locum obtinet auctoris *Pyramidographia*, ſeu Pyramidum Ægyptiarum deſcriptio, cum longe plurimis additamentis & correctionibus, e quodam auctoris exemplari depromtis. Alterum, diſſertatio *de pede Romano & Denario*, a quibus veterum menſuræ & pondera ſumta videntur. Quæ res utraque, quum noſtra etiam ætate accuratiſſime ſit pertractata, explanationem noſtram ex Gravio nemo

 deſi-

deſideraverit. Tantum hic monere liceat, p. 259. & 260. Siclum ſanctuarii ideo dictum videri auctori noſtro, quod pondera in templo aſſervarentur. Neque lector noſter expectabit, ut hic demum oſtendatur, Drachmam Atticam graviorem eſſe Denario Conſulari, & Semi-ſiclo Hebræorum: Nam noſtris temporibus, non modo lancibus hæc res explorata eſt, ſed ipſa etiam liquefactione, & ceteris rei metallicæ peritorum ſubſidiis. Auctor tamen privari non debet laude ſolertiæ ac diligentiæ, in re olim minus comperta. Tomus Secundus exorditur deſcriptionem artis Ægyptiacæ, excludendi pullos gallinarum in furnis, quorum ſtructuram & incaleſcendi modum, etiam figuris additis, auctor diligenter perſequitur a pag. 359. ad pag. 363. Hanc artem, quum libris quoque Germanicis dudum explicatam eſſe novimus, hic repetendam eſſe nemo contendet. Ea ipſa auctoris deſcriptio inſerta fuit Tranſaction. Anglican. menſ. Januar. & Februar. anni 167$\frac{7}{8}$. Tum Latitudo Byzantii definitur XLI. gradibus min. VI. & Rhodi gr. XXXVII. min. L. a pag. 364. ad 371. Eam primum ediderat *Thomas Smith*, in Tranſact. Anglic. menſ. Decembr. 1685. Deinde adnotatio Gravii, ad *Johannis Dee* conſilium de Calendario decem diebus privando, ut anni inde a Concilio Nicæno elapſi ad curſum ſolis accommodarentur, integra proponitur: quanquam ea in eaſdem illas Tranſactiones menſ. Octobr. anni 1699. jam illata fuerat, a pag. 372. ad 378. Suaſerat autem Gravius, ut per annos quadraginta, dies intercalares e faſtis emitterentur. Poſtea a pag. 379. ad 392. reperiuntur Nobilis cujuſdam Montferratenſis cogitata, de amplificatione artis navigandi, a Joan. Gravio ad præfectum claſſium Anglicarum Anglice ſcripta, ex Italico ſermone converſa, nunc primum ex quodam Bibliothecæ Savilianæ MSto codice edita. Has meditationes ſequitur epiſtola Gravii ad D. Scarborugium, quæ altitudinem maximæ Pyramidis Ægyptiacæ ſpectat, in prima editione Pyramidographiæ ipſius ſignatam. Has literas excipit conſideratio Gravianæ Pyramidographiæ ab Anonymo ſcripta, ſtatim ab edito Gravii libro, nunc primum ex MSto quodam bibliothecæ Savilianæ expreſſa. Pag.

405.

405. & ſubſequentibus, legitur diſſertatio quædam de Sacro Iudæorum cubito, & aliarum nationum cubitis, in qua ex dimenſionibus maximæ Ægyptiorum Pyramidis, a Jo. Gravio factis, vetuſtus cubitus Memphitanus eſt definitus, translata ex latino Iſaaci Newtoni, nondum edito. Mox literæ comparent Gravii ad viros eximios ſcriptæ, quarum aliquæ nunc primum editæ dicuntur. Prima epiſtola queritur de indigna Cyrilli Laſcaris morte, quæ iter Gravii in montem Atho impedierit. Altera eſt Andr. Moretti latine ſcripta, in qua præter alia narrat, Angelum Ephemerides ſuas Senatui Veneto dedicaſſe, ab eodemque aureum torquem ducentorum aureorum, & dignitatem equeſtrem, accepiſſe. Tertia eſt Gravii Latina ad Claud. Hardy, qua, ex oriente redux, negat ſe Conſtantinopoli idoneum Arabicæ linguæ magiſtrum reperiſſe, attamen multos Arabicos, Perſicos, Turcicos, omnis generis ſcientiarum codices, attuliſſe, Mathematicos præſertim Græcos in Arabicum converſos, atque in his Apollonium Pergæum. Alexandriæ, dicit, ſe *pluvias media praecipue hyeme, contra receptam opinionem, & crebras & violentas* ſenſiſſe. Quarta eſt reſponſio Hardii ad petitionem Gravii, pondera & menſuras Gallicas deſiderantis. Quinta & Sexta jam alibi fuerant formis æneis exſcriptæ. Septima Jo. Haleſii Anglica, de Pyramidum Ægyptiarum uſu agit. Octava ad Jac. Golium, nomina plerorumque MStorum, a Gravio ex oriente in Britanniam illatorum, mitti ſignificat. Nona Hardii, de libris quibuſdam Mathematicis agit, præſertim *Gemini* exegeſibus Geometricis, & *Apollonii* Arabico codice antiquiſſimo, quem habeat quidam Chriſtianus Ravius, Berolinas. Decima Gravii itidem Latina, de editis ab ipſo Vlug Beigi Epochis potiſſimum exponit. Undecima nihil habet memorabile. Duodecima Franciſci Junii, narrat, reginam velle aliquem mittere in Turciam, libris græcis coemendis. Epiſtolis hiſce ſubjiciuntur experimenta Gravii, de vi tormentorum, in Tranſactionibus Anglicanis 1685. jam edita: mox fragmentum libelli cujuſdam Gravii, de montibus terræ ſecundum Arabes, ubi mons Sina miri-

Digitized by Google

mirifice varia eſſe dicitur rupes rubra ex nigro & albo colore. Quæ cauſa ſit cur Saxa ex eo aliorſum aſportentur. Proximum locum tenent obſervationes Gravii in itineribus ſuis, e bibliotheca Saviliana editæ. Eæ verſantur in declarandis memorabilibus quibusdam rebus Liburni, Florentiæ, Lucæ, Piſtojæ, Senæ, Freſcatæ, Romæ, Conſtantinopolis, Ægypti, aliunde jam ſatis notis. Poſtea exhibentur Gravii Poemata & Epitaphia, magnam partem nunc primum edita. Ergo ut appareat, qui poeta fuerit Gravius, in ampliſſima illa ſua mathematicarum ſcientiarum & linguarum orientalium laude, apponemus carmen ad Ferdinandum II, magnum Etruriæ Ducem.

Tyrrheni domitor maris, metusque
Claſſis Barbaricae nimis potentis
Regum diſſidiis, vagas per undas
Conſpirans fremit Africa, impotensque
Vindictae Libya incaleſcit ira,
Captas a Venetis dolens triremes,
Claſſemque a Venetis dolens fugatam.
Hinc ſylvas ſpoliat comis virentes,
Pinosque aereas parat carinis,
Prorisque aere recurva roſtra cudit,
Et ventis ſinuoſa vela laxat.
Concurrunt Arabes opem ferentes,
Et dextram quatiunt graves ſagittis;
Diſtringit gladium acer undulatum
Maurus, quem exacuit manus Damaſci;
Nodoſum clypeum ferox Nigrita
Vibrat, crinibus horridus retortis:
Diſperſi Nomades, greges peroſi,
Armant ſpicula livido veneno.
Omnis barbara juncta vis reſurgit,
Ut major tibi fama ſit triumphi
Patrum & ſanguine clarius trophaeum.
Submerge, Oceano favente, puppes

Infames

Digitized by Google

Infames ſcelere, & ſacris rapinis,
Et dextra aequora vindica potente,
Dux magne, auſpiciis tuis pacata!

Concludit hæc opera deſcriptio aulæ Turcicæ Conſtantinopolitanæ. Hujus magnificentia, ſupremum tribunal, conſuetudo excipiendi legatos externorum principum, perſonæ utriuſque ſexus ibi habitantes, ſcholæ, in quibus ad rem civilem & militarem adoleſcentium exercentur ingenia, inferioris ſortis perſonæ, v. c. ſcurræ, muti, muſici, Eunuchi albi, & præfecti excellentiores, item ſpadones nigri, Aethiopes & Aethiopiſſæ, puellæ & mulieres, medici, & Imperatoris liberi, coqui & culinæ, Imperatorum cibi, & ciborum ſumendorum tempora & modi, ſupellectilia & victus apparatus, lecti, xenodochia, Imperatorum hereditates & impenſæ, oblectamenta, excurſiones, libellorum ſupplicum receptio, ſtabula, & ſolennia feſta, copioſe deſcribuntur; ſed ab aliis quoque hæc jam dudum ſunt expoſita. Veteris aulæ mulieres habitatrices, connubia & liberi, ſervorum venditio & teſtimonia, religio, opiniones, clerici, tempora, ſpatia, & ritus ſacri, & mulierum mores parum religioſi, etiam attinguntur. Illud ad extremum non prætermittendum eſt, quod auctor homines quosdam, qui e ſtirpe Muhammedis propagatos ſe profitentur, omnium facinoroſiſſimos, & a teſtimonii fide ac religione alieniſſimos eſſe, teſtatur.

Gravius hic, ceteroquin, literis & literatis quam maxime ſe commodare ſtuduit, itineribus etiam ſuſceptis perquam ſumtuoſis ac periculoſis, temporum ſuorum communi ſorte non contentus. Recte igitur, editor horum opuſculorum, memoriam ejus renovare & conſervare ſtuduit.

M. GOTTHILF FRIDEMANNI LOEBERI, P. L. C. de Burggraviis Orlamundanis commentatio, documentis genuinis, & nunquam antehac editis, variisque obſervationibus, Comitum maxime Orlamundanorum hiſtoriam illuminantibus, illuſtrata.

Jenæ, ære & ſumtu Marggrafiano, 1741, fol. quart.
1 Alph. 6 pl.

Digitized by Google

Ea fuit, antiquiori ætate, illuſtriſſimorum Comitum, qui Orlamundæ principem ſuam ſedem conſtituerant, caſtrique ipſorum Orlamundani, ſplendor ac dignitas, ut, opulentia & juribus præpollentes, Comites ac Dynaſtas perplures nexu clientelæ obnoxios ſibi reddere, imo & muneribus præficere exornandis, potuerint. Quare operæ pretium facturum ſe putavit auctor libelli V. Cl. ſi tam ſplendidæ domus antiquitates, ex indubitatis, iisque latitantibus partim, documentis erueret, & Burggraviatus ſigillatim, quem Comites illi in burgo ſuo ordinaverant Orlamundano, hiſtoriam rationesque naviter veſtigaret. Id ſcilicet notatu cum primis dignum, quod vir in hiſtoria Saxonica haud leviter exercitatus, *G. P. Hoennius*, in *Stemmatogr. Saxonica p. 45.* de Burggraviis Orlamundanis pronuntiavit: *Eines iſt noch hie beyzufügen, daſs in dem Sächſiſchen Wappen-Buche, ſo in dem Geſamt-Archiv zu Weimar liegt, ein ſchwarz und weiſs geſchachtes Wappen ſich zeiget, das denen Burggrafen zu Orlamund eigen geweſen ſeyn ſoll. Gleichwie ich aber an keinem Orte von dieſer Burggrafſchafft, oder daſs ſich einer aus dieſem Orlamundiſchen Geſchlechte den Titul eines Burggrafen hätte geben laſsen, Nachricht gefunden,* cæt. & paullo poſt: *Die Grafen von Orlamunde, welche vordeſſen keine Burck-ſondern Marggrafen in Thuringen geweſen,* cæt. Huic itaque obviam ire, ac præclara obvertere monimenta, conſtituit auctor doctiſſ. &, licet δεῖγμα illud Vinariæ in prædicto inſignium libro ſuperare perhibeat, minime tamen inde conſequi commonſtrat, ut, Comites ipſos Orlamundanos, vel Burggraviatu quodam functos, vel Burggraviorum ſaltim axioma adſciviſſe, putemus. Id etenim falſiſſimum eſſe docet. Contra ea, aliam nominis iſtius rationem ediſſerit, atque ante omnia vere Orlamundanos Burggravios exſtitiſſe, ex documentis, antehac nunquam editis, luculenter evincit. Obveniunt ita in dipl. anni MCCIII, a *Sigfrido*, Comite Orlamundano, conſcripto, *Burcgravius Theodericus de Orlamunde, Burcgravius de Kirchberc,* (idem forte, ac qui nomine *Theodorici Burckgravii,* cum fratre ſuo *Heinrico,* in dipl. *Conradi,* Archi-Epiſc. Moguntini a.

MCLXXXXIII.

MCLXXXXIII. de rebus Orlamundanis conſcripto, occurrit;) & in charta *Hermanni*, Comitis Orlamundani, a. MCCXXV. data, *Theodoricus Burggravius de Orlamund.* Deinde & aliud documentum protulit, in quo a. MCCCXXVI. *Theodoricus* ſenior, Burggravius *de Aldenberge, Theodoricum* fratrem ſuum allegat, eumque, ut ex adjecto ſigillo, ceu ab *Hoennio* deſcriptum eſt, teſſellato liquet, *Burggravium de Orlamunde.* Quandoquidem ergo tum ex dipl. anni MCCIII, tum ex charta a. MCCCXXVI, (nam *Theodoricum* illum, Burggravium Altenbergenſem, e gente *Kirchbergia* fuiſſe, ex eo patet, quia Altenberga eo tempore ad proſapiam illam pertinuit, multique ex ea nomine Burggraviorum Altenbergenſium ſunt gaviſi;) ſole clarius conſtat, nonnullos ex familia Illuſtriſſimorum Burggraviorum Kirchbergenſium, etiamnum hodie florente, Burggravios Orlamundanos dictos fuiſſe; axiomatis hujus quæ ratio fuerit, quærendum maximopere videtur. Quodſi cui in mentem hic veniat, Orlamundam fortaſſis aliquamdiu ad Burggravios Kirchbergenſes pertinuiſſe, vel, ſi Burggravia quædam Kirchbergenſis in Orlamundanam domum denupſit, morganaticæ loco, vel emtionis, vel pignoris, vel quocunque alio titulo, ut quaedam eorum linea perinde nomine Burggraviorum Orlamundanorum uſa ſit, ac illa, quæ Burggraviorum Altenbergenſium nomen propterea adhibuit, quod Burggravii illi Kirchbergenſes, eſſent Domini Altenbergæ: is agitet ſecum, id plane fingi, Orlamundam aliquamdiu ad Kirchbergios pertinuiſſe, qui ne caſam quidem ibi unquam tenuerunt, imo ipſum *Hermannum* Comitem, eo tempore, quo maxime floruit, *Theodoricum*, Burggravium Kirchbergenſem, Burggravium Orlamundanum, adducere. Et quid, quæſo, fuit, quod Burggravii nomen repetiit, niſi alia ratio ſubſuit? Nunquam Dynaſtæ illi Altenbergenſes, dixere ſe Burggravios Kirchbergenſes, Burggravios Altenbergenſes, verum ἁπλῶς Burggravios Altenbergenſes, vel *in Altenberge.* Veniendum autem ad id, quod res eſt, & in quo merito auctor noſter momenti plurimum eſſe ſitum arbitratur. In diplomate videlicet a. MCCLXXVIII. commemorat *Hermannus*, Comes Orlamundanus,

danus, *Judicium ſuum Orlamundanum, quod vocetur Burchtinck, & Judices ſuos,* manifeſtumque reddit, ampliſſimum illud, & ſplendoris magni fuiſſe; ſiquidem & capitale fuit, & civili juriſdictione præditum, eaque auctoritate floruit, ut nomen civitatis Plebani, qui revera erat Prælatus, deferri aliquamdiu ad id potuerit; judicium, inquam, quod, præter judicium oppidanum, & forum Advocatiæ, Orlamundæ, in caſtro dominante, forſitan ut forum clientelare viguit, ac præter Burggravium, ſive Judicem Burgenſem, Scultetum forte & Scabinos habuit; & cujus quoque hodie veſtigia quædam occurrunt. Nonne igitur Judicium hoc Burgenſe habuit Judices Burgenſes? & nonne Judices tempore illo vocati ſunt *graſen, greven?* Hoc argumento dubium facile illud labefactatur, nunquam medio iſto ævo Comitem habuiſſe Burggravios. Nam, quod *Seldenus* jam docuit, vox Burggravii, vel ſecundum litteram, vel ut ſingulare dignitatis nomen, accipiendum eſt. Cur vero Comes non poſſet Judicem ſuum Burgenſem habuiſſe, eumque, more ætatis illius, *Burggravium, Burg-Richter,* adpellitaſſe? Imo cur id potuit Nobilis quidam, qui Judicem ſuum *(ſeinen adelichen Richter,)* dixit: *einen Burggraven,* ut patet ex charta a. MCCCLXXIII. in Perill. *Ludevigii Reliq. Tom. IIII, p. 29?* Ecquis igitur in dubium vocarit, Burggravios quoſdam Kirchbergenſes, Orlamundæ Judicio illi burgenſi præfectos, dictoſque ideo Burggravios Orlamundanos fuiſſe? ſive Adminiſtri ea propter, ſive Vaſalli Comitum Orlamundenſium fuerint. Nam & neutrum dignitati ipſorum officere potuit, & Vaſalli Orlamundani alio jam nexu fuere, quemadmodum in perſpicuo documento, *Otto,* Burggravius Kirchbergenſis, *Hermannum*, Comitem Orlamundanum, *honorabilem Dominum noſtrum* vocat. Unde & conſentaneum eſt, teſſellatum illud ſigillum, conſuetudine priſci ævi, ſigillum judiciale, *ein Amts-oder Lehnſiegel,* poſtque, antiquo itidem more, gentilitium factum fuiſſe: ſicut & a. MCCCLXXXX. a *Theoderico,* Burggravio Altenbergenſi, & jam a. MCCCXXVI. ab alio Altenbergæ poſſeſſore, ex familia item *Kirchbergiorum* oriundo, adhi-

Digitized by Google

adhibitum eſt. At non ſolum inde, quod burgenſe munus obierint, Kirchbergenſes Orlamundenſium Burggraviorum nomen geſſiſſe, auctor noſter autumat, verum & alia de cauſſa, nempe ob caſtri defenſionem, quæ ad illos pertinuit. Nam & Orlamundanum caſtrum amplum, & pro ſæculi antiquioris genio ſatis munitum fuit; & *Caſtrenſes Orlamundani*, Nobiles puta & Miniſtri, qui Dominum quendam Caſtrenſem, ſive Caſtellanum & Burggravium omnino inferunt, alter *Crumſtorffius*, in dipl. a. MCCLXXVIII. alter *Schützius*, cujus poſteritas Orlamundæ tenuit *das Burckguth*, in dipl. a. MCCLXXXXI. nominantur; & media ætate ſæpe id factum eſt, ut tales defenſores arcium, vel Ducum, vel Comitum, ſe Burggravios, aut etiam Caſtellanos nuncuparent. Id igitur auctor exercitationis hujus clariſſime evicit, veroſimile admodum videri, quoſdam e Burggraviorum Kirchbergenſium familia, non munere duntaxat burgenſi Orlamundæ functos, ſed & defenſioni burgi invigilaſſe, feudoque idcirco caſtrenſi forte, ſive burgatico, fruitos, ac ſubjectos Orlamundanis Comitibus clientelari jure, fuiſſe. Nam Imperatorium quendam Burggraviatum Orlamundæ floruiſſe, nec probari ullo ex documento poteſt, nec conficti illi, & a rudi quodam ſcriba, aut forte monacho, diſpoſiti quaterniones Imperii, in quibus Orlamunda villas inter Imperii refertur, innuere id valent; & *Hermannus*, Orlamundenſis Comes, quum dipl. a. MCCLXXVIII. Plebani Orlamundani colonos ab oneribus Judicii burgenſis exemit, conſtitiſſe ſuis iſthoc forum auſpiciis demonſtravit.

Sed præter hæc auctor doctiſſimus adhuc bene multa in luce locavit, quæ partim ad hiſtoriam Burggraviatuum, partim ad hiſtoriam & ſtemmatographiam non modo Burggraviorum Kirchbergenſium, ſed & Comitum Orlamundanorum ſpectant; imo & alia quædam colluſtravit, egitque v. g. de origine & uſu vocis *tingh* vel *ding*; de feudis officialibus, quæ Duces Comiteſque, ſuperioritatem, quam territorialem vocant, adepti, atque æmulati Reges, certis Vaſſis ſuis, qui in aula ipſorum, judiciaria, aliave munera ornarint, conceſſerint; de nexu vaſalliagii paſſim & feudis vexilli; utque documentum illud ſuum a. MCLXXXXIII. chronologico

Digitized by Google

mendo haud laborare planum redderet, quæſtionem, num Henricus Auceps vere Imperator fuerit; genuinam rationem computationis, quæ *indictio* dicitur; axiomatis quoque, *Dei gratia*, a Comitibus Orlamundanis adhibiti, aliaque expoſuit. Ad hiſtoriam Burggraviatuum quod attinet, ex juris publici ac feudalis antiquitatibus eam protulit, ubique fere, vel diplomatibus genuinis, vel ſcriptoribus haud indignis, innixus. Simul tamen opiniones quorundam, quas nec negavit, nec amplexus eſt, recenſuit, pluriumque circa arduum & difficile hoc argumentum hallucinationes modeſte notavit. Hinc de nomine Burggravii, ejuſque originatione, voce axiomati Caſtellani æquali, uti contra *Stubnerum* evicit, ac ſigillatim de vera diverſaque origine Burggraviatuum ita diſſeruit, ut Burggravios in Epiſcopatibus & Monaſteriis, Advocatia armata, non oeconomica, functos, (qua occaſione de Eccleſiæ Advocatis dilucidiſſime egit,) ab iis, qui in urbibus imperialibus, vel arcem defenderunt, vel alia munia ornarunt, curate diſtingueret, utrorumque dignitatem, jura, prærogativas, emolumenta, hiſtoriamque evolveret, & quod maxime ad Magdeburgenſes, Norimbergenſes, Rotenburgenſes, Altenburgenſes, alioſque Burggravios, varia, adhuc paucis nota, in luce locaret. In hiſtoria Burggraviorum Altenburgenſium, nonnulla, quæ a Celeberrimo viro, *C. Schoettgenio*, cui hiſtoriam Burggraviatus Altenburgici, ſcite eleganterque ſcriptam, debemus, prætervifa fuerunt, attigit. Sic Burggravios Altenburgenſes, Marchionibus Miſnenſibus, ob clientelam Burggraviatus obnoxios fuiſſe, minime veritatis viribus inniti, ex duobus documentis irrefragabilibus, quorum alterum a. MCCCXXIIII, alterum a. MCCCXXVIIII ſcriptum eſt, comprobavit, ac, poſtquam exaruerat Burggraviorum Altenburgenſium a Cæſare conſtitutorum ſtemma, perveniſſe ſplendidiſſimum eorum Burggraviatum, tamquam Cæſareum feudum, ad Marchiones Miſnenſes, horumque heredes, edocuit; ſimulque Mechtilden, *Ludovici Bavari* filiam, non a. MCCCXXVIIII. demum nupſiſſe *Friderico Gravi*, Miſniæ Marchioni, ut vult *Fabric. Origg. Sax. lib. VI, fol. 640*, ſed jam a. MCCCXXIIII, ut patet ex edito

edito a ſe illo documento, oſtendit. Monitum præterea ab eo, Burggravios Altenburgicos, & cum Altenbergenſibus, & cum Judicibus terræ Pliſnenſis, etiamſi nomen eorum uſurpaverint, confuſos; uberiorque Burggraviatus Altenburgici hiſtoria promiſſa. Hactenus de Burggraviis a Cæſare conſtitutis, e quibus, auſpicio *Rudolphi Habſpurgici*, a veteri ſorte Magdeburgici cumprimis receſſere, & Norici; quumque ante eum infra Principum dignitatem eſſent, Principibus coepere æquari, Norimbergenſes quoque a *Karolo IIII.* in Principum dignitatem evecti, & a *Ruperto* Imp. de Principatu inveſtiti ſunt. Addidit quædam V. Cl. de Principali dignitate Burggraviatus Miſnici, atque ad quæſtionem, cur reliqui Burggravii Imperatorii, in Comitum vel Dynaſtarum ordine perſtiterint, neque ad Principum honorem evecti pariter fuerint? reſpondit; poſtque de Burggraviis Epiſcoporum, Ducum, Comitum, imo & Nobilium, in primis de Burggraviis in ſedibus Ganerbinatuum, & in Civitatibus conſtitutis, ut & de Bohemicis, Pruſſicis, Polonicis, haud perfuſorie diſſeruit. De illuſtriſſima Burggraviorum Kirchbergenſium proſapia, ejuſque & antiquo & hodierno ſtatu; de inſignibus ejus; deque Altenberga, quam poſſederunt hi Burggravii, eorumque ibi ſucceſſione, dum vicus ille Comitibus Gleichenſibus, aliiſque, nominatis ab auctore, ceſſit; de variis item ſcriptis, unde peti debeat hiſtoria ampliſſimarum Kirchbergenſium neceſſitudinum, ope documentorum, partim editorum, partim nondum publicatorum, expoſuit. Hiſtoriam maxime eorum Burggraviorum Kirchbergenſium, qui Orlamundani Burggravii fuerunt, veſtigare conatus eſt. Superſunt Comites Orlamundani, qui Burggraviorum Orlamundenſium domini fuere, quorumque hiſtoria, in antiquitatibus Thuringicis enucleandis, paginam ferme utramque facit. Non igitur tantum de civitatula, Orlamunda, cujus & icon in fronte ſcriptionis expreſſa eſt; de arce Orlamundana, diruta hodie; de Scriptoribus hiſtoriæ Orlamundanæ, maxime de Avi ſui, *Chriſtophori Henrici Loeberi*, Præſulis Orlamundani, hiſtoria Orlamundana eccleſiaſtica, quam a calumniis, & puerili maledicentia, Quakeri cujuſdam, *Kolhanſii*, defendit; de Judiciis, quæ hodie Orlamundæ florent,

florent, Judicio præſertim burgenſi; de monaſterio Orlamundano; de Plebanis item & Viceplebanis Orlamundenſibus, multa monuit, & inſignem errorem circa notionem vocis Plebani, in nova *Gloſſarii Freſniani* latini editione obvium, taxavit, ſed & accuratiſſima quævis, ex documentis editis partim, partim a ſe primum publicatis, vel excerptis, hiſtoriiſque multarum familiarum inſervientibus, de Comitibus ipſis, eorum inſignibus, juribus, poſſeſſionibus, monetis, maxime ſtemmatographia, proferre inſtituit. Hinc poſtquam de fabulis, quas in Orlamundanam hiſtoriam, ſcriptorum inſcitia, atque temeritas invexit, deque lite, quæ vertit eoſdem inter, de gentis natalibus, non certe a Vitechindo repetendis, egit, ſuamque ſententiam indicavit, qua Orlamundanam domum, originis Franciçæ eſſe putat: ſtemma primum veterum Comitum Orlamundanorum, qui & Comites *de Wymar* dicti, & ob Marchiam Thuringicam, tam orientalem, quam ſeptentrionalem, cui ſuperfuere, ob nexum quoque neceſſitudinis cum Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Palatinis illuſtriores facti ſunt, exhibuit, & ſub calcem opellæ in tabulam redegit; deinde ſtemma eorum Comitum Orlamundanorum, quorum ſator fuit *Albertus Urſus*, Marchio Brandenburgicus, quique ob cognationem cum Regia Danorum ſtirpe, ob poſſeſſiones ſuas Holſaticas & Ratzeburgicas, (qua occaſione varia ad Hiſtoriam urbium Hamburgi & Lubecæ ſpectantia illuſtrantur,) ob hereditatem ſuam Meranienſem, ob inſigne quoque, cui ſucceſſu temporis obnoxii facti, decrementum, omni ævo illuſtres manebunt, excuſſit, itidemque in fine exercitationis tabulas duas adjecit. Supereſt, ut, cum potiora momenta libelli egregii ſummatim jam dederimus, cum auctore noſtro rivos claudamus, moneamuſque lectores, *ut animadvertant memorabilem familiarum periodum, quam nemo ita tranſmittit ſenſu profano, quin ſanctiora concipiat animo, & de aequali hominum conditione, & de Principum aeternitate caduca.*

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VIII Sectio II.

COMMENTARIUS AD L. DECEMVIRALem de inope debitore in partes diſſecando: quem in ſcholis juridicis Cantabrigiæ Junii XXII. 1741. recitavit, cum pro gradu ſolemniter reſponderet, JOANNES TAYLOR LL. D. Collegii D. Joannis Socius. Accedunt a viris eruditiſſimis confectæ, nec in lucem hactenus editæ, Notæ ad Marmor Boſphoranum Jovi Urio ſacrum; Diſſertatio de voce Ponane; Explicatio inſcriptionis in antiquo marmore Oxon. & de hiſtoricis Anglicanis Commentatio.

Cantabrigiæ, typis Academicis excudebat J. Bentham. Veneunt apud G. Thurlbourn Bibliopolam Cantabrigienſem, R. Manby, & C. Bathurſt, Londinenſes. 1742. 4. maj. plag. 12.

Elegantem Celeberrimus *Taylor*, neque expeditam ſatis, Antiquitatis Romanæ particulam illuſtrat, in qua eruenda ex tenebris, & ad ſummum probabilitatis gradum evehenda, præſtantiſſimi etiam viri, omnes ingenii nervos intenderunt. Nemo ſane tam in his litteris hoſpes eſt, ut hæc *Gellii* verba, ex LL. XII. Tabb. deſumta, temere ignoret:

 tertiis

tertiis nundinis partes ſecanto: ſi plus minuſve ſecuerint, ſine fraude eſto. v. *Noct. Attic. lib. XX. c. 1.* De debitore, ad inopiam redacto, eſſe hic ſermonem, omnes largiuntur; ſed hoc crucem conſtituit artis criticæ amatoribus, quænam vera ſit vocis *ſecare* ſignificatio. Sunt enim, qui hanc ipſam vocem intelligunt proprie, & ad ſectionem *corporis* reſpexiſſe Decemviros arbitrantur: ſunt contra, qui hæc talia ſuaviter rident, longeque aliam legis, eamque mitiorem, eſſe ſententiam contendunt, indicari nimirum ſectionem *bonorum*, auctione publica peragendam. Quam interpretationem quum commendaverit præcipue *Corn. van Bynkershoek*, decus quondam Belgii ſui: doctiſſimus Auctor, fatis debitorum in Jure Romano a prima gentis origine repetitis, tanti viri ſigna ſequi non dubitavit. Neque tamen eadem prorſus chorda oberrat, ſed; quod iam in mentem venit *Chriſtiano Godofr. Hoffmanno Vol. II. Hiſtor. Jur. Rom. p. 181.* verba *Gellii: capite poenas dabat*, de capitis deminutione maxima agere, animadvertit, ut ſcilicet debitor obæratus, capite, ſive libertate minutus, operas pro pecunia ſolveret, aut venum daretur. *Inanis enim,* inquit, *& futilis alternatio: aut morte poenas dato, aut peregre venum ito. Nam ſi in arbitrio eſſet debitoris, quis non mallet & ſervitutis & exſilii extrema quaeque, quam ſupplicium certum & atrociſſimum, quod unquam excogitatum fuit, experiri? Sin autem Foeneratoris, quis eorum tam amens, aut conſilii vacuus, ut quae ſola ſpes ſupereſſet debiti olim recipiendi, eam ſanguine potius interciperet?* Sed quod ad debitorem attinet, vix opinari aliquis poterit, in ejuſdem fuiſſe arbitrio poſitum, malletne capitis poenam, an venditionem, eligere. Res ipſa potius docet, creditorum cauſſa hæc fuiſſe conſtituta, qui, ſi mites eſſent, & ad rem ſuam attentiores, permiſſa venditione, & ſervare debitorem, & ſibi quodammodo proſpicere poterant: ſin autem acerbi eſſent, graviterque læſi a debitore doloſo, licebat iiſdem ultimum in debitorem ſupplicium ſtatuere, ut homines ita libere, ac, propoſito quaſi præmio quodam, fallaces, tamquam peſtiferum impiumque genus, ex hominum communitate exterminarentur, aliique ejuſ-

Digitized by Google

ejuſmodi exemplo, quam turpe ſit fidem fallere, diſcerent. Inde quoque rationem nullam videmus, cur Celeberrimus Auctor creditores hac in re *amentes, aut conſilii vacuos* dixerit. Recte enim reſpondet illuſtris vir, *Auguſtin. a Leyſer, Medit. ad Pand. Vol. VII. p. 420. Sed inutilis haec ſectio creditoribus fuit.* Eſto. *Etiam laqueus, quo fur ſtrangulatur, laeſo inutilis eſt, atque tamen boni publici cauſſa dictatur.* Ut vero doctiſſimus *Taylor* majus conjecturæ ſuæ pondus conciliaret, locis quibuſdam, ex antiqui Latii ſcriptoribus depromtis, oſtendere ſtuduit, *caput* nonnunquam pro ipſa libertate ſumi. Quæ quidem habere locum videri poſſent, ſi debitor uni tantum creditori eſſet addictus: ſi pluribus, non æque. Subjungit igitur, verborum: *tertiis nundinis partis ſecanto,* non eum fuiſſe ſenſum, ut homo in partes, ſed ut hominis partes ſecarentur, i. e. operæ, ſervitia, miniſteria, communiter dividerentur inter foeneratores communes, ſervuſque eorum communis fieret, qui quidem adfuerint, & ſine fraude eſſet, ſi cæteri toties procitati, ſuas quoque partes in debitore non vindicaverint. At quid ſequentia ſibi verba volunt: *ſi plus minuſve ſecuerint?* Silentio hæc Auctor prætermittere, quam ſuam de iis dicere ſententiam, maluit. Noſtrum non eſt, in argumento difficillimo judicis partes ſuſcipere; id tamen, pace clariſſimi viri, profiteri liceat, non uni forſitan dubio eſſe adhuc obnoxiam eiuſdem interpretationem, ingenioſam alioquin, nec lumine deſtitutam elegantiorum litterarum. Quæ adjectæ ſunt huic Opuſculo Commentationes aliorum, argutæ ſunt maximam partem, & interiores artis criticæ theſauros recludunt. Sunt autem lingua partim Anglica, partim Latina, conſcriptæ. Explicatio Inſcriptionis græcæ in antiquo marmore Oxonienſi, & commentatio de ſcriptoribus Anglicanis, auctorem habent *Thomam Barlow,* Bibliothecæ Bodleianæ ſæculo ſuperiori præfectum, Collegio Reginenſi præpoſitum, tandemque Epiſcopum Lincolnienſem, qui, quum in priori libello, de urbibus Neocoris quædam parum adcurate diſſeruiſſet, præſtantiſſimus Editor, *in praefatione p. 8. ſq.* ipſe aliquid de Neocoris protulit, cum, ne aſym-

 bolus

bolus plane ab hac quæſtione recederet, tum ut *Barluvii πα-ρογάματα* aliqua, ut ipſe ſcribit, detegerentur.

JO. GVIL. BERGERI ECLOGARIUM Corſicum.

Vitembergæ, prelo Ephraim Gottlob Eichsfeldi, Academiæ a typis. A. cIↄ Iↄ CC XLIIII. plag. 14. in 4.

Continet iſtud illuſtris ac celeberrimi viri eclogarium tres diſputationes, ipſo præſide habitas. In illarum prima David Heinricus Kleeditz, in altera Jo. Frid. Egeling, in ultima Sam. Gotthelf Petri defenſores fuerunt. Nomen libro commune ab Auſonio ſumtum eſt, quando is e pluribus elegantis doctrinæ partibus plura decerpſit, ut ſelecta rerum varietate delectaret. Quamvis enim unus Corſicæ locus, varia tamen ex antiquitate ſpectatur. Nobili de Berger, in ejuſmodi cogitationem incumbenti, quod nemo dubitabit, familiaris veterum ſcriptorum uſus ſuppeditavit plurima, de quibus non niſi ſelectiora quædam hic delibare, ac nobis interim reliquorum ſitim, non tamen ſine ſpe, excitare tanto vehementiorem, placuit. Obſcuram invenit rerum Corſicarum memoriam, neque explicatam ſatis ab aliis, a quibus majus utique lumen exſpectaſſet. Vetuſtos in primis auctores, Græcos maxime, quorum principes Diodorum Siculum Strabonemque ponit, adeo inter ſe diſſentire miratus, eos primum in gratiam reducere ſtuduit; cumque id facere non poſſet, ad ſeveritatem judicii rem omnem vocavit. Sæpius quippe videt, apud ſcriptores non minus, quam apud vulgus, famam plus quam veri perveſtigationem valuiſſe. Atqui ejusmodi argumenta diſputationibus eſſe publicis convenientiſſima judicat ex æquo; habere addens hoc diſputandi genus tantum rationis, quantum cetera, quæ ſolis fulciantur rationis adjumentis, ſed idem plus ſimul eruditionis. Separatim omnino poſtulat exquiſitiorem cognitionem linguarum eruditarum, quam non imbibas cum lacte matris; atque alias præterea liberales artes, multiplicemque ſcientiam deſiderat. Sed hoc idem eſt novum

novum incitamentum, quo moti ad rem ipſam properamus. Prima diſputatione occaſio ſcripti, proximi tunc iſta in inſula motus, oſtenditur. Hoc de regno quid ſentiant Genuenſes, Hieronymus de Marinæ, ejus reipubl. patricius, in theſ. Ital. Græv. Vol. I. p. 1484. ſignificat, dum, *Corſica*, inquit, *nobiliſſima eſt Genuenſis dominii pars.* Inde & pro eadem bella geſſere jam olim graviſſima, cum Piſanis, cumque Arragoniis. Robore quantum præſtet inde patet, quod Liguria & Corſica centum fere millia hominum, qui arma ferant, præbere dicuntur. Habet quoque Genua ſilvas in Corſica cæduas, navibus claſſibuſque ædificandis. Neque Corſicæ diſplicet Francogallia, quoties Corſis Maſſilia, domo cum familia profugis, proximum dat receptum, hoſpitioque receptos liberaliter habet: neque Francogalliæ Corſica, quo commode trajectis, ex portu maxime Maſſilienſi, copiis, in Italia, tum maritima, tum interiore, belli facilius gerendi magna facultas datur. Immo vero inſulæ ſitus prudentiſſimo cuique tam opportunus videtur, ut ex Corſica credant poſſe fieri maris inferi clauſtrum, injicique frenum Italiæ cunctæ. Corſi autem ipſi ſolent mordere frenum, quoties vim putant legibus antiquis inferri. Se liberos ferunt, & cives originis Romanæ, quam Romanorum coloniæ intulerint, nec aliis uti legibus, quam ſuis, volunt. Quibus ingenia gentium ac ſtudia, hiſtoriarum monumenta demonſtrant, perſuaſum eſt, Corſos mobilibus animis rerum novitati ſtudere; amore tamen quam metu contineri facilius. Poſt commemoratos rerum Corſicæ & locorum ſcriptores, in inſulæ nomen inquiritur. Atque tam hodiernum, quam antiquum Cyrni, originis eſſe Phoeniciæ cenſetur. Iſthac anſa excepta, variorum hiſtoricorum, in primis Annii Viterbienſis errores, quam accuratiſſime luſtrantur ac refutantur. Altera diſputatio ad rem ipſam progreditur. Corſica eſt inſula maris inferi, qua Ligures ſpectat, Liguſtici, qua Etruſcos, Tuſci, ſed propior littori Tuſco. Tabulas ejus geographicas, quæ diligenter hic nominantur, habemus plures. Atque illæ ipſæ, tam novi quam antiqui temporis, magno hic eſſe uſui poſſunt, ſi conferantur. Dividitur Corſica in Ciſmon-

Digitized by Google

tanam, orientis, & tranſmontanam occaſus. Harum omnium partium primariæ urbes exhibentur, quas inter, nec, quæ nunc caput eſt, Baſtia, quondam ignobilis fuit. Omnes autem Corſicæ civitates fama præcurrebant duæ, *Mariana* atque *Aleria*, coloniæ Romanæ. A Cajo Mario ducta eſt altera; altera colonos accepit a Sylla. De coelo ſoloque Corſicæ, admodum diſſentiunt antiqui. Sunt qui vaſtam, barbaram, horridam, terribilem dicunt: ſunt qui mitius omnino pronuntiant. Atque hac data occaſione, refutatur Strabo; calculus adiicitur Diodoro, qui Corſicam ipſe, ut videtur, obiit, ac propius exploravit. Ita & Theophraſtus, qui plurima Corſicæ commoda tribuit, emendatur, non tam ſecundum ſenſum, quam ad verba quod attinet. Ex iis quæ Corſica quondam tulit, reſinæ, cera, mel, præcipue laudantur, ut & omni ferarum varietate & copia Corſicam inſtruit Timæus; ac vetus iſte poeta, qui omnibus naturæ bonis inſulam exuere laborat, piſcium tamen ei copiam relinquit. Ex Corſicæ autem fluviis duo præſertim inſignes habentur, Tauola & Rhodanus. Alter nunc Golus dicitur; alter Tavignanus. Additur tertius Liamon. Saxa etiam habet Corſica notabilia, lapideſque non ignobiles. Hos inter potiſſimum eminet Amiantus, integritatis ſuæ tam retinens, ut quamvis in ignem ſordidus coniiciatur, nihil ſui deperdat, ſed, exuſtis ſordibus, nitidus atque ſplendeſcens extrahatur. In hoc exponendo fuſior eſt Bergerus, nominatim, quod inde chartam eſſe factam memorant. Nos jam ultima diſputatio allicit. Licet, ut diximus, plura ſaxa, plures ſaltus aleret Corſica, eadem tamen non impedivere Romanos, quo minus penetrarent, viiſque militaribus ſuis conſcinderent inſulam. Neque piratarum metus illis fraudi fuit, quin potius portuum multitudo incitamento; quippe qui æque magni nominis fuere ac promontoria Corſica. Sed multo magis fructifera terræ conditio, vinum maxime, hodieque expetendum, proferens. At tamen a Corſica tranſit ad Corſos noſter. Illi duplicis ſunt generis: alteri origine & domicilio, alteri in colonias qui exierunt. Hos in Sardinia reperias, quo refugerunt patriæ ſolo per ſeditionem depulſi. Feminæ Corſicæ non tam delicate habe-

Digitized by Google

habebantur ac Romanæ, præſertim puerperæ: quin potius virilem præ ſe ferebant animum, vel tempore bellorum Lacænis haud diſſimiles. Quo vero inter ſe humanius vivebant; hoc peregrinis ferociores fuiſſe dicuntur Corſi, ita ut proverbio Græcorum, *κυρνία ἄτη, Cyrnicum malum,* celebraretur. Eodem pertinet magna prædandi licentia. Neque tamen piraticam modo artem exercebant, ſed juſtis quoque bellis, maxime cum Romanis, fortitudinem oſtendebant ſuam. Nihilo minus plures habemus Romanos, triumpho de Corſis nobiles. Cæterum & hodie viget Corſorum virtus, unde plurium gentium militiæ inſeruntur. Sed etiam exercitus regere norunt, quod tot inter illos nobiliſſimi exercituum præfecti demonſtrant. Antequam vero de Corſica nova non nihil commemorat A. mediam pariter tangit, adeoque de hac inſula quidquid ad inſtitutum ſuum ſpectat, largiter atque abunde, ſtilo ſimul ut ſolet elegantiſſimo, exſequitur conſummatiſſimus Bergerus, aliquot abhinc annis Academiæ ſuæ ereptus.

JOH. FRIDER. CHRISTII, VILLATICUM libris III. inſunt ruſticationis laudes, villæque amœniſſimæ deſcriptio, pars olim Suſelicii titulo prodiit. Nunc totum novum eſt: accedunt Excurſus in hiſtoriam pagi Suſeli, in res antiquas, in litteras diverſas, & cum his Tiburtinum, Surrentinumque Statii; Moſella Auſonii; Alia veterum atque recentiorum ſuper locis amœnis carmina denuo recenſita.

Lipſiæ, impenſa viduæ B. C. Fritſchii A. C. N. cIↄ Iↄ CC XXXXVI. 8. 1 Alph.

Qui Suſelicium quondam cel. auctoris, qui alias tractationes, lætantes & plaudentes amplexi ſunt: quæ hic publico donat commodo ingenii documenta, multo minus ſeponent, quin plenam & huc ſitim adferant. Unus ille eſt de paucis, in Germania noſtra, qui juſtum elegantioribus litteris pretium ſtatuant, ac Latinam in primis poeſin, eamdemque politam & antiquam, commendent;

neque

Digitized by Google

neque Græca negligant carmina. Erat jam olim, cum parte, ac velut veſtibulo villatici, præfatio publicata, quæ in defendenda Latinorum poeſi verſabatur. Eam, præclare facit, dum nunc auctam repetit inter excurſus. Nimirum & exemplo vult docere, & monitis, rarus atque eximius magiſter. Immo vero regulas pariter poeticæ artis primarias inculcat. Sed cum hoc ſaltem obiter fiat, ac præter opinionem, brevius per exemplum iter, legendum ac repetendum, non enim longum fuerit, in duplici quaſi vireto ambulanti, commendamus. Nolumus igitur quidquam indidem excerpere, ut tota maneat amoenitas. Verſus modo addimus, quibus obſignavit atque impariter junctorum ita reddidit rationem:

His patria procul & fallens ignobilis oti
Tempora, ſolvebam Chriſtius ora modis.
Quae pedibus pariter ſenis modulanda fuiſſent,
Fregi elegis, elegi res decuere meas.

pag. 49. Properamus ad Excurſus, quorum de Suſis primus eſt.
Mentionem jam illorum faciunt in Chronicis Slavorum, Helmoldus, & Adamus Bremenſis, qui Slavicis populis, una cum
51. Boemis & Sorabis accenſent. Alias vocantur Siusli, ſæculo
52. in primis XIIII. valentes. Alter excurſus eſt de pago Suſeli,
vel Suſelitio, Germanos inter *Seuſeliz*, qui non procul abeſt
56. Haganoa, ſitus ad Albim. Urbem noſter, *Groſſen Hayn*,
Fanum majus adpellare voluit: cujus de tractu ſatis accuratam mappam geographicam dedit *Adam Frid. Zürnerus.* In eadem non pauci pagi reperiuntur eorum, quos, adpendicis
63-72. loco, ſiſtit cel. *Chriſtius*, ſub titulo: nomina locorum, quibus, quem ad modum prætorianus, & mox ſodalitatis ager, ita propemodum, unde illa ſunt orta, pagus quoque Suſelicius ab antiquo deſcribendus videtur. Nos, conjecturis, quæ nobis ea occaſione in mentem venerunt, cum præterea nihil ſint, poſthabitis, ſaltem duas præcipuas obſervationes,
66. ſq. ex indice iſto excerpimus. Nimirum ad *Groſſen Hayn* notatur, quod oppidum veteres eo tempore indaginem vocarint. Sed nos vocabulum, velut Hagen, (Geheg, Hecke) vel ſilvam incæduam interpretamur, vel, quod eſt potius, & ad uſum

ſermo-

Digitized by Google

ſermonis propius, Lucum, aut Fanum. Nam nobis hodie quoque, Hain, Lucus eſt, dein Han & Frohn, ſanctum. Hic quoque nonnulla poſſediſſe ſodalitatem Suſel. diplomata faciunt fidem. Nam ut e pagis præfecturæ conſtitutæ: ita prætorium Suſelicii, & poſt ſodalitas, quaſdam velut pagi veteris reliquias in diverſis præfecturis, Miſnica, Fanenſi, Dreſdenſi, Oſſitiana, Cremenſi, Turgaviana, Lipſica, ideo ſervaviſſe potius, quam recens quæſiviſſe creditur: quia ſic Henricus illuſtris contulit, quod ſine injuria fieri vix potuit, ſi ſumenda iſta erant, non relinquenda primum prætorio, mox, e re prætoriana, Virginibus. Ad *Seuſelitz*, & alias *Suſeli*, no- pag. 70.
bis, ad rationes ſermonis Latini, Suſelicium, totius pagi caput, ac vetuſtiſſima Suſorum, deinde Marchionum ſedes & palatium, quo tempore & principalis domus, & opidi nomine, locus claruit. Poſt illa coenobium factum, rarius adiri principibus viris, & tum potiſſimum, cum venationi operam darent, coepit. Huſſitarum præterea incurſionibus & incendio vaſtatum, priſtinum ſplendorem paullatim exuit. Hodie vicus eſt non infrequens, cum amoeniſſima cultiſſimaque villa, qualem nos ex fide & vero potius, quam ſecundum libertatem rei poeticæ, deſcripſimus. *Excurſus* III agit de vetuſtiſſimis 72.
Suſelicii dominis, quos inter memorantur Fridericus comes, Ilenburgi dominus, Tidericus II. Dedonis I. filius, comes Merſeburgenſis, Dedo II. Tiderici II. filius, Luſatiæ inferioris, quibuſdam Miſenenſis marchio, ejus filius Heinricus, Heinrici filius poſtumus, Conradus Thiemonis marchionis deſignati filius, Tiderici II. nepos, Tidericus Conradi filius alter, Otho Conradi filius, Miſenenſis marchio, dives, ejus filius Albertus, & alter Tidericus, cui unus ſuperſtes Heinricus, cognomine illuſtris, hujus filius, Tidericus ſapiens, Landisbergæ Marchio, & hujus filius, Fridericus Teuta. Sequitur 80.
Exc. IIII. de ſitu villæ Suſelicianæ, V. de Albi fluvio. Super 83.
ejus nomine opinio non vana. In Eridanum Ludov. Carbonis ecloga. Pons Dreſdæ, atque ibi Heinrici Clivenſis ecloga. Vitæ ruſticæ laudes qui maxime ſcriptores celebraverint, & qui villas, memorantur. *Exc.* VI. de partibus villarum, urbana & ru- 89.

ſtica, de luſibus amorum ingenioſis, quos, repetito e monumentis exemplo, verſibus ſuis dixit elegantiſſimus poeta. Urbanum, antiquis præeuntibus, nominat, quidquid habitationis aut voluptatis cauſſa conſtitutum eſt, etiamſi medio ſit in rure ſitum: ruſticum, quidquid ad uſum agriculturæ, & ad fructus capiendos condendoſque, etiamſi in urbe. *Ext.* VII.
pag. 93. inſcribitur: Horti veterum quales? quot partibus diverſi. Villæ autem, noſtrarum ingenia omnia & regales luxus ſuperabant.
94. De Poſidis & Calliſti tectis. Marmora veterum. Vectura columnarum, alia id genus. Nulla pars hortorum hodie intelligi poteſt, ornatus nullus, cujus non modo imaginem, verum etiam vocabulum proprium, non expreſſerint antiqui. Viridium, viridiariorum, xyſtorum, violariorum, nemorum, ſalientium, ornithonum, ὑπαμπέλων, aliarumque id genus rerum argumenta, humilia modo viſa ſunt Maroni & Columellæ, qui in naturæ ingenio ac divitiis ſcribendis ſubſtiterunt.
95. Conferri autem meretur Achilles Tatius ἐρωτικῶν L. I. pag. 50-54. ed. Salmaſ. Sunt ibi ἄλσος nemus, τὰ ἄνθη roſarium,
101. ἐν μέσοις δὲ τοῖς ἄνθεσι πηγή, cetera. Sequitur *Octavus* de Lipſiæ urbis nomine, ad L. II. villatici v. 149. ſq. ubi ad tiliam directo ſermone:

Silva tui generis quam nunc praecingit, & olim
Nomine ſignavit, Lipſia noſtra, Slavo.

104. *Nonus* eſt de Heſperidum malis, ubi ſimul de germanicis ſuis
109. carminibus non nihil excerpſit auctor. *Decimus* de tabulis
119. quibuſdam, quæ Suſelicii repoſitæ habentur. *Sequens* exponit: Votorum ratio quatenus conſtet: quo pacto ſumendæ voluptates. Martialis vota candidius æſtimata, eiſque vertendis aut reprehendendis ingeniorum certamen honeſtum. de can-
126. ticis ſacrorum Theotiſcis. alia id genus. In primis laudatur Lutherus, quod, promta quaſvis ad litteras doctrina, Latinum quoque carmen, non ſine ſucceſſu, attigerit. Nam in Theotiſco carmine plurimum valuiſſe, conſtat apud eruditos. Quibus hodie ſordere incipiunt ejus in canticis verba priſca, ut arceſſita & contorta, ſciant, id ſibi evenire mera ſermonis patrii imperitia, & litterarum meliorum, quas non didicerunt, inopia.

Canti-

Digitized by Google

Cantica ipſius, non modo ſententiis optima ſunt, verum etiam verbis ac dictione vera urbanaque, tam proba, ac modulata tam bene, ut non facile quidquam hodie fiat rectius: multa, per imperitiam noſtrorum hominum, aut quia ingenio ſunt minores, iſtis minime comparanda. Accedit XII. *excurſus* de p. 128.
conventu gentis Bunaviæ, Suſelicii celebrato, & XIII. de fictili- 132.
bus, inde a Seribus ad nos primum advectis, jam domi naſcentibus; dum jam Sinenſium terram præſtat ager Miſenenſis: qua occaſione refertur Auſonii epigramma. Pro- 133.
xime agitur de ſepulcris atque cenotaphiis Suſeliciis quibuſdam; ubi nominatim, præter principum aliquot perſonarum, Piſtoriorum monumenta laudantur atque excerpuntur. *Ex-* 142.
curſu XV. tractatur, retinendam hodie ſcribendi curam, in primis carmine condendo, ubi conſiſtere mediocria non poſſint: editio moderanda vulgari maxime litteratura: cujus monumenta victura ſperari vix licet. Eſſe ideo hodieque Latina frequentanda: vix eſt ulla extra litteras veterum poeſis: ratio dictorum. Ne numeros quidem in vulgaribus eſſe. alia id genus: quæ eadem fere eſt præfatio primorum exemplorum, Suſelicii titulo editorum. Si oportet operam dare litteris anti- 147.
quis, ut omnis doctrinæ veris fontibus, atque ſi ſtolidum eſt, ad imitandum, niſi optima quæque, proponere: ſecundum perfectiſſima exemplaria informari facultatem ſcribendi ex uſu eſt, maximeque ea parte intueri oportet veteris artificium diſciplinæ, &, quoad licet, imitatione exprimere, qua maxime enituit gloria litterarum; & pauci admodum aliquam eloquentiæ laudem ſunt conſecuti, proavorum noſtrorum ætate, præter eos, quos etiam carmine valuiſſe notum eſt. Hinc de quanti- 152.
tate Syllabarum in noſtra pariter lingua loquutus A. ſe primum eſſe, in Theotiſco ſermone, qui ſyllabas ponderare quantitate inſtituerit, V. Cl. adſeverat: de quo quidem ipſi natam litem fuiſſe non ignoramus. Sed eam non morati, aliud ipſius 153.
ſcitum adjungimus, quo recte ſtatuit, quod ſyllabæ non ſolo grammaticorum arbitrio, & vulgati ſermonis uſu, longæ putantur vel breves; ſed ita ipſa linguarum in quocumque populo ratio ferat, ut quædam earum neceſſitatis imperio, qua oris

humani facultas coercetur, ſint producendæ, neque haberi
p. 160. pro brevibus ullo pacto queant. Hinc in patrio præſertim
carmine, non vult corripi ſyllabas, quæ accentum habent, cum
fere natura ſint longæ: ſed idem pariter negat corripi poſſe,
quæ longiſſimæ ſunt, etiamſi accentus eas non attollat. Se-
163. quente diſputatur, num fides illis habenda, qui quaſi ad ele-
menta aliter diſcenda nos revocant, dum vetera ſpernunt.
Exilem ajunt veterum poeſin; hodie nullam illorum, ſed no-
ſtris litteris vulgaribus. Alia omnia veriora. Vices lingua-
rum ſiſtuntur, quas inter Latina hodieque pulchra & exer-
cenda. Edenda aliqua; quo pacto. Præſtanda ſimplicitas
& modus ingenii. Horatii locus explicatur. Ebrietatis ſtu-
dia non in Germanis primum nata dicuntur. Super Theotiſco
carmine præcepta quædam neceſſaria communicantur. Vitu-
perandi hoc ſimul loco exhibentur, qui ſperant, ſe perſuaſu-
ros, Homerum, Virgilium, alios illis minores poetas multos,
doctrina nulla, judicio infirmo, puerili in opere verſatos fuiſſe.
164. Sic *Jo. Clericus* in Parrhaſianis vanam eſſe omnem poeticam,
non eſſe hodie Latinis litteris faciendos verſus, & alia ejuſmodi
ſcripſit; quæ in noctibus academicis Chriſtius jam commemo-
ravit, L. II. c. 9. p. 158. ſq. Inde, cum aliis, ea pariter re-
petuntur, quæ vir excellentiſſimus in præfatione ad carminum
ſilvam antea publicarat. Hiſce nos jam poſthabitis, *excurſus*
190. XVII. argumentum indicamus. Altiorem is præbet in proxi-
mam ſententiam incurſum: judiciorum adverſus eam genus
quale ſit oſtendit, male nimirum in perniciem ingeniorum
prognatum, quod & a viris doctis præviſum fuerit, atque alia
ejuſmodi ad utriuſque præfationis uberiorem enarrationem
191. ſq. proponit. Notabiles hic in primis ſunt queſtus: augentur in
immenſum libri non neceſſarii: corrumpuntur lenociniis qui-
buſdam, corrigendo aliqua temere, adjectis rebus vanis, aut
titulis modo refixis: dantur ut nova, quorum exempla vetuſta
erant meliora: inſidiæ fiunt numis ſtudioſorum, per amplitu-
dinem chartæ & voluminis: per picturæ linearis pretia vana:
per congeſtas moles in unam farraginem: ſcholiis adjiciendis,
præter rationem doctrinæ. Nolumus litibus intereſſe, quas
inten-

Digitized by Google

intentas deinceps confutavit, multo minus ad noſtrum diarium trahere, quod adverſus tales litteratorum labores monuit. Novimus V. Cl. moderationem, quæ ſuum cuique pretium tribuit. Sed eadem tamen nos concitavit, quæ, dum de ratione Germanicam linguam ſcribendi tractata legimus, in mentem venerunt, generales derivationis & ὀρθογραφίας regulas, ſapientiſſimo ipſius judicio ſubjicere. Nobis quidem ſanciri poſſe videntur inter alias ſequentes: 1) cum fluctuat ubivis conſuetudo, vivis quidem in linguis, adeoque nondum perfectis, & adhuc emendandis, plus ratio valet: 2) at tamen, cum oculis exhibeat ſcriptura, quod auribus ſermo, a generali eadem pronuntiatione non debet diſſentire: &, ſi quid hic alii peccant, ſaltem a Germanis non ſunt imitandi: 3) Ratio commendat naturam linguæ, derivationem legitimam, cum ceteris harmoniam: 4) Natura linguæ præcipit, in litteris vocabuli cujuſque ac ſyllabis, ne quid temere novemus: 5) Derivatio, ex eadem lingua, non minuit litteras, ſyllabas, moras: ni quid fuerit contractum: eademque a nominibus potius verba deducit, cum ideæ rerum vel præcipue innotuerint oportet, quam verſa vice; ni ſuperior derivationis modus obſtiterit. 6) Dum linguæ communem originem habuiſſe videntur, variiſque ſunt propinquitatibus paſſim conjunctæ; dum etiam iſtud plures diſcentibus linguas prodcrit: ſicubi conſenſionis non nihil adparet, in ordine iſtud ſuo, non eſt negligendum: 7) ſi quid pronuntiatio mutat, indicium tamen primæ originis ſemper obſervari debet: 8) diverſæ ideæ ac ſignificationes, diverſis quoque notis ſunt indicandæ: 9) quod poteſt fieri per pauca, ne fiat per plura: 10) verba peregrinis ex linguis recepta, elementa ſervant ſua; characterem autem illius linguæ, cujus donata civitate fuerunt. 11) Uſus tyrannus, qui varias ſe, variis temporibus, in formas convertit, huc ſaltem uſque ſuum exercere debet imperium. Extemporales ſunt regulæ, adeoque limam exſpectantes: quæ tamen ſi generatim poſſint firmari, inſignibus modis figerent ſermonis noſtri ſcripturam, in qua nunc quot capita, tot propemodum ſenſus videas. Sed ad orbitam. Memorabile adhuc occurrit de Opitio noſtro

p. 208. ſq.

214.

teſtimonium: „Opitio quidem doctrinam raram, animi honeſtiſſimi dotes, clariſſima etiam in carmen Theotiſcum qualecumque merita, alias virtutes, lubens & gratus relinquo. Sed, quod admonere adoleſcentes litteraturæ noſtræ cupidos ſoleo, laudanda ejus opera, ipſe, nationis aut temporum vitio, minime bonus Theotiſci ſermonis auctor eſt.“ At non diutius moramur in monitis adverſus P. VI. n. II. commentariorum, qui inſcribuntur, *Beyträge zur Crit. Hiſt. der deutſchen Spra-*
p. 217. *che und Poeſie.* *Excurſus* XVIII. habet præcepta quædam etiam neceſſaria Theotiſci carminis veri, non Saturnii edita. Ut facile plures eandem in ſententiam incidere poſſunt, nos pariter, inde a pluribus annis, privatim nobis ſimiles regulas formavimus, in non nullis ſaltem differentes. Ita e. g. plures unius ſyllabæ particulas breves aut medias nobis conceperamus quantitate, ni tonus acceſſerit, ſive propter differentiam, ſive pondus: item poſitione, quam vocant, longas ſyllabas non niſi eas in lingua Germ. eſſe, quæ duabus conſonantibus finirentur; ubi ad ſequentem altera ſyllabam pertineret, non
227. æque, cet. Ea vero jam non noſtrum eſt retractare. Doctorem ſequimur, qui porro de prærogativa Latini & Græci
228. carminis, præ hodierni temporis linguarum, nos erudit, ſimulque confirmat, quod Lutherus etiam, & qui, ejus ætate, Theotiſca conati ſunt, ſyllabas interdum, & quoddam rationis ſuæ veſtigium, in pulcherrimis hymnis non paucis ſcitiſſime tenuerint: ut adpareat, non rem illos, non naturam ſyllabarum veram, ignoraſſe: ſed iniquitatem operæ & curæ, ſi omnia ad metrum exigenda eſſent, fugiſſe. Tamen ſic quoque Lutheri pleraque, non modo Theotiſca magis, verum etiam, qua ſyllabas, aliquanto rotundiora ſint omnibus Opitianis. Magnam tamen & laudem Opitius refert, qui nitorem inſtauravit. Adſpexit autem Opitius ad pulcram quandam dictionis majeſtatem, ad animos ac ſententias vel veteribus æquandas, ad ſonoram accentus rationem: &, quæ propoſuerat, feliciter expreſſit: ſed ad ſyllabas, ad tempora & modos in verbis, de quibus poterat meliora vel e præceptis phonaſcorum petere, non adſpexit. Eum porro ſecure imparatior aliquanto a litteris

teris, omnis poetarum turba, noſtro judice, ſecuta fuit. Otfridus contra, non modo jam ſenſit innatos quoſdam ſermoni e ſoloeco morbos, quod rariſſimi poſt eum ſcriptores: verum etiam vidit rectiſſime, quid intereſſet inter metrum ac rhythmum, quod item ſentire pauciſſimi noſtrorum poſſint: & verſus modulatos ſæpe fecit, cum recentes poetæ faciant prorſus immodulatos. Hinc dici e vero, utut multi per inſuetudinem mirentur, queat: vix aliquem, Germanico ſanguine editum, naturam ſermonis noſtri penitius introſpexiſſe videri, ſcripſiſſeque mundius, aut verſus feciſſe meliores, quam qui ferme primus, Otfridus. Pulcra ſunt ejus & proba, ſi quis recte intelligat, carmina. At, non eſt noſtrum, prærogativam hic decernere. Progredimur ad corollarium, quod p. 240.
ſiſtit Tiburtinum Manlii Vopiſci, e Pap. Statii L. I. Silv. III. 245.
cum notis quibuſdam criticis: Surrentinum Pollii ex ejuſdem 250-257.
L. II. Silv. II. Valerii Martialis L. III. ep. 58. IIII, 64.
X, 30. XII, 31. & 57. cum aliis quibuſdam aliorum; Auſonii 274.
villulam & Moſellam; Caroli Langii proſopopoeiam Auguſtæ 298.
Eburonum: & David. Peiferi carmen ad Andream Erſtenber- 304.
gium. *Excurſu* XVIIII. exhibentur: Dominus Suſelicii ut con- 311.
jugii felices ſæculares, ut diem ſuum obierit: Nymphæ Suſelæ, epiſtola poetica ad Heinr. Rod. F. Bunavium comitem: & elogium Bunavianum. *Exc.* XX. inquiruntur: Appietas a Cice- 319.
rone quæ dicta? Juvenalis *ſola atque unica.* Pſecas apud eum & apud Ciceronem: De moribus boni convivatoris: Periplectomenes Plauti: Liber militiarum: innumeri numeri: cuppula: atque alia præſertim ad epulas ſpectantia. Ultimo *Excurſui* denique inſunt: ſpes inter ancipitia rerum: de ejus natura elegia vetus: *publicum mare,* atque ibi dictum Horatii emendatum: M. Senecæ de tectis veterum locus emendatus: cruſtræ, frontes, coria, e Vitruvio: de T. Deidii denario: Scytharum in fugitivos animadverſio: Simonis Ulr. Piſtoris de ſcriptis: grammaticæ laus: deque amyſtide non Germanica, quando frequentari inter majores coeperit. Grammatica laudatur Si- 334.
monis Udalrici Piſtorii, parodia ſimul adjecta. His autem maxime legendam eam dedit, qui hodie quoque, ubi nondum

nitor

nitor omnis litterarum interiit, ſe detrahere eruditiſſimorum virorum de nominibus inepti putant, grammaticos vocando. At illis nihil poteſt melius optari, quam, ut bona mens cum grammatica contingat, ſine qua nemini doctrinam, nemini ut orationem profecto, ita ne rationem quidem, non re, ſed elemento uno ab illa diverſam, obvenire poſſe tam eſt certum, quam quod certiſſimum.

BREVE RAGIONAMENTO SOPRA IL Contagio peſtilentiale &c. h. e. Diſſertatio brevis de peſtiferæ contagionis natura & remediis, per D. RICHARDUM MEAD, Regis Magnæ Britanniæ Medicum, & Collegii Medicorum Socium, ex Anglica in Italicam linguam tranſtulit D. JOANNES GENTILI, Florentinus, Medicus Magiſtratus Sanitatis curandæ Liburni. Acceſſerunt aliæ Diſſertationes ad eandem materiam pertinentes.

Florentiæ, apud Gaietanum Albizzini 1744. in 4. plag. 13. c. dimidia.

Hic Liber tria Opuſcula complectitur, quorum duo priora jam diu edita ſunt, tertium nunc primum in lucem emittitur. Primum ad Meadium V. C. pertinet, a quo fuit 1720. Anglica lingua conſcriptum, Londini editum, in latinam vero traductum Hagæ Comitum 1721. in octopartita forma. Hunc libellum etſi Cl. Gentili ſemper accurate perſcriptum, utiliſſimumque judicabat, tamen tum demum de eo in Italicam linguam convertendo, ac de popularibus ſuis, ejuſmodi verſionis editione, ſibi devinciendis cogitavit, cum peſtis Neapolitanum Regnum vaſtaret. Addidit vero Meadiano Opuſculo alterum, quod de Philoſophico Lexico alterius Angli, Chambers nomine, excerptum, & pariter ita-
p. 50-54. lice converſum fuit. In hoc de origine cauſſiſque peſtis ita agitur, ut ab exhalationibus ſubterraneis provenire oſtendatur, quæ, præcipue per terræ motus, ita per intervalla exire cogantur, ut, cum varia earum genera ſint, alia animalia, alia homi-

homines, & ex his alio tempore pueros aut infantes, alio adultos, alio viros, iterum alio feminas, aut certas quoque nationes invadant, ac interimant. Reliqua ea breviter complectuntur, quæ fuerunt a maximi nominis Medicis, de Diagnoſi, Prognoſi, curationeque peſtis, propoſita. Tertium Opuſculum totum novum eſt. Auctorem habet, Cl. Gentili, qui ſe id dicit hanc ob cauſſam adjeciſſe, quia, quæ ſint a Meadio, de igne, vel aeris purgandi cauſſa, vel ad ea conſumenda accenſo, quæ veneno peſtilentiali ita imbuta ſunt, ut vere homines inficere poſſint, expoſita, & obſcurius paullo, & nimis breviter dicta ſint, quam ut certum de ſingulis judicium inde ferre liceat. Ejus Opuſculi hæc ratio eſt. Quo tempore in Calabria peſtis ſæviebat, ex qua Neapolitani Regni parte, olei magna vis in Angliam mittitur, Londini diſputatum fuit, an oleum *poſſit* peſtis materiam excipere, & communicare, & num eo accenſo, illi homines inficiantur, qui aerem, vel flamma tali calefactum, vel fumo etiam impraegnatum, hauriunt. Ad eas quæſtiones Auctor, rogantibus mercatoribus Anglis, ita reſpondit, ut utrumque negaret. Fecit hoc latina aliqua epiſtola, quam in Præfatione pag. XI. adjecit, & cui alii quoque Liburnicenſes Medici nomina ſua addiderunt. Debebat etiam Auctoris ſententia a Piſanis Medicis firmari, quod cum propterea non fieret, ſiquidem unus ex illorum præcipuis litteras ediderat, quibus evertere Auctoris ſententiam voluit: Cl. Gentili hoc tertium Opuſculum elaboravit, quod, Epiſtolam ad unum ex mercatoribus Anglis inſcripſit; ea, Piſani Medici argumenta confutavit, ſuaque defendit. Quare, cum in priori Epiſtola ſimpliciter adſeruiſſet, olea a peſtilentiali materia infici non poſſe, in hac altera plane adfirmat, olea omne venenum ita quaſi abſorbere, ut, vel vim ſuam per- p.63-65.
dat, vel evolvi iterum, & communicari cum hominibus non poſſit. Eapropter, cum veteres, tum recentiores medicos juſſiſſe, corpora oleis pinguibuſve rebus aliis inungere, quo averti ab ipſis venenorum ac peſtis etiam vis poſſet. Habere etiam oleum, quo candelæ loco utimur, hanc vim, ut, qui eo inuncti ſint, non poſſint a venereis exhalationibus lædi. Oſtendiſſe 65.

Digitized by Google

& olim Duhamelium, oleoſa corpora certi generis halitus adeo tenaciter retinere, ut fere nunquam iterum ſeparari queant.
pag. 66. Et eo uſque progreditur in defendenda ſua ſententia Auctor, ut, quia oleum, in quo mortui ſcorpiones ſunt, contra eorum morſus valeat, Calabriæ Siciliæque olea non tam noxia, quam
67. utiliſſima, & vera antidota eſſe, contendat. Quæ & tum certiſſima forent, ſi peſtis a vermiculis proveniret, quibus inimi-
68-70. ciſſima olea ſunt. In qua re exponenda ita etiam pergit Auctor, ut hoc, quod balſamicarum herbarum vires in gummatibus, quæ condenſata olea ſint, & foetidi animalium, ut Caſtoris, odores, pinguedine fere in perpetuum ſerventur, atque in malignis febribus, morboſa effluvia, oleoſo & pingui ſudore excepta feruntur ex corpore, olea quidem venena imbibere ac retinere, tamen ita quoque mutare oſtenderet, ut quo modo aqua adfuſa acidos ſalium ſpiritus, medicamentoſa faciant.
70. Monet tamen, inunctiones, quæ in febribus contagioſis fiant, quatenus exhalationes impediant, iis utiles eſſe, qui ad ægrum accedant. Quæ autem conjuncta ſint cum contagio, non poſſe niſi ex illis phænomenis intelligi, quæ in gangrænoſis & cada-
71. ſq. veroſis corruptionibus obſerventur. Fatetur deinde Cl. Gentili, ſe priorem Epiſtolam non ut Philoſophum ſcripſiſſe, qui de omnibus ad peſtem pertinentibus, & quorum longam
72. enumerationem facit, accurate experimenta ceperit. Optat igitur, ut apud Turcas, & ubi præterea perpetua fere peſtis ſævit, eſſent ejuſmodi Medici, qui poſſent & vellent ſub auſpi-
75. ciis Principum, quibus hæc ſtudia probarentur, talia experimenta inſtituere, quod, etſi cum vitæ etiam periculo conjunctum, tamen ex Halleji, Maupertuis, Redii, Deidier, exemplis, oſtendit futuros eſſe, qui faciant. Miratur etiam, nondum vel Reipublicæ vel Principi cuidam in mentem veniſſe, vitam aliquot ſceleratorum incertæ infirmitati exponere, ut inveniatur ratio, qua tot homines reipublicæ utiles ſervari, artes autem & commercia plurimum juvari, ac denique impediri poſſit, quo minus, mercibus vel combuſtis, vel in mare conjectis, tantum damni mercatores faciant, atque tot nautæ, portibus excluſi, in mari pereant. Hactenus de prima quæſtione. Ad alteram

quæ-

quæſtionem, Auctor, in priore Epiſtola ita reſponderat: quidquid ex infecto loco in ſanum, & cujus incolæ peſte adfecti non ſint, delatum accendatur, nullo modo inferre corporibus venenum poſſe. Quod ut demonſtret, peſtilentiale venenum poſuit ita mercibus inhærere, ut ejus vis in ratione duplicata diſtantiæ a centro exhalantis corporis decreſcat; ex quo conſequens eſſe exiſtimat, ſi ejuſmodi merces accendantur, venenum conjunctum omnem efficaciam perdere, ante, quam a flamma ſeparetur; idque eo clarius adpariturum, docet hoc, quod tanta vis olei accenſi ſit, ut liquefacere plumbum poſſit, quæ vis cum illa radiorum ſolis conveniat, qui in ſpeculo concavo concentrati fuerint, quod circulo trium palmarum deſcribitur. Opinatur proinde Auctor, cum ex hoc, tum quoque ex purgatione mercium per aeris acceſſum & ventilationem, planum eſſe, flammam, quam impurum, cujus longe major vis ſit, oleum conceperit, venenum omne certiſſime deſtruere debere, & inefficax reddere; olea etiam, ſi flammam concipiant, præcipue Italica, antipeſtilentialia fieri non alio modo, quam quo ſulphur. Continent enim acidum, quod exhalat, non vero flammam concipit. Neque eam ob cauſſam omni tempore fuerunt aromaticorum lignorum accenſiones, contra peſtem, propoſitæ. Quæ ſi, ſecundum plures Auctores, noxiæ fuerunt, fuerunt partim, ſi Auctori credimus, per intolerabilem calorem, quem diffundunt, partim & maxime per humidos & inſalubres ventos, cum quibus conjunctæ fuerunt. Illum vero ignis effectum etiam hoc comprobat, quod in peſte, quæ A. 1556. Italiam vaſtavit, nemo ea moriebatur, qui in vitriaria Venetianorum officina commoratus eſt. Ignem certe Auctor exiſtimat ita agere, ut noxia effluvia abſorbeat, & deſtruat, maximamque partem confundat, & cum fumo cogat in ſuperiorem aerem adſcendere; contra vero, eorum efficaciam contagiumque augere, ſi in anguſtis locis accendatur, & aer peſtilentialibus effluviis onuſtus ac denſus ſit; eoque modo ignium accenſiones Maſſilienſibus exitio fuiſſe. Atque ex his Hippocratem defendit, qui ignium accenſiones facere juſſerit, ante, quam

[Margin notes: pag. 75. (beside "bus venenum poſſe"); 77. (beside "palmarum deſcribitur"); 78. ſq. (beside "omne certiſſime"); 80. ſq. (beside "rum lignorum"); 82. ſq. (beside "cum quibus"); 84. ſqq. (beside "Maſſilienſibus")]

peſtis magnos progreſſus fecerit. Laudat etiam ipſius me-
pag. 88. dendi rationem, & cur in peſte aromatica ligna accenderit, ex ſitu urbium oſtendit. Paucis deinde reſpondet ad id, quod Adverſarius de oleis Calabriæ dixerat, debere illa accenſa, eorum, qui flammæ adpropinquent, capitibus gravia ac noxia eſſe, ipſoſque peſte adficere. Profert etiam nonnulla de noxa, quam Opium ſevo mixtum, ex quo candelæ fiant, & alia per calorem ex vegetabilibus extracta, & volatilia reddita venena, merciumque infectarum accenſiones, in habitatis locis factæ, inferant. Tandem monet Cl. Gentili, ut hæc res accuratius exponi poſſit, debere originem earum proprietatum magis cognitam eſſe, quas in plantis, animalibus, liquoribuſque obſervamus. Debet autem hoc ultimo non negligi, Auctorem, hanc ſuam ſententiam Anglis ita probaſſe, ut olea ex Calabria libere advehi permitterent.

JACOBI FACCIOLATI ORATIONES ET alia ad dicendi artem pertinentia.

Patavii, MDCCXLIV. typis Seminarii, apud Joannem Manfrè. Superiorum permiſſu, ac privilegio. 8. Alph. 1. plag. 13.

Quemadmodum omnia cel. Facciolati ſingularem laudem merentur; ita & ipſa recentioris hujus editionis dedicatio, Carolo Card. Rezzonico, Epiſcopo Patavino, facta. Eadem enim, civitatis maxime Patavinæ laudes, facundis verbis enarrat. Ad librum ipſum quod ſpectat, librarius, editionem ejus repetiturus, *acroaſes dialecticas*, olim quæ orationibus acceſſerant, omittere conſtituit; quod non tam ad copioſe eleganterque dicendum, quam ad acute diſputandum, conferre aliquid viderentur. Earum in locum ſubſtituit orationes alias, quas vel auctor ipſe præteritis temporibus dederat, vel adoleſcentium nomine ſunt emiſſæ, qui, manuducente profeſſore aliquo, Patavinis ſtudiis proludere ſolent. His adjecit epiſtolas philologicas, & librorum præfationes, ſuperioribus annis ab A. ſcriptas, vel typogra-

graphorum gratia, vel juvenum, ad ſcholaſticas concertationes prodeuntium, vel aliorum, qui eas certis de cauſſis non vulgarunt. Diſtributum autem opus duas eſt in partes: prior undeviginti orationes, ceteras lucubrationes poſterior complectitur. Inter orationes prima, qua, latinam linguam non eſſe ex grammaticorum libris comparandam, oſtenditur, ita intelligenda eſt, nimium damnari, non omnem grammaticorum uſum. *Singulae*, inquit A. *nominum ac verborum declinationes memoriae mandandae, paucaeque illae quidem in univerſum regulae probe tenendae*, ante quam ad claſſicum ſcriptorem diſcipulus ducatur. Res autem omnis, in epiſtola editioni primæ præfixa, hic ſubjuncta, explicatur uberius. Sed priore parte, quæ potiſſimum jam olim publicatas orationes complectitur, omiſſa; poſteriorem, tamquam novam, & fecundi ingenii magni Oratoris recens ſpecimen, intuebimur. Primo hic loco adparent præfationes, variis, ut ſolet, occaſionibus datæ. Sunt numero XXXVI. diverſis, maximi partim momenti operibus, nomine in primis typographorum, præmiſſæ, ac dedicationes ſimul complexæ. Argumentum eſt talibus occaſionibus ſollemne; & quale Operum, quibus præfixæ ſunt, tituli videbantur depoſcere. Sunt autem nominatim, poſt primam orationum collectionem, inſtitutiones politicæ, duci Aurelianenſi, Galliarum Regenti, dicatæ: hiſtoria Bizantina, Philippo V. H. R. ſacra; conciliorum collectio maxima, Carolo VI. nuncupata; Sirmondi volumen primum & ſec. Benedicto XIII. ſacrum; Bernardi opera: Auguſtini opera; Romana hiſtoria Nieuporti: Virgilii opera, cura Maſuicii, edita Venetiis; Salluſtii opera, cura Cortii, edita Venetiis; pſalmi Davidici cum Boſſueti interpretatione; conciones D. Thomæ de Villanova; Goarii euchologium; opus Cardinalis Quirini, Venetiis recuſum; Gravinæ origines juris, Venetiis recuſæ; libellus D. Auguſtini de confeſſionibus; ſumma D. Thomæ, minore forma edita; opuſculorum Lipſienſium, ſeu Actorum noſtrorum excerptorum, tomi; moralis theologia P. Anacleti Reiffenſtuel; atque alia. Secundum locum occupant epiſtolæ philologicæ, quarum

pag. 5. 17. 324. 390.

Digitized by Google

rum primæ, Philippi a Turre antiſtitis Adrienſis vita, ſubiuncta
p. 398. legitur. Altera eſt de actione oratoria, quam præſertim in
oratore ſacro requirit A. inque pronuntiationem ac geſtum di-
404. ſtinguit; Quinctiliani maxime rationem ſequutus. Tertia de
jurandi formula: *me hercule*, agit, num adhiberi poſſit ab ho-
mine Latino, Herculis de geſtis qui fabulam ſcribat? qua oc-
caſione de hac formula in Amphitruonis Plautini actu I. ſc. I.
& actu 3. ſc. 4. tum Angeli Decembrii, tum Taubmanni
ſententia proponitur, reſque ad linguæ Latinæ genium refer-
408. tur. Sequens epiſtola de Petro Bembo nonnihil proponit,
409. ſimulque *hominem emunctae naris* temere dici; dum per *verſus*
emunctae naris longe aliud ſignificet Horatius L. I. Sat. 4. aliter
410. nempe verſum interpungit Facciolatus. Quinta Ep. vocabulum
413. *ἀντικείμενος* exponit: ſexta voc. *nepos;* ubi ſæpe ſæpius ſe
animadvertiſſe monet auctor, ex aurei ſæculi verbis, luteam
eſſe Latinitatem formatam; atque nomen illud fratrum quo-
419. ſq. que ac ſororum poſteritati concedit: cumque recentior ætas
ſemper antiquiore habita fuerit peior, etiam luxurioſis tribuit.
421. Sequens epiſtola vocabula ſpectat *artopta*, *locare*, *nota*. Il-
lud eſt ex Juvenalis Sat, V. v. 71. petitum, & per *vas* expo-
nitur, *in quo panis aſſatur*, conf. Pollux L. X. c. 25. iſtud ex
426. Perſii Sat. VI. v. 47. *locat Caeſonia Rhenos*, efformandas & de-
427. ſcribendas committit imagines Rheni; hoc denique non ad-
notationem indicat, ſed ſignum adpictum, quo quid vel adpro-
427. bes vel rejicias. Octava Ep. latinas tranſitionum formulas
432. tangit: ſequens, particulam *admodum*, verbumque *aborior*; il-
435. lam explicans *omnino*, *παντελῶς*; hoc autem per *morior*, Var-
436. roni, Nonio, atque aliis tributum. Ultima Ep. varias de T.
Livii Patavinitate opiniones explorat, eamque in defectu ponit
urbanitatis Romanæ, commendata Morhofii diſputatione.
440. Finem faciunt academicæ commiſſiones, qualibet hebdo-
mada, in ſeminario Patavino publice haberi ſolitae. Harum
444. prima diſputationum agit de linguæ Latinæ ſtudio; altera de
450. græcæ laudibus: ſoloeciſmum accuſat tertia, tamquam maxime
454. capitalem litterarum ac litteratorum hoſtem: quarta confir-
mat, curas hominum rideri oportere, ſed ſapientius,

quam

Digitized by Google

quam Democritus ſolebat: quinta, quod recte qui paret, dignus ſit qui imperet: ſexta, quod populo imponere facile ſit, oſtenditur; atque ita porro, ſunt enim XXI. quarum non nullæ prooemio tantum & gratiarum actione, priores tamen utplurimum prooemio, ſilva, ſeu materia fuſius elaboranda, penſo ad interpretationem græcam, & gratiarum actione conſtant. Harum plures libero ſunt, ut reliqua, ſermone propoſitæ; ſubinde tamen & carmen, in primis epigramma, locum obtinet, elegantis ingenii præclarum ſpecimen. Nos, ex omni eo labore, in utroque dicendi genere regnare Facciolatum, V. Cl. iterum intelleximus. p. 460. 465.

CHRISTIANI GOTTLIEB BUDERI, Sereniſſ. Saxon. Ducibus a Conſiliis aulicis, in Academia Jenenſi Juris publici, feudalis, & Hiſtoriarum Profeſſoris ordinarii, Facultatis juridicae Senioris, Amoenitates Juris publici S. I. R. Germanici, obſervationibus ſelectis, ex Actis libelliſque publicis, Diplomatibus, Scriptoribus, monimentiſque fide dignis, erutae.

Jenae, impenſis viduae Croekerianae, 1743. 8. plag. 12.

Qui dedit nobis haud ita pridem Amoenitates Juris Feudalis, illuſtris Salanae JCtus & Hiſtoricus, *Chriſt. Gottlieb Buderus*, idem ille denuo prodit in lucem, eodemque modo concinnatas Juris Publici Amoenitates offert. In qua Jurium parte, quum veluti in fundo ſuo dominetur politiſſimi ingenii Auctor, nemo non, nobis etiam tacentibus, ſuſpicabitur facile, haud obvia ubivis, ſed ſelecta potius, & tam jucunda, quam utilia, ab eodem argumenta exhiberi. Et ſane rem ita eſſe comparatam, pluribus comprobare liceret ſpeciminibus, ſi laudem conciliaret, in re vulgo cognita, eſſe, præter neceſſitatem, laborioſum. Ne igitur Lectorem, novarum rerum cupidum, multis moremur verborum ambagibus, ſumma recenſebimus capita, quibus doctrina *Buderiana*, in prudentia Juris Publici, lumen adfudit. Agitur ſcilicet obſervatione I. *de primis Legum fundamentalium Collectionibus, privata cura publicave auctoritate factis;* obſerv. II.

de

de primis Juris Publici Imp. R. G. compendiariis expoſitionibus; obſerv. III. *de Statuum Provincialium conſilio & concurſu, in cauſſis Religionem remque ſacram concernentibus;* obſerv. IV. *de praeſtationibus Monaſteriorum, Dominis Territorii, vicinis, aliiſque faciendis, ad Inſtr. Pac. Weſtph. art. 5. §. omnia verba Quodſi & §. 46. verb. ſi alicubi;* obſerv. V. a. *de jure S. R. I. G. Vicariorum, habendi Comitia Imperii;* obſerv. V. b. *Jo. Chr. Wagenſeilii dubia, de antiquitate coronae & enſium inter Inſignia Imperii, ex ipſius litteris ad Thulemarium prolata;* obſerv. VI. *de ſeſſione ac voto Statuum, ante impetratum Indultum & factam Inveſtituram feudalem, ad Burc. Gotth. Struvii Juriſpr. publicae p. 371. & quidem ad verba: Seculares licet ab Imperatore nondum inveſtiti;* obſerv. VII. *de Imperatore ipſo Iudice, ad Ordinat. Jud. Camer. P. II. tit. 7. p. 148.* obſerv. VIII. *de antiquitate Principatus Thuringici;* obſerv. IX. *de Compendiis Fiſci Regum Germaniae;* obſerv. X. *de frugalitate in Conventibus Imperii ſervanda ordinationes* laudantur, ac denique obſerv. XI. *de Comitiis Provincialibus, olim ſub dio certoque loco habitis,* diſſeritur. Nos, qui incredibili cum voluptate hæc tantum non omnia perlegimus, illuſtrem Auctorem nomine publico precamur, ut, quo rariores ſunt, qui his in litteris caput extulerint, eo ardentiore ſtudio pergat ornare civitatem eruditam, tam exquiſitis ingenii monumentis. Novimus, quanto nuper *Deductionum,* uti dicuntur vulgo, *illuſtrium* numero, inſtructiſſimam ſuam Bibliothecam adauxerit: inde præſagit animus, nos ex his quoque theſauris, novam propediem obſervationum Collectionem eſſe habituros.

GRAECORUM SIGLAE LAPIDARIAE, A Marchione Scipione Maffeio collectæ, atque explicatæ.

Veronæ, MDCCXLVI. in 8. plag. 9. cum inſcriptione aeri inciſa.

Libellus iſte, qui, ut adprobatio habet, apud Auguſtinum Carattonium æneis eſt typis exſcriptus; primo habet loco me-

memorabilem Julii Cæſaris Becellii Veronenſis, de Maffeiana collectione antiquarum inſcriptionum, & anaglypticorum marmorum, admonitionem. Circumdat lapides iſtos Dorica porticus, quinquaginta columnis ſubnixa. In opere, quo deſcribentur, mirabuntur Eruditi inſcriptiones Græcas ad centeſimum uſque numerum coacervatas, Romanas cujuſcumque generis velut innumeras, Chriſtianas pariter ac medii ævi plures, Etruſca monumenta ſelecta XXV. Arabicas inſcriptiones IIII. & anaglypha vetera ultra centum. Non hæc tamen ſolummodo monimenta continebit liber, ſed iis ampliſſima inſcriptionum aliarum collectio ſociabitur, quibus tuto innitentur eruditi; namque exſtare, & genuinas eſſe, teſtari poteſt Maffeius atque adſerere, cum viſæ omnes ab eo atque expenſæ, &, ſive ſua, ſive Achatis, quem habet, Franciſci Seguierii, manu ſint deſcriptæ. Quatuor alia præſertim hujus modi muſea præſtantiora liber exhibebit, Taurinenſe, Vindobonenſe, Capitolinum maximum, collectumque ac ſervatum in Collegio Romano patrum Soc. Jeſu. His omnibus monumentis perampla tractatio præmittetur de notis, ſive compendiis, quibus inſcriptiones antiquæ ſcatent. Prodromus operis eſt, quem jam recenſemus, liber, quo Siglæ lapidariæ Græcorum in compendio exhibentur. Præfatio eſt de ipſo nomine, deque notarum ſcriptoribus. Nominantur hic in primis Valer. Probus, Petrus Diaconus, & auctor dictionum contractius ſcriptarum explicationis, itidem a Gothofredo publicatæ, incertus Fabricio, noſtro Smetius, cujus laborem Goltzius auxit ex numis, Gothofredus autem protulit, ut in Goltzii theſauro rei antiquariæ reperitur. Joannem Marcanovam, Guarinum Veronenſem, Michaelem Fabritum, Sertorium Urſatum, atque alios, tacemus: quamquam nihil eſt Urſato in hoc genere locupletius. Jam igitur a prooemio ad ſiglas Græcas pergimus. Morem, dictiones, vel una vel paucis litteris ſignificandi, antiquiſſimos Græcorum vix habuiſſe, vetuſta eorum monumenta teſtantur. Eſt tamen idem ſatis vetuſtus; quippe cujus non

Digitized by Google

in profanis ſolum ſcriptis veſtigia reperimus. Spectant huc e. g. A pro πρῶτος, ἅπαξ, Αὖλος, vel ἀπὸ, B. pro βουλὴ vel βιοτέυων, Γ. pro γερουσία, ΔΕ pro δημαρχικῆς ἐξουσίας, Ζ ζήσαντι *qui vixit*, Η ἡμέρα, Θ cum nominibus adjicitur in epitaphiis Latinis, valet θανὼν alias θυγάτηρ aut θυγατρός, ΘΚ θεοῖς καταχθονίοις, ΘΕ θεοῖς ἐπικουρίοις, Κ. Κατά, Καῖσαρ, vel κάτθανεν, vel καὶ, ΚΧ κατὰ χάριν, ΚΒ κελεύσει βουλῆς, Μ μῆνας, μνᾶς, μνημεῖον, μυριάς; Ν νικηφόρος, Π & Πο Publius, ΠΠ πατὴρ πατρίδος, ΠΤ πορίσαντες τόπον. Τ. τίτος, τιβέριος, Υ υἱὸς, ὑπάτου, Φ Φλάουιος Flavius; Χ χάριν, ΨΒ ψηφίσματι βουλῆς. Sed ipſa quoque ſacra monumenta, immo pariter litteræ divinæ, hujuſmodi aliquid habere videntur. Præter vocabula plura per compendium ſcripta, ipſorum quoque numerorum
p. 94. notæ proferuntur. In primis oſtenditur, qua ratione Græca monumenta, cum Romani rerum potirentur, inciſa, menſium dies per Idus & Kalendas recitarint, ſiglo quidem addito ⊓ (P superscriptum). quod in notarum interpretatione ad Gruteri calcem explicatur πρὸς, a noſtro πρὸ, quod confirmat Gruteriana p. 428. ΙΑ ΠΡΟ ΚΑΛ ΑΠΡ ἐνδεκάτη πρὸ καλανδῶν
96. Ἀπριλίων e. g. ΤΗ ⊓ ΑΝΩΝΩΝ pridie nonarum ⊓. I.
97. K. CEΠ. ante diem decimo calendas Sept. Nono tamen ſæculo, ut Cedrenus tradit, Baſilius Macedo numeros, per antiquas notas, παλαιοῖς σημείοις deſignari vetuit, ne fraudi eſſent imperitis, omneſque ſcribi litteris juſſit, infimo etiam vulgo agnitis. Alia porro numerorum ratio fuit Atticis propria, de qua Terentius Scaurus: *Attici, qui principes litteras vo-*
98. *cum, a quibus earum nomina incipiunt,* pro numeris notant. Et alibi: *quoties unum notant, I litteram ponunt, quoniam apud illos, μία, ἴα dicitur.* Ita ſcribi antiquitus conſueſſe ab Homero diſcimus Odyſſ. Ξ. τὴν μὲν ἴαν Νύμφησι unam quidem partem Nymphis. Hinc Π notat πέντε, Δ δέκα, Η adſpi-
99. ratio ἑκατὸν, Χ χίλια, Μ μύρια. Numerales notas, nullibi umquam viſas, ſervat muſei Maffeiani inſcriptio n. 28. Atticæ viden-

Digitized by Google

videntur, & ſaltem in Atticas vergunt; ſed inter illas ignotæ figuræ, & collocatio diſpoſitioque minus cognita, animadvertitur. Succedit partim operum a Maffeio promiſſorum recenſio, partim proſpectus univerſalis collectionis Latinarum veterum ac Græcarum, profanarum & chriſtianarum, inſcriptionum, quam nova Veronenſis ſocietas, totius Europæ Eruditis, reique antiquariæ ſtudioſis hominibus, exhibet, ac proponit. Utrumque nos, multis de cauſſis, deſideramus, bonoque rei literariæ, non ſine gratiſſima mente, amplectimur.

L. ANNAEI FLORI EPITOME RERUM Romanarum, cum integris Salmaſii, Freinshemii, Grævii, & ſelectis aliorum animadverſionibus. Recenſuit, ſuasque adnotationes addidit, CAROLUS ANDREAS DUKERUS. Editio altera auctior & emendatior.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmans, 1744. 8. maj. 2 Alph. 22 pl. 1 mappa Geogr. imperii Rom.

Non ſolum multas reprehenſiones, ſed multas pariter multorum curas expertus eſt Florus. Inter eos, quibus ſplendorem debet ſuum, luciſque non parum, cel. Dukerus ſuo merito eminet. Veſtigiis ille & humeris antecedentium ſapienter inſiſtit, longius ipſe proſpecturus. Uſus eſt exemplo XX. annis ante apud Amſtelædamenſes publicæ luci donato; idemque illud emendationibus, notis, atque inſigni præfatione locupletavit. In ea potiſſimum de prioribus agit editionibus Flori, deque illis, qui lucubrationibus ſuis facem accendere Hiſtorico laborarunt. Mittimus alias editiones, quarum pleraſque & cel. quondam Fabricius enarravit; ad ſolam Huguetanorum pedem figimus. Hujus præfatio docet, textum puriſſimum & correctiſſimum eſſe factum a Grævio, ſubſidio codicis optimi manuſcripti ex Burgundia miſſi, cujus & adnotationes longe auctiores, cum integris Salmaſii, Freinshemii, & variorum, adjungi memorantur: ſed, in his quidem verbis, quædam exaggerantur, quædam

 ita

ita ſunt comparata, ut de iis non ſine ratione dubitari poſſit. Nam & Grævii annotationes, vix duàbus, aut ſummum tribus pagellis ſunt auctiores, & Freinshemii notas ne quidem integras ibi legimus, variarum autem lectionum, quæ ſimul promittuntur, neque vola exſtat neque veſtigium. Quod tandem de contextu a Grævio exactius firmato dicitur, valde ſuſpectum eſt. Quis aut qualis ſit ille Burgundicus codex plane neſcitur. Id contra exploratum eſt, multas Salmaſii, Heinſii, Grævii conjecturas, in contextum, ſine ulla codicum auctoritate fuiſſe receptas. Ita turpiter ſubinde fallunt, & librarii, & critici; habentque cur ſibi tribuant, ſi a jactatoribus decepti nullam poſtmodum adhibeant fidem. Odio digni ſunt, magno promiſſores hiatu: longe commendabiliores, qui, ut alicubi Horatius, ex fumo dant ignem modeſti. Verum & lectores, interdum rerum novarum magis quam par eſt ſtudioſi, phaleras hujusmodi poſcunt: quid igitur mirum, ſi lucrum inde capientes, qui decipi volunt, eos decipiunt? Sed aliud accedit vitium, in contemtum quod vocat litteratores. Dum os rodit canis, quem diligit odit ſocium. Id & Flori editoribus evenit. Proximus a dictis editor Laur. Begerus documento ſit. Præpoſuit is Floro præfationem, qua dictionem hiſtorici tamquam ſublimem omnibus extollit laudibus, ſine diſcrimine quælibet tuetur, ac temeritatis, arrogantiæ, non intellectæ ſententiæ, calumniæ, judicandi demum libidinis, accuſat Grævium. Hoc Dukerus dum narrat, non poteſt non tam idoneum harum rerum judicem defendere, atque acrius in Begerum invehi. Agnoſcit igitur in Floro ſtilum declamatorium, putidam adfectationem, tumorem poeticum, audaciſſimas translationes, temporis & hominum ratione habita nulla, conturbationem atque confuſionem vituperat. Neque tamen obſtant iſtæ ſcoriæ, quo minus multa bona, libros iſtos evolvendo inveniamus. Nullus in hoc genere, ut acutiſſimus Dukerus arbitratur, melior eſt vetus ſcriptor, qui, quaſi in brevi quadam tabella, totam populi Romani imaginem complexus ſit, graduſque omnes ac progreſſus reip. ob oculos poſuerit. Quo potiſſimum argumento motus, bibliopola

bliopola, jam inde ab aliquot annis, rogante, Flori denuo publicandi ut ſuſciperet curam, accuratiorem impendere ſtuduit. Codicem inde Ryckianum manuſcriptum contulit iterum; varietatem lectionis e duobus codd. MSS. bibliothecæ regiæ Pariſienſis adhibuit, neque editiones, optimam præſertim illam Jo. Petiti, neglexit; conjecturas præterea Lipſii non nullas reperit, antiquiſſimam item, Italicam ut videtur, editionem, Jac. Perizonii notas ac ſchedas, quæque ſunt alia, longo quæ jam ordine referre haud licet; præſertim cum ad priorem nominatim Flori editionem ſpectent. Ad hanc autem recentiorem ſingulatim acceſſerunt: variæ lectiones trium codicum manuſcriptorum Voſſianorum bibliothecæ Leidenſis, & vetuſtæ editionis Sabellici. In contextu perpauca mutata ſunt, nec fere quidquam ſine auctoritate unius alteriuſve libri ſcripti: in animadverſionibus paullo plura, præſertim ubi curæ poſteriores priores emendarunt, aut variæ lectiones quidquam inferendum ſuaſerunt. Neque etiam præterire potuit, quæ, poſt ſuperiorem editionem, eruditi non nulli ad Florum emendandum vel illuſtrandum, velut ſymbolas quaſdam, contulerunt; de quorum pleriſque, nam nec deſunt quæ in medio relinquit, quam ſententiam ipſe foveat ſignificavit Editor. Haud tamen omnibus uti licuit; ut nec deſunt ſero in manus quæ inciderunt. Eodem ſpectant nuperi editoris in Æſchylum animadverſiones, quas, dum ſuis locis non potuit, quatenus in illis non nulla contra interpretes Flori diſputantur, ſub finem præfationis examinat. Nos non poſſumus quin heic loci cum *Dukero* Flori locum II, 12, 6. a nova illa interpretatione, qua *per* idem eſſe debet ac *propter*, *praeter* vindicemus. Nil quidquam hic valet uſus Græcorum; quoniam διὰ diverſos, pro diverſa ſignificatione, caſus regit, quod diſcrimen, cum Latinorum *per* non obſervat, ſi & *praeter* notaret, non poſſet non manifeſtas gignere obſcuritates. Ad noſtri autem notas, contextui ſubjectas, quod attinet, cum, priore jam editione deſtituti, noviſſime quæ acceſſerint, non omnino, vel difficulter perveſtigare liceat; eorum ſaltem in gratiam, quos idem illud fatum premit, quæ antecedant contextum,

quæque ſequantur, memoramus. Ad illa ſpectant, poſt Dukerianam præfationem, Græviana, deque Floro teſtimonia, tam G. J. Voſſii ex L. I. de hiſt. Lat. ex J. Lipſii L. II. elect. c. 5. ex Jo. Iſ. Pontani oratione iſagogica in Florum, ex Prologo Cl. Salmaſii in eundem, quæ jam in ed. Amſtel. & quibuſdam præcedentibus leguntur; quam quæ deinceps addidit Begerus: ad hæc pertinent, columna roſtrata, excerpta chronologica ad L. A. Florum, ampliſſimus atque utiliſſimus index, qui vicem haud raro commentarii ſuſtinet, indices tam rerum & verborum, quam ſcriptorum veterum, in animadverſionibus commemoratorum, ac denique Lucii Ampelii liber memorialis, ex bibliotheca Cl. Salmaſii editus. Hic ipſe L. capitibus brevioribus, mundum, & *φυσικῶς* & *ἱστορικῶς* ita quidem contemplatur, ut doctrina naturalis, hiſtoriæ, antiquitates, non parum inde lucis accipiant.

ORATIONES DUÆ, UNA DEMOSTHENIS contra Midiam, altera LYCURGI contra Leocratem. Græce & Latine. Recenſuit, emendavit, notaſque addidit JOANNES TAYLOR LL. D. Col. D. Joan. Cant. Soc.

Cantabrigiæ, typis Academicis, 8. maj. cIↄIↄCCXXXXIII. 1 Alph.

Tot jam cel. Taylorius ingenii atque induſtriæ monumentis orbem litteratum donavit, ut primum ſtatim ſub adſpectum, non ſolum ſperare, ſed & confidere poſſimus, talem & hunc laborem futurum, qualem eruditorum vota expetunt atque exſpectant. Non ſolum accuratius perveſtigato libro confidentia iſta ſtabilitur, verum cum lætitia pariter cupiditas augetur, reliquas, hic in præfatione promiſſas, Demoſthenis orationes, tam accurate publicatas, tam nitide exſcriptas, tam diligenter illuſtratas videndi. Sed & alia liber hic eſt dote conſpicuus, ſiquidem, quam unam reliquit injuria temporum, Lycurgi pariter orationem adjunxit, ejuſdemque de vita egregie Editor commentatus eſt. Plura

atique

utique dixiſſet, ſi Philiſci lucubratio ætatem tuliſſet, qui patria Mileſius, ſed Iſocratis auditor, de Lycurgi vita ſingularem librum ſcripſit. Erat autem Lycurgus Butades, vel Eteobutades, nobiliſſima inter Athenienſes familia genitus, cujus familiæ ſollemne quoque miniſterium ſacrum, ut apud Romanos, Potitiorum fuit ac Pinariorum. Natus circa olympiadem LXXXXIII. doctores habuit Platonem atque Iſocratem, ſummis in republica muneribus adhibendus, quibus & præclare, nec ſine maxima laude præfuit. Familiaritate in primis Demoſthenis paullo junioris utebatur, quam, & vivus & mortuus tam in re publica quam familiari, fidelem ſenſit. In civitate adminiſtranda erat maxime ſeverus, ita ut vox iſta ſæpius audiretur, Lycurgum, tamquam Draconem alterum, non atramento, ſed ſanguine leges ſuas & edicta perſcripſiſſe. Eadem proprietas, ut egregia ſimplicitas morum, ſingularis item fides & conſtantia, incredibili quodam modo adparent in ea oratione, quam ſolam hodie legere conceſſum eſt. Indidem & tot adluſiones venerunt, noſtro potius quam Lacedæmonio accommodandæ. Sic Cicero L. I. ad Attic. ep. 13. *Noſmet ipſi, qui Lycurgei a principio fuiſſemus, quotidie demitigamur;* item Ammianus Marcellinus XXII, 9: *verum ille judicibus Caſſiis triſtior & Lycurgis, cauſſarum momenta aequo jure perpendens, ſuum cuique tribuebat, nuſquam a vero abductus, acrius in calumniatores exſurgens;* quibus ſimilia leguntur L. XXX. c. 8. Ita & Plautus eo ſpectare videtur Bacchid. II, 1. quod de Cicerone certum eſt in Bruto §. 34. ubi tamen, quo noſter inclinat editor, ſimile claudicans, non eſt nimis extendendum, ſed emollire potius debet reliquorum verborum duritiem, nobiliori ac meliori comparatione. Cenſent non nulli, praeeunte Plutarcho, ipſum propterea, quod tam acriter malos cives inſectaretur, Ibidis cognomen accepiſſe, apud Ariſtophanem in Avibus v. 1290. ſqq. Qua in re explicanda, quantum & a vero aberraverit Morerius, in Lexico, & Petitus in commentario ad LL. Atticas, oſtendunt, accuratiſſimus Bælius voc. Lycurgus, & viri doctiſſimi, qui Petito feliciſſimam operam impenderunt. Fabulam certe illam docuit Ariſtophanes ante natum

Lycur-

Digitized by Google

Lycurgum, de quo hic ſermo eſt, aut certe prius quam in re publica verſaretur. Ille potius illuſtris vixit, rem publicam adminiſtravit, litterariam juvit, etiam poſt fata celebris. Docet poſtremum, notatu digniſſimum illud Athenienſium plebiſcitum, quod ex Plutarcho Taylorius exhibuit, notiſque inſtruxit. Occaſionem illi dederat Lycophronus, filiorum ipſius natu maximus, honores poſtulans, quos populus Atticus natu maximo ex filiis Lycurgi perpetuo haberi decreverat, ſcilicet, ut publice potiſſimum, ac honorifice aleretur. Hujus decreti occaſione inter *Βουτάδην* atque *Ἐτεοβουτάδην* differentia quam accuratiſſime exponitur, dumque ſimul in familias Atticorum Sacras inquiritur, ſpes injicitur, novam Taylori Athenienſium rei publicæ percenſionem, ſive de moribus illorum, legibus, atque inſtitutis commentarium, videndi. Jam ad ipſas orationes accedimus. Quam adverſus Midiam pronuntiavit Demoſthenes, primum occupat locum; eidemque duplex *ὑπόθεσις* præmittitur, quarum prior Libanium habet auctorem. Midias, Midiæ filius, Athenienſis, domo Anagyraſius, homo dives, luxurioſus, petulans, vetus Demoſthenis obtrectator, feſto quodam tempore, alapam ipſi infligens, ejusque veſtem dilacerans, cum magiſtratus tunc munere polleret orator, reſque in publico theatro accideret, ab eo deinceps impietatis accuſabatur, idque cum jam condemnatus eſſet a populo, apud judices conſcriptos. Hæc erat occaſio, id praecipuum argumentum elegantiſſimae illius orationis, quam tot veteres ſcriptores certatim laudarunt, & eximius ille criticus Longinus a non nullis exiſtimatur commentariis illuſtraſſe. Qui quidem commentarii, ſi tamen ſcripſit, de quo valde dubitat cel. Taylor, una cum multis ad hanc orationem a veteribus adnotatis, penitus interciderunt. Certe Photius Cod. CCLXV. *γέγονεν οὗτος*, ait, *ὁ λόγος ὀυκ ὀλίγοις ἐν σπουδῇ καὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητήσεως ἀφορμὰς παρέσχε· καὶ ὁι μὲν τοῦ παθητικοῦ χαρακτῆρος ἐινάι φασιν ἀυτὸν μετὰ δεινώσεως ἐπειργασμένον, ὁι δὲ τοῦ πραγματικοῦ.* Habitam quidem non fuiſſe orationem vero eſt ſimillimum; cum Aeſchines Demoſtheni objiciat, eum ſuper hac injuria

ria cum Midia tranſegiſſe, & populi, quod obtinuit, praejudicium, triginta minis fuiſſe cauponatum. Hac data occaſione, inſignis locus Iſidori Peluſiotae L. IIII. ep. 205. adfertur, atque emendatur, ac ſcriptor vitae Demoſthenis ἀνώνυμος, quam beneficio cl. Sallierii, ex bibliotheca regis Chriſtianiſſimi deſcriptam tenet Taylorus, commemoratur. Indidem quoque factum eſt, ut ſuſpicioſi quidam critici, quem ad modum Photius notat, naevos quoſdam, quales in opere imperfecto ſolent, ſibi deprehendiſſe viderentur. Adſentitur editor cum pag. 74. Demoſthenes pulcherrimum quoddam effatum philoſophicum ad Midiam coercendum depromat, idemque p. 128. quaſi re nondum ſatis explorata, utri loco argumenti ea dictio decentius conveniret, diſertiſſima oratione ac verbis ipſis repetat. Veroſimilius omnino ipſi videtur, haec ex inconſtantia oratoris, quam conſilio & uſu veterum, ut interpres Graecus nugatur, accidiſſe. Inſtituta fuit haec cauſſa, cum Demoſthenes annum aetatis XXXIII. ageret, quod auctor ipſe teſtatur p. 108. Secundum Plutarchum, Zoſimum, vitae ſcriptores, Dionyſium Hal. ceteroſque fide dignos, natus erat Demoſthenes anno qui centeſimam olympiadem proxime anteibat; ita ut ea lis, rem recte ſupputante Dionyſio eodem, in annum quartum olymp. CVIImae caderet, Archonte Athenis Callimacho. Plutarchus in vitis X. oratorum, nominat annum quartum olympiadis LXXXXVIII. unde cauſſam iſtam meditatus eſſet anno extremo olymp. CVI. Sed tunc plurimae ex illis rebus geſtae non ſunt, quas ut geſtas memorat orator. Ac vetat Taylor credere, quod harum vitarum Plutarchus ſit auctor, cum potius recentior quidam ejus nomen mentitus, Photii, qui de vitis oratorum commentatus eſt, indiligentiam, & ἀνιστορησίαν, ſtudioſe ac dedita opera deſcripſerit, aliquando etiam non nullam ex proprio penu addiderit. Ceterum, liberalitatem Demoſthenis ac benevolentiam in tribum, quae occaſionem injuriae dedit, quaque ſe ipſe ultro, ceteris renuentibus, ludorum curatorem deſignavit, honeſtiſſimo praeconio nobilitavit plebis ſcitum, quod rogavit Demochares, ubi inter alia legitur: ΚΑΙ ΧΟΡΗΓΙΑΝ ΑΝΔΡΑΣΙΝ ΕΠΙ-

 ΔΟΝΙΙ

ΔΟΝΤΙ ΟΤΕ ΕΚΛΙΠΟΝΤΩΝ ΤΩΝ ΠΑΝΔΙΟΝΙΔΩΝ ΤΟΥ ΧΟΡΗΓΕΙΝ ΕΠΕΔΩΚΕ κ. τ. λ. Midiae autem contumelioſam verſandi rationem, Diogenis quoque Cynici exemplo, probat Diogenes Laertius. Nihilo minus ex Plutarcho (in vita Demoſthenis) adparet, ipſum facundia praecelluiſſe, cauſſaſque aliquando publicas egiſſe, pluribus adhaec in re publica muneribus functum. Si Ulpiano credimus, quo tempore Demoſthenem laceſſivit, *ἱππαρχίαν* geſſit, unde lux aliqua orationi Midianae p. 19. accendi poterit. Fratrem habuit Thraſylochum, Demoſtheni pariter infenſum; ut ex hac & ſecunda contra Aphobum oratione conſtat. Sed nos ad ipſas, quibus oratio illuſtratur, notas accingamur. Ex multis vel perpauca ſpeciminis loco adferemus. Ad p. 39. lin. 6. *εἰ δὲ μὴ* notatur, quod haec formula ſemper proxime antecedentem ſententiam reſpiciat, ſitque elliptica pro *εἰ δὲ μὴ οὕτως ἔχει*, conf. Marc. II, 22, Matth. VIIII, 17. Luc. V, 36. pag. 43. lin. 4. ubi pro *ἰδίας* legit *ὁσίας*, addit Marklandi aliquam notarum, quas cum Wolfianis diligenter conjunxit, ac ſubinde examinavit. Illi videtur formula in ſacris profanis fuiſſe: *ὁσίας, χεῖρας (δεξιὰς καὶ ἀριστερὰς) ἀνίσχειν*, cui forte adludat Paullus 1 Tim. II, 8. Ad p. 56. lin. 3. *πολλὰ γὰρ ἂν* cet. obſervatur hunc locum tractaviſſe Quinctilianum VI, 1. ubi rei atrocitatem ex iis quae circumſtant rebus conſiderat. Eodem animo locum expendit Claudius Saturninus de poenis paganorum L. XVI. §. 6. D. de poenis: qui totam hanc periodum, verum ex codd. inemendatis, deſcripſit, juxtaque interpretatur. Graeca ipſa laudantur & ſane quam emendate in σχ. *βασιλικῶν* L. LX. tit. 51. Rhetoricas virtutes in his verbis exponunt, vimque *τῶν ἀσυνδέτων* Plutarchus Platon. quaeſt. verſus finem, & Dionyſius Longinus per totam ſectionem viceſimam. Meminit etiam Stobaeus ſerm. XVIIII. hiſce verbis: *Δημοσθένης γοῦν τῷ βλέμματι ὑβρίζειν τινάς, καὶ ἀφόρητα εἶναι τὰ τοιαῦτα, καὶ ἐξίστασθαι τοὺς ἀνθρώπους ὑπ' αὐτῶν*. Ex hiſce & aliis locis conſtat, quam ſedulo ab antiquis lecta fuerit, & quaſi enarrata pulcherrima haec oratio, immo pariter ſtudioſe ab omnibus ornata verbis

magni-

magnificis, conf. Plin. L. VII. cp. 30. ad §. 25. pag. 103. lin. 3. dicitur, quod cum loquatur hoc loco Demoſthenes de Alcibiade, illo celeberrimo duce, non conſentiat cum Plutarcho, nec cum Andocide, qui in hoc negotio fide dignior, quod aequalis fuerit Alcibiadi, & in eum orationem compoſuerit, in qua ejus genus accurate recenſet. Credit ergo noſter, oratoria aſtutia Demoſthenem de illo Alcibiade dixiſſe, quae Alcibiadi juniori, prioris illius filio, conveniebant, quem λειποταξίας Lyſias accuſavit. Transtulit ergo ſtemma filii ad patrem, non ignoratione veri, ſed eo quod ad propoſitum faciebat. Conf. *Palmerium* ad Plutarchi Periclem, exercit. p. 191. & ad Ariſtophanis Aves p. 754. *Meurſ.* Att. Lect. VI, 12. *Valeſium* ad Mauſaci notas in Harpocr. v. Ἀλκιβιάδης, item *Valeſ.* Emendat. IIII, 1. ubi hunc Demoſthenis duplicem errorem fuſius perſequitur. Neque enim Alcibiades pater genus paternum ab Alcmæonidis, neque maternum ab Hipponici domo, duxit. Eodem errore, quo Demoſthenes, tenetur etiam Libanius declam. VIIII. Et hujus modi generis alia, critica præſertim, addidit editor celeberrimus. Neque hoc ſolum; adjunxit pariter Jacobi Jurini M. D. viri clariſſimi, ad hancce Demoſthenis orationem notas, quæ mere quidem criticæ, nimium exigerent ſpatium, ſi, una cum Taylori in Lycurgum obſ. vel examinari, vel ſaltem excerpi deberent, omnes. Iſtud addimus, Lycurgi orationem, ſuis, præter ceteras, adnotationibus inſtructam, una cum diſſertationibus quibuſdam brevioribus, de oratoris vita, dialecto Attica, doctrina rhetorica, præceptis vitæ, ſub genera ſua redactis atque expoſitis, deque convenientia ſtili potiſſimum Lycurgei cum novo teſtamento, paratam prelo habere, nec niſi bibliopolæ impenſas exſpectare J. G. Hauptmannum, eloquentiæ in ill. Rutheneo profeſſorem. Cui quidem inſtituto propediem, ultra vulgus ſapientem, hoc eſt litteraturæ, non ſolius lucri cupidum, librarium vovemus.

HISTOIRE DE CARAUSIUS, EMPEREUR de la grande Bretagne, Collegue de Diocletien & de Maximien.

hoc eſt:

Vita Carauſii, Imperatoris Magnæ Britanniæ, Diocletiani & Maximiani Collegæ, numis illuſtrata per GENEBRIER.

Paris, 1740. 4to, 2 Alph. 2 pl. 9 Tab. æn.

Carauſii ut multa ſunt præclara facta, ita virtus ejus, in bello a Maximiano Herculio contra Bagaudas geſto, primum eminuit. Agrorum nemorumque incolas eo nomine appellari nonnulli ſtatuunt, alii Celticam vocem putant, alii denique ab *Alauda*, Romana legione, ipſos repetere malunt. Gallis enim devictis, & Meloduno capta, Cæſarem ajunt, ad urbem Pariſiorum exercitum admoviſſe, & caſtello, ſecundo ab urbe lapide exſtructo, commeatum, per Matronam fluvium, e Bria & Campania advectum, obſeſſis intercluſiſſe, præſidio militum legionis Alaudæ, unde poſtea Bagaudarum appellatio orta ſit, arci impoſito. Quocunque ſe res modo habeat, in eo conveniunt ſcriptores, rebelles eos fuiſſe, qui Diocletiani & Maximiani imperium peroſi, Cæſarem ex ſuis elegerint. Quos ut ad officium redire cogeret Maximianus, cum exercitu in Galliam venit, eoſque ad *Saint Maur des Foſſez*, ut plerique volunt, aggreſſus, prælio ſuperavit. Horum ſententiam autorum, Chlodovei II. charta, in qua veteris Burgundorum caſtelli mentio habetur, confirmat, deque provehendo ad ſupremum faſtigium Amaudo, ibi primum agitata eſſe conſilia, nequaquam abhorrere a veritate credit. Fragmentum, quod Oroſio vulgo tribuitur, *Caſtrum Burgundorum* a Maximiano funditus everſum eſſe, memoriæ prodidit. Cæterum, victoriam illam, martyrium legionis Thebeæ, quæ, cum Chriſtiana eſſet, contra Bagaudas, iiſdem ſacris addictos, pugnare noluerat, illuſtriorem reddidit. Illud perperam ad annum 297. Baronius refert, cum an. 285. aut 286. contigerit. Helinandus, eam legionem, quod *Zeli* idolo ſacrificium offerre negaſſet; Eucherii acta, quod crudelibus Maximiani juſſis parere detrectaſſet, trucidatam eſſe perhibent: quo diſſenſu, ut cætera nunc taceamus, adductus Dubour-

bourdieu, rem omnem in ſuſpicionem fraudis vocavit: cujus argumenta Cl. auctor accurate perpendit. Finito bello, fere amiſſa Gallia recuperata, & Carauſii gloria maxima atque ampliſſima fuit. Bagaudæ enim, non rudis & inadſueta bello manus, ſed viri fuerant, qui Romanis quoque terrorem injicēre poſſent. Hi Auguſtodunum, ubi Druidæ nobilem juventuti ſcholam aperuerant, liteſque componere ſolebant, & quo loco Magnentius, Conſtantio exercitum in Perſiam ducente, regnum capeſſiverat, obſidione cinxerant. Ejus ſplendorem urbis, longa ætas, quæ excidium ejus ſecuta eſt, non plane obruit, ſed templorum Jani & Dianæ, amphitheatri, & circi rudera, ut *Nova Roma* a Franciſco I. Galliæ Rege appellaretur, effecerunt. Ad ſolum fere a Bagaudis diruta eſt; quibus Carauſius ſuperveniens, tam memorabile prælium edidit, ut neque nuntius ejus cladis ſuperſtes fuerit, omniſque eorum, Amaudi quoque & Aeliani Cæſarum, memoria deleta ſit. Amaudi quidem tumulus Auguſtoduni viſitur, quem Epiſcopum fuiſſe credunt, ſeu vetus is error, ſeu traditio ſit a patribus accepta. Horum autem motuum originem, Salvianus præfectorum ſævitiæ tribuit, qui graviora, quam ferre poſſent, civibus tributa imperabant: certe una illa victoria quietem Galliæ peperit. Iiſdem temporibus Franco-Saxones, cæterique Germani Oceani accolæ, ab imperio defecerant, & piraticam exercebant. Ei defectioni comprimendæ, pacandæque oræ Britannicæ, Carauſius unus omnium aptiſſimus videbatur: ſed orta in Germania ſeditio, eundem libertatis ſuæ vindicem requirebat. Quare, compoſitis Galliæ turbis, Maximianus cum Carauſio Germaniam petiit, & eodem, quo primi conſulatus memoriam celebrabat, die, ab urbe Treviris, commiſſo prælio, rebelles dimovit. Poſtea ad Germanos, qui mare claſſibus terrebant, coercendos, Carauſius miſſus eſt; licet Pagius, in victoriæ Germanicæ partem eum vocatum fuiſſe, neget, quod jam tum infeſtus fuerit Imperatori: cui tamen opinioni, nec Mamertinum, nec tranſpoſitionem in faſtis Conſulum, ullo modo favere, eruditus auctor oſtendit. Bononiam veniens, claſſem armavit, celeriterque maritimos prædones conſectando, multos cepit, &

& mare tutum reddidit. Tot victoriæ, quamvis gratæ Maximiano eſſent, in invidiam tamen & ſuſpicionem venit Carauſius, quaſi prædæ intentior, opes, quibus aliquando iter ad imperium ſibi pararet, congereret: quare de eo tollendo conſilia agitata ſunt. De quibus certior factus, militum animos pollicitationibus ſibi conciliavit, & ab his Imperator in Gallia conſalutatus, arma recepit, foedere cum Francis & Saxonibus inito, Galliam Belgicam & Aremoricam occupavit, & piratis iterum domitis, Imperator & Rex Inſularum Britanniæ ac regionis Batavæ creatus, Morinos quoque & Menapios imperio adjecit. Accitus a Britannis, Pictos & Scotos, æquis conditionibus in partes traxit, & diſſidiis, quæ gravia inter ipſos & diuturna vigebant, compoſitis, metu imminentis belli, ad profligandum communem hoſtem incitavit, urbes & caſtella expugnavit, copiaſque Diocletiani ex inſula expulit. Interea Maximianus Alpes cum exercitu ſuperaverat, & nuntio de Britannicis rebus accepto, claſſem ædificabat, cui totum fere annum impendit. Diocletianus quoque, tumultibus in Syria & Perſia ſedatis, copias cum Maximiano iunxit; ſed direpta claſſe, pacem & foedus cum victore inire coacti ſunt. Peritiſſimos tum belli navalis Carauſius Britannos fecit, naveſque validiores, Romanorum more, in Oceanum deducere docuit: cum Britannicæ, ut leviores, nec æquoris vim ferre poſſent, nec ventorum. Exſtant alia quoque ejus Imperatoris per Britanniam monumenta, ut Caſtellum *Chocem*, cujus auctor, a Kennetto in antiquitatibus Paroeciarum Angliæ editus, mentionem fecit. Ninnus, murum inter Cludæ & Corunni oſtia ab eo exſtructum, contra Scotorum Pictorumque incurſiones, refert: quod negat commentator, & veterem illum ab Hadriano & Septimio Severo conditum, reparatum eſſe conjicit. Ejus muri fundamenta Julium Agrippam jeciſſe, Andr. Quercetanus ait, ſed Taciti teſtimonio deſtitutus. Cl. auctor de perpetuis Scotorum Pictorumque inimicitiis, & qua ratione a Carauſio ſopitae ſint, variorum ſententias auctorum adducit. Priuſquam ille in Britanniam trajiceret, Bononiam, ubi de novo imperio primum cogitaverat, munivit; quae quidem

urbs

Digitized by Google

urbs jam diu, ob pharum a Caligula exſtructam, laetum amoenumque ſitum, & murorum munimenta, celebris evaſerat. In tanto impetu rerum, cum parata tot praeliis pace frui inciperet, ab Allecto, quem ſummæ rerum præfecerat, in lecto occiſus eſt. Quot annos imperium geſſerit, non convenit inter auctores, alii ſex, ſeptem alii conſtituunt: Eutropius decem computat, complexus eos, quibus Allectus regnum uſurpavit verius, quam tenuit. Sequitur Diſſertatio de ortu & patria Carauſii, quam nonnulli, loco Eumenii Rhetoris innixi, in Batavis quærunt. Aurel. Victor eum *Menapiae civem* dicit: ſed ejus nominis plures exſtant urbes, ut *Menapia* in Bactria, *Menapia* in Hibernia, Gallorum, qui e Belgio illuc tranſierant, ſedes. De Eumenii loco poſſet aliquis dubitare, cum non contra Carauſium, ſed Allectum, Conſtantius Chlorus profectus ſit: at illum certo Eumenius innuit, cum & motuum primus autor fuerit, & arma Britannicis inſulis, Galliæ, Belgioque intulerit, quarum partem victoriarum nullam ſibi vindicare Allectus poterat. Hiberni quoque eum civem ſuum eſſe perhibent, quorum Menapia hodie *Wexford* eſt; Bedæ inprimis, qui Imperatorem ex infima Britonum gente prognatum dicit, autoritate freti. Quibus argumentis rite ponderatis, veram Carauſii patriam Caſtellum Menapiorum, hodie *Keſſel*, in Belgio eſſe, Cl. auctor oſtendit. Obſcuro eum loco natum, Beda aliique contendunt, alii nobiliſſimum, Victor Menapiæ *civem* appellat. Ipſum ex familia Marcia originem duxiſſe, cum Marci prænomen in ejus numo exſtet, conjicere quis poſſit: ſed illud tantum honoris cauſa, non ſecus ac Valerii & Aurelii, adſciviſſe videtur. Annalium Scoticorum, qui ſuis cum Regibus editum volunt, fides laborat, & *Carentius*, *Fndochi* frater, plane eſt a Carauſio diverſus. A primo gradu militiæ ad ducis munera adſcendit, & occupata Britannia, ad ſupremam imperii dignitatem pervenit; illuſtre etiam poſt mortem nomen relinquens, cum non ſolum Conſtantius, magni Conſtantini filius, Carauſiam filiam habuerit, ſed Thermæ quoque Carauſia-

rauſianæ Idatio memorentur, quæ fortaſſe ſunt *Aquae Solis*, hodie *Bath*, in comitatu ejuſdem nominis: quod etiam Guindotius, Medicus Anglus, in libro de Thermis Bath, innuit, numoſque Carauſii ibi refert inventos eſſe. Zabarella, filium Carauſii Sylvanum fuiſſe, ait; cujus ſententiam numo, cui inſcriptum eſt: *Principi Juventutis*, Cl. auctor confirmat: quod autem *Pezaros*, nobiles Venetos ab eo deducat, id quam verum ſit, aliis dijudicandum relinquit. Cæterum de Principe Juventutis, variæ obſervationes in fine diſſertationis afferuntur. Maximam libri partem Hiſtoria Imperii Carauſii LXX. numis illuſtrata conſtituit, ubi eruditæ antiquitatis mul-
pag. 26. ta veſtigia deprehenduntur. Atque ut exempla afferamus, *Abundantiam* in numis non ſemper de frumenti, ſed & de auri argentique copia accipi debere, oſtendit auctor. Tres monetariorum officinas in Italia, totidem in Gallia, duas in Bri-
28. tannia, Eboraci nempe & Camuloduni, fuiſſe, docet. In numo, cui *Fidem militum noſtrorum* inſcriptum, verba: *re-*
40. *muneratus eſt*, ſupplet. Flammeolum Vegetii, *le Pavillon*
67. a nautis appellari, obſervat. *Tutelam Auguſti*, ad urbem
98. Burdigalam, ubi templum genii tutelaris fuerit, refert. Mi-
141. nervam Beliſamiam, ab oppido Beliſama, hod. *Ribel*, nomen
254. habere, & Allectum Regem Britanniæ, quem *Athec* ſcriptores appellant, eſſe conjicit.

CHRISTIANI ERNESTI A WINDHEIM ord. Phil in Julia Carol. Adjuncti, Obſervationes Theologico Hiſtoricæ ad Benedicti XIIII. Pontificis Max. nuperam ad Epiſcopum Auguſtanum epiſtolam, quibus cum de aliis rebus, tum de Sanctis eccleſiæ Romanæ, rituque canonizandi, diſſeritur.

Helmſtadii, 1747. 4. plag. 16.

Multa quidem, eaque præclara ſunt, quæ *Benedicto* XIV. olim *Proſpero de Lambertinis*, Cardinali tituli S. Crucis in Hieruſalem, laudi ſempiternæ ducun-

ducuntur, inter quæ nominis tanti Pontificis maximum eſt ornamentum, quod literas colat, augeat, atque tueatur. Ipſe plures multifaria doctrina atque immenſa le- pag. 2.
ctione refertos edidit libros, vaſtæque molis volumina, dum interea literatorum omnium curam ac tutelam in ſe ſuſcipere, ſacrique ordinis ſocios, diſcuſſis ſocordiæ atque ignorantiæ tenebris, ad literarum ſtudia excitare, non intermittit. Singulari præterea erga coetus ſui adverſarios utitur animi æquitate, & inſigni moderatione, ut ſanguinem quidem hæreticorum non ſitire videatur. Accedit inter laudes ejus celebranda prudentia eccleſiaſtica, & minime fucatae pietatis gloria, qua fit, ut doctrinam moralem, admodum in curia atque eccleſia depravatam, èmendet, & craſſiſſimas fabulas atque ſuperſtitionis labes a ſuis
abſtergat. Hoc etiam conſilio *Breviarium Romanum*, bar- 3.
bare perſcriptum, multiſque ineptiis refertum, oculis Monachorum ſubtraxit, & elegantiores in ejus locum ſubſtituit ſcripturas. Nec minus laudabilis Pontificis iſtius cura fuit, circa imminuendum feſtorum dierum numerum, etſi eam, præter alia multa, & monachorum pertinacia multum impedivit, quo minus ex ſententia pontificis omnino
ſuccederet. Denique huc referendum eſt & hoc, quod 4.
familiam ſodalitatis Lojoliticae coercere, & Capucinos ceteris omnibus Monachorum ordinibus anteponere, decreverit; qua ex cauſa etiam *Clementis XI.* bullam: *Ex illa die:* renovavit, & *Caroli Ambroſii Mezzabarbi* permiſſiones ſolemni ritu formulaque revocavit, atque ſuſtulit. Sed quanta quanta iſta ſint, multum tamen abeſt, ut dicamus, Pontificem hunc egregium, & multis nominibus laudandum, ita eccleſiæ ſuæ regimen adminiſtrare, ut ad Chriſti ſolius doctrinas revocare eam, & ſuperſtitioſis omnibus opinionibus
liberare ei liceat. Teſtes ſunt libri ejus de Canoniſa- 6.
tione & Beatificatione, qui Pontificem arguunt, defenſorem multarum ſuperſtitionis pleniſſimarum ſententiarum, quæ vix ab omnibus Pontificiis eruditioribus admittuntur. Cau-

Digitized by Google

ſam perorat ubique pro ſanctorum interceſſione, cultu, & invocatione, quam ab antiquiſſima eccleſiæ diſciplina derivare,
pag. 7. fruſtraneo quamvis conatu, elaborat. Dubius ipſe hæſitans circa illius quæſtionis deciſionem, num Pontifex M. in negotio Canoniſationis falli queat, nec ne: ita tamen ſtatuere non veretur, Pontificem in graviſſimo hoc negotio a præſentia Spir. S. dirigi, *quoniam hoc negotium ad fidem reductive pertineat*, atque *univerſam reſpiciat eccleſiam.* Quod ſi verum, longe veriſſimum erit, Pontificem M. nec in decretis illis errare poſſe, quæ directe fidem & doctrinam Chriſtianam influunt; quod tamen quam vaniſſimum ſit aſſertum, inter reliquos *Jo. Launojus*
8. egregie oſtendit. Solebant enim Pontifices olim, ante quam in numerum ſanctorum aliquem referrent, hæc pronuntiare verba: *Proteſtamur publice apud vos praeſentes, quod per hunc actum Canoniſationis non intendimus aliquid facere, quod ſit contra fidem aut Catholicam eccleſiam.* Ex eo fonte alius fluit error, qui firmiſſimis nititur argumentis, quod ſcilicet ſancti aliis plane diebus colantur, quam quibus ad coeleſtem patriam migrarint. Id vero ut abs ſe removeant, perhibent Pontificii, verum diem Deum revelaſſe, ſi non ſatis eſſet cognitus, ne eccleſia, ita judicante Pontifice, erroris aliquid
9. committeret. Stigmata notiſſima S. Franciſco ab ipſo Chriſto, ut vulgo putatur, inflicta, & a plurimis Pontificiis, exceptis Dominicanis, rejecta; itemque fabellam de æde Lauretana, inter ea, quæ credi poſſint, *Benedictus* reponit. Idem ille, qui mitiſſimus antea videbatur contra hæreticos, in illam
10. nunc erumpit vocem: *Haereticos, praemiſſis praemittendis, diligentibus videlicet & ſuavibus, aptiſque modis, ut ab errore recedant, monendos; hiſque omnibus inutiliter adhibitis, ad fidem demum compelli poſſe minis & terroribus, &* pertinaces demum morte puniri, *implorato brachii ſecularis auxilio, concors eſt Patrum*
11. *& Theologorum ſententia.* Sed falſiſſimum Autor noſter eſſe dicit, concordem omnium Theologorum eccleſiæ Romanæ hanc eſſe ſententiam, quin imo teterrimam. Præter ea inſignis religionis cultus, quem *Petro* per octiduum decrevit, &

tutela

Digitized by Google

tutela *Petro* atque *Paulo* in urbem Romam commiſſa, ut de reliquis taceamus, nobis certiſſimam facit hanc ſententiam, *Benedictum* a veſtigiis majorum non longe admodum recedere.
Prudentia ejus, ab amicis non ſimplici vice laudata, ex ea valde pag. 14.
obſcuratur ſuſpicione, quam timiditatis Pontificiæ argumentum eſſe, nonnulli non quidem temere affirmant. Notiſſima ſunt 16.
reverendi *P. Norberti* fata, qui autoritate fideque Pontificis ſecurus, librum ſuum contra Lojolitas edens, poſtea, imminente ſatellitum horum religioſorum procella, preſſus vexatuſque, fracta a Pontifice data fide, aufugere coactus eſt; ne Auguſtiſſimo quidem Imperatore *Franciſco I.* tantæ tempeſtati remoram injicere valente. Sed ad id, quod caput hujus li- 17.
belli eſt, ex hoc ambitu orationis Autor deflectit iter, & ad epiſtolam a *Benedicto XIV.* nuperrime ad celſiſſimum antiſtitem Auguſtanum, *Joſephum*, perſcriptam, delabitur. Multa in ea occurrebant commemoranda, præcipue tamen notabilis erat mulieris cujuſdam Kauffbyrenſis, *Creſcentiae*, Canoniſatio, a plurimis efflagitata, a Pontifice vero dilata, aut potius diſſuaſa atque rejecta. Multis hæ literæ, doctorum virorum, tum Romanæ, tum Proteſtantis eccleſiæ, judiciis fuere expoſitæ.
Nec dubium videtur, quin cel. *Pfaffius* occaſionem inde nactus 19.
ſit, conſcribendi diſſertationem doctiſſimam, *de eo, quod licitum eſt circa picturam imaginum S. S. Trinitatis & perſonarum divinarum.* Legit hujus viri veſtigia Auctor, & reliqua hujus epiſtolæ momenta ſub examen vocat. Ante omnia tamen 24.
exemplum literarum Pontificiarum typis exſcribendum curavit, quarum duo in primis ſunt momenta; alterum, quod *Creſcentiae*, monialis ſcilicet, in numerum ſanctorum inſerendæ, 26.
vitam, ſanctitatem, pietatem, miracula, aliaque hujus generis ſexum atque ordinem ſuum condecorantia ornamenta, attinebat; alterum de forma imaginum, & inprimis S. S. Trinitatis, agit, quam non niſi biblicis ſub figuris admittendam eſſe Pontifex monebat. Literis hiſce lectorum oculis animiſque 44.
integris ſubjectis, Autor denuo in quæſtionis hujus inſtituendæ caput inquirere coepit, & uberiorem paulo nobiſcum rei

Digitized by Google

geſtæ cum *Creſcentia* communicat enarrationem, ab autore fi-
de digniſſimo, Romanæ ſcilicet eccleſiæ addicto, gente Italo,
dignitate non exigua in aula Antiſtitis Auguſtani florente, di-
pag. 45. ligentiſſime repetitam. Traditur hæc mulier, maxima pietatis
& ſanctitatis laude florens, corpus variis tormentorum gene-
ribus excruciaſſe, frequenti ciborum abſtinentia tabem corpori
induxiſſe, & contemplationi imaginationibusque mirifice indul-
ſiſſe. Quibus rebus factum eſt, ut rationis amiſſo uſu, ani-
moque menteque turbata, multa ederet vaticinia, & viſiones
quamplurimas haberet. Inter illas ea quoque obtigit, qua
Spiritum S. ſibi ſub imagine juvenis florentis forma atque fi-
gura adparuiſſe, jactitabat. Omnium harum rerum inſolita-
rum famam augebat ille, cujus gubernationi curam animæ
commiſerat pia monialis, Jeſuita ſcilicet, ad decipiendam ple-
bem aptus, & ex hoc pietatis mirabili effectu non levem fru-
ctum ſanctitatis ſuæ apud omnes, quod fieri ſolet, captans.
46. Notatu erat digniſſimum, ſimulacra Sp. S. aere expreſſa, ubi-
que terrarum diſtributa, miracula nonnulla edidiſſe, præſentiſ-
ſima corporis animique pericula averruncaſſe, & viſiones alias
48. patronis & cultoribus ſuis præbuiſſe. Omnium tandem iſtarum
rerum examen, prudenti & docto committebatur viro, eidem-
que, cujus mentio jamiam facta eſt. Hic, detecta Jeſuitæ
fraude, id moliebatur, ut acta ad Pontificem mitterentur; qui,
omnibus recte ponderatis, per epiſtolam illam, de qua agitur,
conatibus eorum reſtitit, qui feminam illam inter divas tute-
49. lares recenſeri cupidiſſime vellent. Inſerit hic Noſter teſti-
monium *Stopani*, nuperrimi ad comitia electionis Imperato-
riæ Pontificis M. legati, maxime ſuperſtitionem Germanorum
Romanocatholicorum dolentis; cujus auctoritate potiſſimum
factum fuiſſe Autor ſuſpicatur, ut *Benedictus XIIII.* qua-
tuor delectos viros in Germaniam mitteret, qui in ſtatum
eccleſiarum & monaſteriorum patriæ noſtræ inquirerent, & ad
51. ſe referrent. Pergit dein Auctor ad examinandam auctoritatem
hujus epiſtolæ, quæ non publica, ſed privata eſſe, invictis de-
monſtratur argumentis: quod tum in genere ex eo patet, epi-
ſtolas

Digitized by Google

ſtolas Pontificum, ipſis Doctoribus Romanis affirmantibus, non certam, ſed probabilem modo reddere ſententiam; tum etiam in primis hoc conſtat ex eo, epiſtolam præſentem non a Pontifice, tanquam tali, ſed a doctore privato tantum eſſe
perſcriptam. Nec enim abſolute reſpondet, ſed modo quid pag. 52.
ipſe, quid alii doctores ſentiant, refert; nec omni eccleſiæ cre-
dendum proponit, quod ſcribit, quod quidem fieri neceſſe 53.
erat, ſi aliter res ſeſe haberet. Ex his, aliiſque, facile erit dijudicatu, epiſtolæ hujus auctoritatem eam non eſſe, quæ prima videbatur ſpecie; nec eſt, ut Proteſtantes inde quidpiam pro-
ferant, ad redarguendas Romanæ eccleſiæ doctrinas. Sunt ta- 55.
men alia in his literis pontificiis reprehendenda, inter quæ non tolerandam eſſe cenſet Noſter modeſtiæ ſpeciem, quam Pontifex in doctores noſtræ eccleſiæ exhibere videtur, appellando eos Lutheranæ profeſſionis ſectatores. Inique tamen in eos ſtatim agit, heterodoxos, improbos, & delirantes, in cauſa non fidei, ſed diſciplinæ modo atque opinionis externæ, iſtos
compellans. Injuſtiſſime *Lutherum* inſectatur, tanquam *Severi* 57.
aſſeclam, negantis, Sp. S. ſub ſpecie columbæ pingi debere: cum tamen cuivis notum ſit, imaginem hujuſmodi in omnibus
Lutheranorum aſſervari templis. Laudi quidem *Benedicto* 59.
XIV. cedere arbitratur Noſter, quod profiteatur, experientia ſe habere cognitum, ſæpenumero fictas proferri ſanctitates in templum ſanctorum; de quo quidem argumento ſæpiſſime doctrinæ noſtræ reſtauratores fuerunt queſti, ſed infelici conatu:
hoc tamen recte ſeſe habere Noſter negat, quod Pontifex, 60.
aſtutiam eorum reprehendens, qui regunt vitam moreſque aliorum, ne unico ſaltem verbo, ipſum *Creſcentiae* vitæ rectorem, ejuſdem criminis omnino ſuſpectum, notaverit; metu forte perculſus, & timide tela non nocitura avertens. Nec in eo recte agit, quod, *Creſcentiae* imaginem fictam prohibens, in id non elaborare ſtudeat, ut omnes, non in Germa-
nia ſolum, ſed etiam in Italia, Hiſpania, aliiſque in locis, conſpe- 65.
ctui expoſitæ innumeræ fere, & in Deum injuræ imagines, tollantur. Miratur deinde Noſter, cleri Germanici, Romano

coetui addicti, ſocordiam, in utramque aurem dormientis, & Theologiæ modo Scholaſticæ placitis operam qualemcunque
pag. 66. navantis: magis tamen miratur Pontificis conſilium, quod, neglecta Scripturæ Sacræ lectione, & Theologia, quam tradunt Pontificii, Dogmatica, de hiſtoria modo eccleſiaſtica, & canoni-
67. ca Juriſprudentia præcipiat. Incertiſſima inde omnia iſta eſſe Noſter queritur, quæ de definitione ſancti, in numerum divorum referendi, ab ipſis Pontificiis proferuntur. Quin imo de gradu, quem Sancti inter coelites tenent, de invocatione & Canoniſatione eorum, infinita inter eos quæruntur & diſceptantur. Nec de eo illis conſtat, utrum eccleſia & concilium Tridentinum, ex ſententia eccleſiæ jubeat invocationem ſanctorum, an vero tantum ut rem utilem & bonam ſuadeat. Utraque ſententia ſuos, eoſdemque graviſſimos, habet patronos.
71. Nec hoc denique certum habent atque exploratum, num Sancti ſint mediatores, & quidem veri nominis tales, an modo deprecatores. Sunt multi inter Pontificios hoc præcipientes, ſunt vero & alii huic ſententiæ non ſubſcribentes. Ipſe quidem *Catechiſmus Tridentinus* innuere id videtur, ubi hæc ſunt verba: *Multa Sanctorum merito & gratia in nos Deus confert.* Sed quæ opinio alteri ſit præferenda, neque concilium ullum univerſale, neque Pontificum quiſquam, decrevit ex Cathedra.
73. Impudentiſſimum hinc facinus commiſiſſe ſacerdotem illum Pontificium, auctorem funeſtiſſimæ hujus litis, quæ in agro Hildeſiano ante aliquot tempus mota fuit, de fide eccleſiæ ſuæ privato nomine pronuntiantem, & Sanctos pro deprecatoribus tantum habentem; quod tamen ne Pontifex quidem ullus
75. hucdum præcipere vel voluit, vel auſus fuit. Ad ipſum beatificandi negotium & normam, quæſtionem nunc devolvit Auctor, multaque opus eſſe recenſet diligentia, in diſquirendis Actis, & examine de vita futurorum Sanctorum inſtituendo; quo in caſu hodierna eccleſia Romana diſcedit a ſtrictiore veteris eccleſiæ diſciplina, minus adhibentis circumſpectionis & prudentiæ. Sed exinde prono fluit alveo, nec Proteſtantes eſſe reprehendendos, ob migratam corruptæ eccleſiæ diſciplinam,

nam,

Digitized by Google

nam; nec laudandam Romanam eccleſiam, tales ſanctos invocantem, de quibus dolet, neceſſariam circa eos non adhibitam fuiſſe explorationem: ut dubium plane ſit, num vere extiterint, num ſancti fuerint. Nec aſſeverari poteſt, Pontificem, omni pag. 80.
licet adhibita opera, non falli, de quo ipſi inter ſe digladiantur Romani. Sed vaniſſima ſunt aſſerta, Pontificem in hoc negotio falli non poſſe. 83.
Et quid, quæſumus, tanta inquiſitione opus eſt, ſi Pontifex Sp. S. illuminatus ea omnia edoctus eſſe poteſt. Propius jam Auctor accedit ad reliqua, regulas examini ſubjiciens, 85.
quas circa Canoniſationem non a ſe excogitatas, ſed ex congregationis rituum Romanae diſciplina eſſe collectas, Benedictus affirmat. Ita tamen eas omnes eſſe comparatas Noſter judicat, ut nihil pro ſanctorum integritate & veritate elici queat. Animum porro advertit ad illa ſigna, ex quibus 91.
Benedictus XIV. hominum ſanctitatem vult aeſtimari. Quatuor hic momenta eſſe perſpicienda, monet. Primo neceſſe eſt, inquit, ut, qui Sanctus pronuntiari debeat, vel ante vel poſt mortem miracula faciat. Idem deinde virtute non vulgari, ſed heroica aut extraordinaria praeditus eſſe debet. In extremo porro mortis articulo, aliquid illuſtre & ſanctitate conſpicuum afferat neceſſe eſt. Et denique ex ſcriptis ejus, ſi quae ſint, adpareat oportet, concors & perpetua cum fidei veritate, & morum integritate, convenientia. Sed in genere hic notandum 92.
eſt, hanc diſciplinam eſſe novam, quod ex omnibus ſanctorum recentiorum monumentis patet. In veteri eccleſia *Sanctus* & *Martyr* unus erat idemque. Cuicumque itaque tanta obtigerat felicitas, ut vitam pro Chriſti doctrina amitteret, illi tantus honor tribuebatur. Reliquis non item. Haereticis vero deinde ſuos ſibi martyres excogitantibus, res ad miraculorum pericula tranſibat. Seculo deinde X. ad Pontifi- 96.
ces res omnis deferebatur, ubi de vita & miraculis quaeſtio prima inſtituta eſt, nihil tamen in ſpecie eorum requirebatur, de quibus nunc in Curia Romana quaeritur. Sub exitum 98.
Seculi XII. Canoniſationis diſciplina, rudis atque neglecta hactenus, meliorem induit habitum, Pontifice *Innocentio III.*

Evan-

p. 100. Evangelica deinde luce terras noſtras, manus obſtetrices
ferente *Luthero*, plenius illuſtrante, major adhibebatur
cautio atque diligentia in Sanctorum vita aeſtimanda; ne
haberent ſcilicet haeretici, quod juſtis opprobriis peterent.
102. Ab iis temporibus tres numerabantur cauſae, *vitae* ſcilicet
puritas, excellentia fidei, & *miraculorum claritas*. Ex qui-
bus patet, *Benedictum*, quartum addidiſſe ſignum, novitate
108. quadam in extremo mortis articulo conſpicuum. Evolvit
deinde hanc cauſam Auctor, & in quantum a veteri diſci-
112. plina eccleſiae aberret Pontifex, diligenter monet. Ex his,
prolixius diſceptatis, periculoſa oritur quaeſtio de Sanctis,
antiquis temporibus temere in coelum relegatis, & de
Pontificis infallibilitate, non Sp. S. ſed Congregationis ri-
117. tuum acta & decreta ſequi coacti. In prohibito imaginis
Sp. S. cultu, laudat *Benedictum* Noſter, ſed docet etiam,
in quantum ab eccleſiae Romanae ſcitis diſcedat, quam-
cunque ſpeciem admittentis, qua ſub divina perſona ſan-
ctis perſonis ſe exhibuerit. Haec ſunt momenta potiora
hujus libelli, optimae frugis pleniſſimi, quae lecto-
ribus noſtris invidere nefas eſſe
duximus.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VIII Sectio III.

FABII COLUMNAE LYNCEI ΦΥΤΟΒΑΣΑΝΟΣ, *cui acceſſit Vita Fabii, & Lynceorum Notitia, Adnotationesque in Φυτοβάσανον, Iano Planco Ariminenſi Auctore, & in Senenſi Academia Anatomes Profeſſore Publico.*

Florentiæ, 1744. J. P. ære, & Typis Petri Cajetani Viviani, & Mediolani Superiorum Facultate. 4 major. pag. 136. Tab. æn. 38.

Præſens Liber, cujus duæ cernuntur Typographi ſubſcriptiones, quarum altera Florentiæ titulum habet, Mediolani altera; quæ ideo fortaſſe quibusdam exemplaribus adpoſita fuit, ut conſcientiæ ſcrupuli quibusdam eximerentur, qui verentur Libros emere Florentiæ editos, propter notas controverſias in re Typographica cum Curia Romana; editus fuit ære Jani Planci, Civis nobilis Ariminenſis, & olim in Senenſi Academia Anatomes Profeſſoris Primarii; ſic enim explicandæ ſunt ſiglæ, J. P. ære, in qualibet Typographi ſubſcriptione, id eſt Jani Planci ære. Janus enim Plancus, ut diximus, cum de ejus Libro de *Conchis minus notis*, & de *Aeſtu maris*, retulimus, italice *Joan-*

 nes

nes Bianchi adpellatur, ſed, ut a turba aliorum, qui hoc nomine veniunt, diſtinguatur, Latino *Jani Planci* nomine vocari amat. Nova hæc editio Phytobaſani Fabii Columnae, quam Plancus de ſuo paravit, ſplendida admodum eſt; meliore enim charta eſt uſus, & duplo fere majore quam in priore hujus Libri editione; præterea additiones, quas adpoſuit Plancus, fere tertia parte ſuperant primam Libri molem. Nos præſertim hic memorabimus, quae adjecit Plancus, & quidem primo loco ſunt: Vita Fabii; II. Hiſtoria Academiae Lynceorum; III. Elegans & minime vulgaris Præfatio; IV. Triginta & amplius Adnotationes, quae adjectæ ſunt ſingulis Phytobaſani Capitibus; V. denique Appendix quædam, quæ aliquot loca illuſtrat, Vitae Columnæ & Lynceorum Hiſtoriæ, quæque ultimo loco adfert deſcriptionem, & æneam tabulam de Stella quadam marina nova, & de quibusdam minimis Cornubus Hammonis, quæ Plancus invenit in littore Liburnenſi.

Libri omnes Fabii Columnæ rariores ſunt, ſed Phytobaſanus rariſſimus erat, ut eum aſſerat Boerhavius, in Libello Methodi addiſcendæ Medicinæ, viginti quinque florenis batavis vendi, & tanti eum emerat, immo pluris, Nicolaus Gualterius, Ioannis Gaſtonis Magni Hetruriae ducis Archiater. At hæc nova editio, quam Plancus adornavit, ſvaſu præſertim, ut fatetur in Præfatione, memorati Gualterii, amici ejus intimi, dum viveret, quamvis longe pulchrior, & tot additionibus aucta, tribus tantum Florenis ejusdem monetæ conſtabit; quare etiam hac de cauſa multum Planco debent eruditi. Verum aliquid dicamus de Additionibus, quæ in hoc Libro reperiuntur. Titulus ipſe unam nobis offert, cum in ipſa Libri fronte, ænea ſculpta ſit tabula, in qua lynx pulchre eſt inciſa, ex Commentario Stelluti in Perſium huc translata, quoniam hæc fera Lynceæ Academiæ ſymbolum erat, in quam Academiam inter primos cooptatus fuerat Columna. Initio Libri, uti diximus, Plancus vitam hujus Auctoris præmittit, qui ex nobiliſſima Columnarum gente prognatus fuit, quæ Neapoli florebat. Filius fuit Hieronymi Co-

Digitized by Google

Columnæ, viri eruditi, qui Ennii fragmenta primus edidit. Fabii ſtudia fuere præter ea, quæ ad eruditas linguas, latinam nempe & græcam, pertinent, Geometria, Optica, Muſica, pingendi ars, & Jus utrumque, Cæſareum nempe & Pontificium, in quibus Magiſter, ſeu Doctor, ut ajunt, in patrio Collegio fuit renuntiatus, & jus quoque dixit practice, cum Judex, Vice-Principis nomine, in dynaſtiis, quas inter Marſos & Aequicolas Columnarum domus poſſidet, a Martio Columna, Zagarolæ dynaſta, creatus fuiſſet. Dum adoleſcens eſſet Fabius, comitiali morbo interdum erat obnoxius, quo ut ſanaretur, Botanices ſtudio animum applicuit ſuum, & præſertim herbas in veterum libris Botanicorum græcorum latinorumque quærebat. Cognoverat enim, Botanicos omnes ſui temporis, & vulgares Medicos, inter ſe diſcordes eſſe, in aſſignandis herbis a veteribus deſcriptis. Quare egregius Botanicus evaſit, & ex comitiali morbo convaluit, ut multi ajunt, uſu Valerianæ ſilveſtris, quod ipſe quoque innuere videtur in calce Phytobaſani ſui. Cum igitur Botanices ſtudio multum oblectaretur, ſtudio etiam naturalis hiſtoriæ incumbere coepit, quæ Botanicæ multum eſt adfinis; quare in Phytobaſani appendice deſcribit etiam piſces aliquot, et Stellam quandam, conchasque aliquot marinas. Ita in duabus ſuis Ecphraſibus, ſeu Expoſitionibus Plantarum minus cognitarum, quos Libros Plancus, iterum ut edantur, una cum ſuis adnotationibus, curabit, aliquot piſces & conchas admiſcuit, præſertim in appendicibus; immo ſecundæ ἐκφράσει duos egregios Tractatus adjecit, de Purpura unum, & de Gloſſopetris alterum, quibus, præſertim ſecundo, acre ejus ingenium cognoſcitur. Primus enim in hoc genere fuit, qui philoſophorum vulgarium præjudicia deponeret, quemadmodum & in Botanica primus tentavit, ut methodo quadam doceretur, inſpectis præſertim Plantarum floribus; quam methodum amplexus eſt illuſtris Tournefortius, mirumque in modum amplificavit, & digeſſit in Libris ſuis. Edidit quoque vernacula Italorum

N 2 Lingua

Digitized by Google

lingua Librum Muſicum, Columna, cui Titulum fecit *La Sambuca Lincea,* & hoc in obſequium Academiæ Lynceorum, in qua, ut diximus, inter primos fuerat adſcriptus. Ea re viri fama ita percrebuit, ut poſt Joannis Baptiſtæ Portæ obitum Proprinceps crearetur in ea Colonia, quæ illius Academiæ Neapoli erat. Hæc *Sambuca* ut iterum edatur, fortaſſe non curabit Plancus, quoniam Muſica ipſe oblectari non videtur, & quoniam Inſtrumentum illud muſicum quinquaginta chordarum, *Sambucae Lynceae* nomine a Columna excogitatum, Muſici noſtrorum temporum practici non receperunt.

Ignoratur tempus, quo Columna natus fuerit, item quo anno diem obierit ſupremum: ſed ex quibusdam verbis, quæ ipſemet in quadam ſua epiſtola apologetica contra aliquem Evangeliſtam Quattrammium Ferrarienſem adducit, conjici poteſt, ipſum circa annum 1567 natum fuiſſe; & in Appendice, quam in calce Libri habet Plancus, oſtenditur ex Libris Joannis Baptiſtæ Doni, *de Praeſtantia Muſicae veteris,* Columnam Neapoli diem obiiſſe circa annum 1647: ex quo apparet, octoginta annis vixiſſe. Vltimis ſuæ vitæ temporibus repueraſcere viſus eſt, ut ne legere quidem amplius ſciret; fortaſſe, ut Plancus ſuſpicatur, quod comitialis morbus iterum eum tentare coeperat, qui ſæpe numero, ſi frequens fuerit, ſtupidos & pæne fatuos reddit homines.

Poſtquam Plancus vitam & ſtudia Columnæ narravit, quæ omnia novem pag. continentur, ad Lynceorum Hiſtoriam progreditur, quam modeſte *Lynceorum Notitiam* adpellat. Hiſtoria hæc, ſeu Notitia, triginta & amplius pag. continetur. Multis notum erat, celebris hujus Conſeſſus, qui prima ſcientiarum Academia dici poteſt, Auctorem extitiſſe *Fridericum Caeſium,* Sancti Angeli Principem, Sancti Poli & Montis Coelii Marchionem, qui etiam poſtremo Aquæſpartæ Dux fuit, & plurimorum aliorum locorum dynaſta. Hic a Planco prima pag. adducitur *Friederici Caeſii* numiſma, in quo cernitur ejus Principis Protome, veſte Lynceorum, ut creditur. In perigraphe ſequentia leguntur: FED. CAES. LYNC. PRIN. ET. INST. P. I. S. A. S. P. M. II. M. CÆL.

B. R.

Digitized by Google

B. R. quæ Litteræ Siglæque a Planco ſic explicantur: Federicus Cæſius Lynceorum Princeps & Inſtitutor, Princeps primus, S. Angeli, S. Poli Marchio ſecundus, Montis Cælii, Baro Romanus. In averſa parte hujus numiſmatis, cernitur Lynx intra civicam coronam, circa quam ſequentes Litteræ cernuntur, LYNCEIS INSTITVTIS. Pagina XIII. a Planco referuntur tria alia Friderici Cæſii numiſmata, quæ ad eandem Lynceorum Academiam pertinent, quæque iterum Principis Protomen & Epigraphen gerunt, ſed in averſa parte differunt, duo enim habent Palladem varie ornatam, cum verbis: CAESIA PALLAS. Horum numiſmatum copiam humaniter fecerat Planco, ut ea deſcriberet, Illuſtriſſimus Dom. de Stoſch, vir eruditiſſimus, qui nunc Hetruriæ bono Florentiæ moratur, ubi eximium poſſidet Muſeum, omnis Antiquitatis genere refertiſſimum, ſplendidamque bibliothecam, ex qua ad hanc notitiam multa depromſit, ut ingenue fatetur, Plancus. Ut vero hanc hiſtoriam Lynceorum conſcriberet, non ſolum bibliotheca Stoſchiana, ſed plurimis aliis auxiliis uſus eſt, & præſertim ſchedas Martini Vogelii Hamburgenſis adhibuit, cui quoque, ut Morhoffius & alii teſtantur, hiſtoriam hujus Academiæ Lynceorum conſcribere erat animus. Eas ſchedas Planco humaniter deſcripſit, ex celebri Guelferbytana Bibliotheca, in quam magni Leibnitii opera conlocata fuerant, Tetricus Zimmermannus, vir nobiliſſimus, Livonus, Planci amicus. Hic tamen Plancus fatetur ingenue, res, quæ in illis ſchedis reperiuntur, eſſe admodum confuſas & mutilas; ita ut ad eam hiſtoriam, alia monumenta conquirenda fuerint, ex quibus tandem pulchras optimasque notitias hauſit celebris illius Lynceorum Academiæ, quæ fuit, ut diximus, prima ſcientiarum Academia, quæ fundata fuerit, & ex qua multum gloriæ & ſplendoris Italæ genti acceſſit, quæque Romæ, in media prope Italia, primum magnanimi Principis illius, Friderici Cæſii, opera, ſcientias promovit & amplificavit, inque his phyſicam docimaſticam, ſeu experimentalem, Aſtronomiam, Anatomen,

Chymiam, Botanicen, & naturæ hiſtoriam, ut adparet ex editis Libris ab Academicis Lynceis, & præſertim ex iis, quos edidit Galilæus, Lucas Valerius, Joannes Baptiſta Porta, Fabius Columna, Joannes Faber, Franciſcus Stellutus, & alii quamplures. Plancus noſter, in hac generali Lynceorum hiſtoria, vitam quaſi Principis Friderici Cæſii conſcribit, quem Erythræus male *Angelum* vocavit, confundens nimirum eum cum Fratre, qui Arimini Epiſcopus, vir morum ſanctitate inſignis, obiit anno 1646, Romanæ Curiæ ad Venetam Remp. Orator, ſeu Nuntius, & cujus cineres translati fuerunt Ariminum, & in Cathedrali Eccleſia collocati, ut illic ex Epitaphio adparet. In ea igitur Principis Cæſii vita, progreſſus omnes Academiæ cernuntur. Cepit anno 1603, & viguit usque ad annum 1630, quo tempore immature Cæſius obiit, ætate vix XLV annorum. Poſt Principis Cæſii obitum, poſt Galilæi fata adverſa, quæ, cuivis nota, non repetimus, & poſtquam Neapoli, Regis Hispaniarum juſſu, ut ait Vogelius in ſchedis ſuis, Lynceorum colonia, quæ ibi fuerat, extincta eſſet, Academia ceſſavit; etſi compertum eſt, uſque ad ſeculi proxime elapſi dimidium, multos Academicos Lynceorum nomen retinuiſſe, & titulis ſuorum Librorum adjunxiſſe.

Poſtquam Plancus Lynceorum hiſtoriam generalem confecit, eorumque inſtituta, ſtudia, & inventa propria narravit, ad Catalogum ſingulorum Lynceorum venit, qui continet XX. capita: quodlibet illorum elogium Academici cujusdam exhibet, excepto poſtremo, quo elogia, ſeu ſimplex nomen plurimorum Academicorum panduntur.

Primum omnium elogium eſt Friderici Cæſii, Principis vere magnanimi, qui hanc Academiam inſtituit, & ejus uſui Bibliothecam & hortum botanicum fundavit, machinas ſeu inſtrumenta varia invenit, quæ plerumque Lynceis ſuis concedebat, quorum quemlibet aureo anulo, cui ſmaragdinus lapillus erat incluſus, atque inſculpta Lynx

Lynx cum epigraphe, ſui & Academici nominis indice. Plancus vidit Florentiæ binos anulos hujus generis, quos refert, & ſuo loco explicat; ii fuerunt Galilæi, & Theophili Molitoris. Cæſius Princeps, interdum, ut ederentur, curabat ſuis ſumtibus, Lynceorum Libri, Lynceosque monebat, ut de re phyſica, & de naturali hiſtoria ſcriberent, quod re ipſa tribus quatuorve illorum perſuaſit, qui Recchi Librum de Plantis, & de animantibus Americanis, illuſtrarunt. Nimii eſſemus, ſi hic referre vellemus acta omnia egregia & ſtudioſa Cæſii, quæ ample & eleganter a Planco referuntur, ad cujus Librum Lectores amandamus.

Capite altero cernitur Elogium Ioannis Baptiſtæ Portæ, Neapolitani, qui inter primos, licet provecta jam ætate, Lynceis nomen dedit. Hic inter primos quoque docimaſticam, ſeu experimentalem philoſophiam, promovit; neque eum in his ſtudiis, niſi Hieronymus Cardanus, nobile alterum Italiæ ingenium, præceſſerat. Lyncei titulo edidit, jam ſeniculus, Libros duos, Cæſio Principi dicatos, quorum unus inſcriptus eſt de *Aeris transmutationibus*, alter de *deſtillatione*. In utriuſque Libri Epiſtola dedicatoria, multum, & merito, laudes Cæſii prædicavit.

Tertium eſt elogium Fabii noſtri, de quo jam diximus, & dicemus plura deinceps. Hic tantum a Planco notamus relatum eſſe errorem Pauli Boconi, Botanici & hiſtorici naturalis Siculi, & Columnæ pæne popularis, qui exiſtimavit, Fabium Columnam ideo Lynceum dici, quod vir eſſet acutus, ignorans penitus Lynceorum Academiam.

Quarto, Quinto, Sexto capite, elogia Lucæ Valerii Romani, Galilæi Galilæi, & Marii Guiduccii Florentini, proponuntur. Viri in orbe erudito notiſſimi ſunt, propter ſublimia ſtudia in Geometricis rebus, & Phyſicis. De Mario Guiduccio adnotat Plancus, præter ejus tractatum de Cometis, qui anſam dedit Galilæo, ut *Saggiatore*, ſeu trutinam conſcriberet, reperiri & Orationem pro liberatione a peſte, anno 1630 Florentiæ editam, atque anno 1632 ibidem recuſam.

Septi-

Digitized by Google

Septimum Caput, Franciſci Stelluti Fabrianenſis, viri celebris, & Lynceorum Academiæ Procuratoris, Principisque Cæſii valde familiaris, memoriæ ſacrum eſt. Stellutus edidit verſibus Italicis Satyras Perſii, quibus addidit varias adnotationes in laudem Principis Cæſii, & Falconcinæ familiæ Volaterranæ, quam a Perſio originem ducere contendit. In iis adnotationibus multa quoque ſunt, quæ ad Lynceos pertinent, & ad hiſtoriam naturæ, ut obſervationes circa apes & curculionem, tunc primum microſcopio factæ. Notatur hic, microſcopii & teleſcopii nomina a Cæſio inventa fuiſſe. Scripſit quoque Librum de ligno illo foſſili, quod in Aquaspartæ territorio, Cæſii dynaſtia, reperitur, Stellutus. Liber is in fol. eſt, ſed parvæ molis; adjectæ ei ſunt quamplurimæ figuræ, quæ hoc lignum exprimunt, quod a Cæſio inter metallophyta reponebatur. Plancus noſter ſolide oſtendit, vere lignum eſſe, exemplum adducens ligni foſſilis alterius, quod in agro Lucenſi repertum fuit, & cujus fruſtulum vidit Lucæ, apud Chriſtophorum Martinum Saxogothanum.

Octavo loco memorat Plancus Joannem Terrentium Conſtantienſem. Hic vir inter acutiſſimos fuit, & unus ex Recchi Commentatoribus. In Sinarum Regionem poſtea ſeceſſit, ex quo multi argumentantur, cum Loyolitis nomen dediſſe, ut re ipſa dedit, quod teſtatur P. Ferrarius Loyolita Senenſis, Libro qui Flora inſcribitur Cap. 2. ubi emphaticis verbis hunc Joannem Terrentium cum aliis Lynceis commemorat. Terrentius inter primos ſtatuit, opium, & narcotica alia, calidiſſimæ naturæ eſſe, non frigidiſſimæ, ut veteres male crediderunt.

Nono Capite laudat Plancus Joannem Fabrum Bambergenſem, Romæ Medicum, Recchi Commentatorem alterum. Fabri illius Commentaria quamplurima continent, Lynceorum Academiæ noſcendæ, quibus etiam uſus eſt Plancus. Præter hæc, & alia multa, quæ egregie ad rem

rem botanicam faciunt, inſunt etiam quam plurimæ aliæ cognitiones ad naturæ hiſtoriam, & ad brutorum anatomen ſpectantes.

Decimum, Undecimum, & Duodecimum Caput de Alexandro Alimario Florentino, de Virginio Cæſarino, & de Joanne Ciampolo, Præſulibus, Romano altero, altero Florentino, loquitur. Hi omnes, quamvis nihil ediderint præter Carmina, tamen Lyncei Academici fuerunt ſatis celebres, præſertim Virginius Cæſarinus, de quo Plancus multa & in generali Lynceorum notitia, & in hac ipſa Commentatione.

In decimo tertio, decimo quarto, decimo quinto, decimo ſexto, decimo ſeptimo, decimo octavo, & decimo nono Capite, continetur Elogium M. Velſeri, viri doctiſſimi, & Reip. Auguſtanæ duumviri, cui Janus Gruterus Librum *Veterum Inſcriptionum* dicavit: Cinthii Clementis, Medici celebris, qui Magiſter fuit Virginii Cæſarini, Præſulis: Joannis Demiſiani Cephalenii, viri admodum docti in græca latinaque Lingua. Multum ille per orbem terrarum eſt vagatus, eſtque ejus Elogium in Pinacotheca Erythræi: Theophili Molitoris Haſſiani, magni naturæ ſcrutatoris, qui teſtimonio Galilæi Fratris, ſcripſit, hirundines mare non tranſire, ſed ſub aquis hyeme mergi, ut interdum a piſcatoribus rete capiantur: Antonii Perſii, ſeu Pertii, cui primum Cæſius microſcopium oſtendit: Equitis Caſſiani Putei, valde inter Eruditos omnis generis noti, qui publica funebri Oratione laudatus fuit a Carolo Dato Florentino, typis edita: Juſti Rickuii, Belgæ, Canonici Gandavenſis, qui a Bibliotheca fuit Academiæ Lynceorum.

Vigeſimo Capite referuntur nomina, cum aliqua additione quorumdam doctorum hominum, quos Plancus in Vogelianis ſchedis, vel apud aliquos Auctores, Lynceos nominari reperit; de quibus tamen certo non conſtat, an reipſa tales fuerint. Sunt vero Joannes Heckius, Aſtronomus, qui a Lanciſio, in Epiſtola de fungis ad Marſilium, vocatur magnus Medicus, magnusque Botanicus: Angelus Colius, Senenſis, cujus ut Medici, & Botanici illuſtris, meminit Faber: Julius Mancinius, Ilicinenſis, præclarus Anatomicus atque

Urbani VIII. P. M. Medicus: Franciſcus Gualdus, Ariminenſis, D. Stephani Eques, Urbani VIII. P. familiaris, vir eruditus, qui rerum naturalium Cimelium poſſidebat: Franciſcus Diotallevius, Nobilis Ariminenſis, de quo texuit elogium Erythreus in Pinacotheca: in quo ita ille, Diotallevii Patriam commendans *Nobilis totaque Italia celebris Ariminenſis Civitas, nullique Æmiliae Urbium ſplendore & claritate inferior*: Franciſcus Battaglinus, Nobilis Ariminenſis, cujus iterum ſcripſit Elogium Erythreus: Nicolaus Antonius Stelliola, qui multum Ferrantem Imperatum adiuvit, cum Muſeum ſuum de Hiſtoria Naturæ conſcriberet: Marcus Aurelius Severinus, Neapolitanus, Medicus & Chirurgus, vir diſertus, & qui inter primos optimas artes ſolidasque doctrinas coluit: Veslingius, Botanices & Anatomes Profeſſor Publicus Patavinus: Joannes Baptiſta Capuccius, Calaber, ad quem Thomas Cornelius quintum ſuum Progymnaſma ſcripſit: Philippus Salviatus, Philippus Pandulphinus, Phileſius Porta, Vincentius Mirabella, & aliquot alii. Sed his non placuit Planco adnumerare Alexandrum Taſſonum, ut iampridem fecerat Muratorius, in ejus vita. Nam ut Plancus ait in Appendice, quam in calce Libri habemus, apud neminem reperitur, eum Lynceum nominari, & unica conjectura, qua nititur Muratorius, domum Cardinalis Barptolomei Cæſii frequentaſſe Taſſonum, quem Muratorius Fratrem Principis Cæſii, Lynceorum Auctoris, dicit, qui tamen non Frater, ſed Patruus erat, Planco ſufficiens non videtur. Nam ſi id eſſet, ſequeretur, Aulicos omnes illius Cardinalis totidem Lynceos fuiſſe, quod veroſimile non videtur; præterea Taſſonus, in rebus Philoſophicis, quibus potiſſimum Academia ſtudebat, ideas quasdam populares habuit, quas vulgares Peripatetici habent, quibus Lyncei adverſabantur. His veroſimile efficitur, Taſſonum inter ipſos cenſitum non fuiſſe.

Expleta Lynceorum hiſtoria, Planci præfatio ad phytobaſanum ſuccedit, in qua evincitur, melius eſſe libros probatos Antiquorum recudere, quam novos condere, qui doctrinas

vulgares

vulgares contineant, quibusque nonniſi Bibliothecæ onerentur, magna ſtudioſorum, & temporis, & pecuniæ jactura. Quare Plancus minime probat homines illos, qui quotidie libros novos congerunt, ut, quam plantulam novam invenerint, eam ſtatim novo opere divulgent, quo de omnibus plantis generatim agitur, & tamen nihil novi adſertur, præter herbulam, quam Auctor forte invenerat, quæ commodius, ut ait Plancus, inſeri poterat veteri Botanices Libro, qui recuderetur, vel ad Ephemerides quaſdam, aut ad Acta alicuius Academiæ amandari. Maxime vero accuſat & damnat Auctores illos, qui ex aliqua differentia accidentali, quæ in aliqua planta reperiatur, ſtatim aliquod genus novum conſtituunt, & plantæ nomen venale plerumque, & adſentatorium, imponunt. Hoc pacto, ut ipſe ait, parum honori ſuo Auctores *iſti* conſulunt, & ſtudioſis nocent, perquam difficilem & obſcuram artem Botanicam reddentes. In quo quidem non videtur vehementer laudandus Auctor. Eſt in præjudiciis, aliquod, inventionis propriæ; quo fit, ut durum nobis videatur, alteri edendum, quod tute inveneris, aut extricaveris, committere. Dicit etiam de ſubſcriptionibus, prænumerationes vocant, easque arbitratur longas plerumque & doloſas eſſe: hac de cauſa, inquit, de ſuo Phytobaſanum hunc edidiſſe, itemque, eodem pacto, Ecphraſes duas Columnæ, cum ſuis Appendicibus, editurum. Hæc omnia generatim a Planco dicta aliqui arbitrati ſunt; fortaſſe non immerito dicta in Michelium Botanicum Florentinum, & in Joannem Targionem, ejus Succeſſorem, putes: quia aliquibus reipſa viſus eſt Michelius admodum facilis, ut novam vocaret aliquam plantam, ex differentia quadam accidentali, & ut genus novum ſtabiliret, nomenque novum adponeret, quo alicui blandiretur, qui aſſociatus fuiſſet ad emendum eum Librum; ejus ſuceſſor autem videtur nimis tergiverſari, ut edat librum illum, in quo Michelius tot nova inventa eſſe contendebat, & pro quo tot pecuniam ſolverunt in aſſociatione Verum, certo dici non poteſt, a Planco Michelium eo in loco.

notatum fuiſſe, cum Succeſſore, quos nunquam nominat; præſertim cum alii quamplures noſtris temporibus fuerint, qui in hoc peccarunt, nimium in Botanica innovantes. Quare Plancus hoc loco de ſe, ut Cicero habet Oratione *Pro Lege Manilia*, dicere poteſt: *Ego autem neminem nomino, quare nemo iraſcetur mihi, niſi ille ipſe, qui velit prius de ſe confiteri*. In hac Præfatione narratur præterea a Planco, quid a ſe præſtitum ſit in hac nova Phytobaſani editione.

Poſt Præfationem Capita ſunt Phytobaſani Fabii Columnæ; poſt titulum ſeu nomen cujuscunque herbæ, quod Fabius impoſuit, Plancus addit perpetuo nomen, quod eidem herbæ tribuit Tournefortius, vel nomen alterius Auctoris, quod a Tourn. probatum ſit, juxta methodum ſuam; quæ methodus, ut initio dictum fuit, originem duxit ab ipſomet Fabio Columna. Hoc tantum hic notamus ex Planci ipſius ingenua confeſſione, quam hic adponi a nobis juſſit, ut adpareat ſimplex ejus veri erroris confeſſio pag. 120 poſt nomen Columnæ, quod cuidam plantæ adpoſuit, hoc pacto: *Alſines facie, Planta nova*; cujus figura cernitur Tab. 36. Plancus ei addidit pro ſynonymo C. Bauhini nomen, quod habet & in Pin. & in Prod. quodque poſtea adprobatum fuit a Fabio ipſo, in ſua Ecphraſi prima, *An Cynocrambe* Dioſc. de ea herba in Adnotatione XXIX Plancus hæc habet: *bis deſcripſit hanc herbam Fabius, de qua ni fallor ſiluit Tourn. hic & in prima Ecphraſi, ubi eam cynocrambem adpellavit.* Plancus, quando hanc Adnotationem ſcripſit, ſenex erat, & ad manus Corollarium Inſtit. Tourn. non habebat, ubi eadem herba nomine item cynocrambis adpellata eſt pag. 52. deeſt vero in Inſtitutionibus ipſis, idcirco Plancus dixerat, *de qua ſiluit, ni fallor, Tournefortius*, quod corrigi jubet Plancus, cum reipſa de ea locutus ſit Tourn. in Corollario.

In Calce fere cujuslibet capitis addit Plancus eruditas Adnotationes, quæ more ſuo ſcriptæ ſunt eleganter, & non ſine ſale, imitatione, ut adparet plerumque, Marcelli Virgilii Florentini, qui Adnotationes eodem pacto adpoſuit Libris Dioſcoridis. In Adnotationibus in *Iſopyrum, in Chondrillam,*

in

in Laurum Alexandrinam, in Sideritidem, & in Erinum, Plancus poſt Columnam, una cum C. Bauhino, & cum aliis, detegit ſolemnem Matthioli impoſturam, qui has omnes plantas ſuppoſuit, ex duabus nempe unam componens, ut fecit in ſuo ſuppoſititio Iſopyro: nam in ſuperiori parte pinxit vulgare Melanthium, & in inferiori folia duo Aniſi adpoſuit; aut omnino finxit, ut accidit in quatuor aliis, quas modo Plancus memoravit. In aliis Adnotationibus ſemper ipſe præfert eam methodum, quam invenit Columna, & Tourn. amplificavit, & ſæpenumero ex Columna ipſo ipſummet Columna caſtigat; nam, ut ait, in ejus vita, ipſe quando Ecphraſes conſcripſit, & res alias, & cum Lynceus Academicus eſſet creatus, non ita præoccupatus erat ſervili animo pro Antiquis, ut ab initio fuerat, & ut generatim præoccupati erant reliqui Botanici, qui ante ipſum floruerunt.

Poſt Adnotationes, & poſt Indicem, Plancus unica pag. tres Appendices addit, quarum duas iam memoravimus, cum una ſit circa tempus obitus Fabii, & altera, utrum Alexander Taſſonus fuerit Lynceus? Ea Appendix, ut accepimus, invidiam creavit Planco, apud Vandellium quemdam Mutinenſem, ſeu ut melius dicamus, Vignolenſem; ex Vignola enim, ignobili oppido ducatus Mutinenſis, originem ducit Vandellius, qui pro ſuo Taſſono certavit, ſed ſolide pro Planco reſpondit Simo Cosmopolita, in Ephemeridibus Florentinis.

Tertia Appendix tributa eſt in quatuor Capita. Primo deſcripta eſt Stella quædam marina nova, quam Planco dicavit in quodam Opuſculo, Lucæ edito, Nicolaus Gualterius, Archiater olim Joannis Gaſtonis, Hetruriæ Magni Ducis. Hujus Stellæ, quæ Indica eſt, echinata, geniculata, & quindecim radiis conſtans, hic adpoſita eſt figura, æneæ tabulæ inciſa, quæ eſt ultima, ſeu trigeſima octava. In ſecundo Capite genus quoddam *cornu Hammonis,* quod Plancus reperit in littore Liburnenſi, deſcribitur: id cum rectam appendicem habeat, *ſemilituum* adpellari poſſe autumat. In tertio Capite genus aliud cornu Hammonis umbilicati deſcribit. Tandem in ultimo parvulum umbilicum marinum exponit,

qui cum lapide numiſmatali aliquantulum convenit. Hæc tria corpora minima ſunt, quæ ipſe microſcopio aucta, incidi curavit in eadem Tabula, qua rara illa Gualterii Stella inciſa eſt; reperta fuerunt a Planco in ſedimento littoris Liburnenſis, paucis abhinc annis, cum in Hetruria moraretur.

JO. GOTTOFR. OERTELII, SACRORUM apud Semproniėnſes Antiſtitis, Theologia Æthiopum, ex liturgiis, fidei confeſſionibus, aliisque ſcriptis congeſta.

Vitebergæ, impenſis Joh. Michaelis Teubneri. plag. 17. 8. 1746.

Maxima quidem admiratione digna res eſt, in mediis barbariei ſedibus, eccleſiam Chriſti colligi ampliſſimam, fideique & doctrinæ ſimplicitate conſpicuam, atque exornatam, conſervari. Quod, ut ad promovendam & amplificandam gloriam Dei maximas nobis ſuppeditare poteſt occaſiones; ita & imprimis venerabilis Autoris operoſus laudandus eſt labor, qui de Aethiopicis hiſce ſanctioribus coetibus non ſolum, ſed de orbe etiam literato præclare fuit meritus. Ante quam ad caput rei ipſe accedit, hiſtoriam gentis Habyſſinæ breviter contextam præmittit, ubi natales nominis Aethiopici ex Græcorum repetuntur lingua, ſecundum quam αἴθοψ pulcerrime cum nomine Aethiopum convenire
pag. 2. videtur. Bochartus quidem minus recte כושים veteres Scenitas & Saracenos recentiores ita appellavit, quia nec Arabes, nec Saraceni facie tam atra tetrique ſunt, quod inter omnes conſtat, ut hæc denominandi ratio in illos cadere poſſit; nihilo tamen minus affirmare Autor non contendit, nullam gentem amplius, præter iſtam, antiquis nomine כושים veniſſe; ſed id tantum cauſæ ſuæ ſufficere exiſtimat, ſi demonſtraverit, Aethiopes re vera Cuſchitas fuiſſe, & ita a Iudæis quoque, & aliis viris eruditis, dictos eſſe. Præter ea tamen nomen etiam ſibi aliud imponi paſſi ſunt Aethiopes, quo Habeſſini dicuntur. Appellandi hæc ratio ex Arabum deſcendit

Digitized by Google

dit lingua, in qua حبش Cabeſch colluviem ſignificat, & mix- pag. 3.
turam quamdam gentium innuit. Qua de re etiam Aethiopes initio invite hoc nomen audiebant, ſucceſſu tamen temporis mitiori admittebant ingenio. Lubentiſſime ipſi de ſe dicunt, ſe eſſe *Gezim*, homines liberos, itemque nobiles, & armis virtuteque claros. Quod ſi quis Sabæos & Homeritas illos 4
appellare velit, non errabit; ſin Mauros dices, ut Germani faciunt, generalior omnino, quam par eſt, de Habeſſinis formaretur conceptus. Ad regionem eorum quod attinet, veriſſima provincia illorum dicitur *Habeſſia*, triginta ſub am- 5.
bitu ſuo regna fovens, præfectisque provinciæ adminiſtrata, quibus *Nagaſty*, rex regum ſ. Imperator præeſt. Antiquiſſimis temporibus inter profanas, cum Chami poſteris, fuere gentes, inter quas tamen, ex ſingulari Dei providentia, varia cultus Iſraelitici veſtigia reliqua fuerunt conſervata. Huc accedit, reginam Sabæ, temporibus Salomonis Hieroſolymam adeuntem, multa ex religione Iudaica retuliſſe teſtimonia. Plenaria tamen gentis omnis ad ſacra puriora acceſſio ſeculo 8.
demum IV. fuit confecta, *Frumentio* atque *Ædeſio* auxiliatrices præbentibus manus. Pro norma hinc credendorum atque agendorum accipiebant Aethiopes S. Scripturam V. & N. T. purioris coetus admittebant doctrinas, donec ſec. demum ſexto ab eccleſiæ Latinæ æque ac Græcæ unitate recederent, 11.
unde in pejus ruebant omnia, &, ſi non deterior, ſaltem non melior in Aethiopia res veritatis evangelicæ, inde fluere incipiebat. Quod ut clarius pateſcat, ſingula doctrinarum enarrantur capita, inter quæ *primum* de Theologia Aethiopum in genere agit. Nihil hic concinnius, elegantiusve proferri in medium poſſe Autor exiſtimat, niſi ipſa Claudii, regis Aethio- 13.
pum, quibus in Confeſſione fidei ſuæ utitur, verba, quæ, quod genuina ſint, recte demonſtrat Noſter. *Secundo* in *capite* 15.
doctrina de ſcriptura ſacra expenditur, quæ ipſis pro ſumma eſt, atque habetur, omnium doctrinarum Chriſtianarum, norma atque auctoritate: præter hanc tamen nonnulli ſcripturæ ſacræ æquiparare ſolent, Conſtitutiones atque Canones, quos 17.
dicunt, Apoſtolicos. In univerſum tamen in excolendis

atque

Digitized by Google

atque addiſcendis literis ſanctioribus omnem Habeſſini navant
operam atque ſtudium, ut de vetita ſcripturæ S. lectione nulla
pag. 19. adſit vola vel veſtigium. Sequens *tertium* membrum doctri-
nam tractat de Deo unitrino, quæ pura atque illibata ſecun-
21. dum auctoritatem librorum ſacrorum inter Aethiopes con-
ſervatur, eo tamen obſervato, ne quid in eos animadvertatur
incautius, Hyhmam, linguæ ſuæ vocabulum, tum ȣσίαν
24. tum ὑπόςασιν, uti Græci loquuntur, innuere, & explicationem
dogmatis hujus graviſſimi eandem eſſe, quæ inter nos uſu
veniat, licet ſingularis eorum loquendi modus ad imitationem
25. temere trahi non debeat. Certiſſimum tamen eſſe, Autor
affirmat, unicam credere eſſentiam divinam, Aethiopes:, fi-
lium a patre eſſe genitum, neque tamen ideo patrem vel
28. exiſtentia priorem eſſe, vel etiam potentia: Spiritum S. vere
& realiter in ſe ſubſiſtentem largiuntur, eundemque exiſtere
apud Patrem & filium; a Patre tamen & filio proce-
29. dere ab æterno, & ſpirari, conſtanter negant, ut vel ex hac
ratione hodiernæ eccleſiæ græcæ non abſimilis videatur eccle-
34. ſia Aethiopica. Sub calcem notatur, Aethiopes ſubtiliores plane
in re ſacra omittere quæſtiones, cum Theologia eorum Ca-
techetica magis ſit, quam Acroamatica. In Articulo de
35. Creatione, cujus Tractatio *quartum* occupat locum noſtri
libri, Aethiopes docent, hoc univerſum in tempore ex nihilo
verbo omnipotentiæ divinæ creatum fuiſſe, adeoque ab æter-
no nihil quidquam extitiſſe, vel exiſtere potuiſſe, quin imo
37. omnem SS. Trinitatem cauſam creationis credunt, dicendo:
Patrem feciſſe, Filium conjunxiſſe, & Spiritum S. ordinaſſe
39. omnia. De angelis, quod *quintum caput* docet, ſtatuunt Aethi-
opes, ſpiritualem eos habere eſſentiam & in Dei hominum-
que miniſterium eſſe conditos, ita, ut ii, qui in ſanctitate ſibi
concreata perſtiterint, piis & fidelibus inprimis adſtent.
Hanc ob rem maxime eos, quin imo religioſe fere venerantur,
cui rei vel hoc indicio eſſe poterit, quod in Michae-
42. lis, primarii cujusdam Angeli, honorem XII. anniverſaria
Feſta celebrent. In locum malorum angelorum, quos a Deo
defeciſſe pariter aſſerunt, homines aliquando beatos eſſe ſuc-

ceſſuros

Digitized by Google

ceſſuros putant, & hanc eſſe odii inſenſiſſimi malorum ex orco geniorum in homines cauſam præcipuam & maximam.
Adamum & Hevam, primos fuiſſe parentes, firmiter credunt Æthiopes, nec Præadamitas admittunt. In comminiſcenda quidem primi hominis creatione nimis videntur temerarii, duas tamen modo partes eſſentiales homini, conjunctas inter ſe copulatasque, tribuunt. De imagine Dei, quæ vera ipſorum ſit ſententia, non diligenter ſatis in libris ſuis, fideique confeſſionibus, tradunt: uti hæc omnia in *ſexto* nobiscum communicavit *capite*, auctor venerabilis. In *ſeptimo* doctrinam de peccato tradit, quod aliud Æthiopes dicunt paternum, quia per naturam propagatur; aliud ex hoc enatum, nomine delictorum, culparum, & offenſarum inſigniunt. De reliquis noſtris peccatorum diſtinctionibus nihil fere norunt, niſi quod affirment, peccata actualia, vel eſſe voluntaria, vel involuntaria. In *capite octavo*, de Lege præcipiente, notat Auctor, Æthiopes quidem per conſcientiam ſignificare velle legem naturalem inſitam & concreatam, ſed nullas admittere leges ſcriptas. Decem præcepta, vel potius verba, retinent quidem, ſed nihil recti atque certi de diviſione horum ſtatuere ſibi ſumſit Noſter, niſi quod opinetur, diſtinctionem Æthiopum convenire cum noſtra, quantum quidem ex Bibliis Indicis, Halæ impreſſis, ſibi colligere liceat. Illud tamen non omittendum hac occaſione Auctor putat, Aethiopes circumciſionem, ſabbathum, & abſtinentiam a carne ſuilla, hodiedum obſervare, adeoque in Iudæorum morem maxime proclives videri. Mitius tamen paulo in eos eſſe ſtatuendum, ſi res accuratius inveſtigetur, Auctor noſter exiſtimat. *Caput nonum* doctrinam Aethiopum circa Evangelium memorat, quod tanta admiſſione dignum judicant, ut populum Evangelicorum, ſecundum ſuum loquendi modum, ſeſe nominent, Evangelium vero fontem aquæ ſalientis, & nuntium vere lætum, Wanygely appellent. Hinc & ſeptimanam paſchalem tempus lætitiæ nominare ſolent, quod Chriſtus, per paſſionem ſuam, in Evangelio nobis annuntiatam, ille ſit, qui omnem peccatorem poenitentem hilarem reddat. Ex hoc evangelio

[Margin: Pag. 44. (beside "Adamum & Hevam"); 46. (beside "inter ſe copulatasque"); 48. (beside "doctrinam de peccato"); 51. (beside "De reliquis"); 53. (beside "vel involuntaria"); 57. (beside "mittere leges"); 59. (beside "men non omittendum"); 60. (beside "proclives videri"); 64. (beside "gelicorum"); 67 (beside "peccatorem poenitentem")]

Digitized by Google

adcuratam Abeſſini Chriſti petunt cognitionem, quæ, ut in
libris ſymbolicis Aethiopum legitur, admodum cum Scriptura
Pag. 71. S. convenit, adeo, ut & Neſtorianam διάλυσιν, & Eutychianam
σύγχυσιν, eleganter evitent, ubi de doctrina unionis natura-
rum in Chriſto res agitur. Monet tamen etiam ſimul Au-
ctor, aliquos eo plane eſſe delapſos, ut Servatori noſtro veram
cum Marcionitis & Montaniſtis humanitatem denegent, quo-
73. rum nomina primaria percenſet. Licet quoque a ſæculo
inde ſexto in Eutychianiſmum Aethiopes propenſi fuerint,
plurima tamen eorum pars immunem ſe præſtitit ab opinioni-
bus his erroneis, & in ſimplicitate Theologiæ catecheticæ
84. perſtitit, uti *caput decimum* hæc omnia declarat. *Caput ſe-
quens* de juſtificatione agit, quam ipſi firma animi fiducia in
86. Chriſto acquirendam credunt. In doctrina de ſanctificatio-
ne affirmant, imperfectam vitæ perfectionem eſſe, & luben-
tiſſime fatentur, bonis operibus eſſe ſtudendum, quantum
87. fieri poſſit; quin imo jejuniis, orationibus, & S. Coenæ fre-
quenti uſu, Scripturæ S. aſſidua lectione, atque cultus deni-
que publici lubenti viſitatione, aliisque chriſtianis virtutibus
opus eſſe, ad unum omnes poſtulant, & in ſtadio hoc decurren-
do ita ſtrenui dicuntur, ut multos Europæorum ſuperare videan-
94. tur. Conjungitur cum hac ſanctimonia vitæ, apud Aethiopes,
conſpicua & clara doctrina de precibus, quæ in *decimo tertio
capite* exponitur, &, tam quoad publicas, quam privatas
preces, & ardorem ac mores precandi, omni laude digna eſt;
96. inprimis cum relatum legimus, vel in conviviis etiam ſolem-
nibus, Aethiopes plus temporis Deo, quam ventri, dare; in
conventibus autem ſacris, non ſolum cantionibus & ſymphonia
99. Muſica utuntur, neque in tympanorum ſonitu acquieſcunt,
ſed etiam ad indicandam ſuam, qua feruntur erga res ſacras,
cultumque Dei, lætitiam, manibus inſuper plauſum edere, pe-
dibusque tripudiare ſolent. Tenendum tamen etiam hic eſt,
103. Abeſſinos precibus non ſolum ad Deum, ſed ad Sanctos etiam
demortuos, B. Mariam, Angelosque bonos, confugere, eosque
104. colere; licet non ipſos quidem ſanctos demortuos ad ferendam
ſibi opem invocent, ſed elogiis tantum, & ſalutationibus in-
ſolen-

Digitized by Google

ſolentioribus mactent. Cujus conſuetudinis, ſi prima hic repetenda ſit origo, ab antiquiſſimo defunctis bene precandi ritu forte deſcendit, cum plus juſto majora in viros ſanctos ac Martyres conferrentur encomia. Præter ea Auctor Pag. 109.
Noſter Abeſſinos ab Iconolatria craſſiore abſolvit, licet pictas ſanctorum imagines nimium colant foveantque. In *decimo quarto capite* de baptiſmo Abeſſinorum agitur, ubi cla- 110.
riſſime demonſtratur, baptiſmum omnino ſacramentum eſſe initiationis, quod infantibus æque atque adultis adminiſtrari debeat, liberumque plane eſſe, ſive adſperſio, ſive immerſio adhibeatur. Id modo improbandum videtur, quod ritus nimis ſuper- 114.
ſtitioſos Aethiopes in adminiſtratione baptiſmi introduxerint, & inprimis aquam baptiſmalem oleo miſcere non dubitent, quæ tamen naturalis, & nullis liquoribus diluta eſſe debeat. Ceterum, immunes ſunt ab omnibus iſtis erroribus, 116.
quos circa uſum, efficaciam, & fructum lavacri hujus ſacri, rei chriſtianæ adverſarii monſtroſe alunt. Nec Anabaptiſta- 120.
rum favent erroribus, licet V. Non. Jan. ſeu prima die menſis *Ter*, quotannis in memoriam baptiſmatis Servatoris Optimi, ante ortum ſolis, aquis ſeſe immergere, & lavare ſoleant: quamquam rectius exiſtimetur, potius balneum, 124.
quam piam hanc Chriſtianorum eſſe ſolemnitatem. Circa ſacram coenam Auctor in *decimo quinto capite* monet, 127.
Aethiopes toties hoc ſacramento uti, quoties neceſſitas exigat, dummodo rite ſint præparati, acceſſuri ad ſacrum hoc convivium. Ad hoc requirunt ſeriam reſipiſcentiam, & publicam coram Diacono confeſſionem peccatorum. Hac occaſione, quod & in aliis fit, liberalitatem ſuam erga verbi divini miniſtros teſtantur, donando illis thus & panem Euchariſticum, 130.
vinum, oleum, balſamum, vela, libros lecturæ. Per hunc diem, quo ſacra coena uſi ſunt, omnem, jeiuniis ſe dant, ita, ut ſuperſtitioſi fere videantur Aethiopes; in eo quo- 132.
que reprehendendi, quod infantes etiam ad uſum S. Coenæ admittunt, qui tamen in hoc ſolum conſiſtit, quod vino conſecrato infantis labia madefaciant. Nec illud eſt ferendum, quod loco vini loram adhibeant, ex acinis uvæ paſſæ expreſſum 134.

Digitized by Google

atque confectum liquorem. Pane, ſingulari quadam ratione
præparato, utuntur plerumque, fermentato, niſi quod quinta
Pag. 138. magnæ hebdomadis feria, in memoriam ἀζύμων Chriſti, infer-
mentatum adhibent. Ceterum veroſimile eſſe putat Noſter,
Abeſſynos in præcipuo hujus articuli capite cum puriori do-
144. ctrina noſtra conſentire, nec cum Romana eccleſia facere, nec
etiam a partibus ſtare Calvinianorum. Eccleſiam, docent, eſſe
156. viſibilem & vocatorum, & deinde inviſibilem ſeu electo-
rum, quod in ſubſequente capite docetur. Præterea eccleſiam
in triumphantem & militantem diſtinguunt, nec utramque in-
168. vicem confundunt. De poteſtate clavium, Abeſſynis non
ignota, uti *decimum ſeptimum* caput oſtendit, notandum eſt
inprimis, eos clavem ſolventem uſurpare erga poenitentes &
172. confitentes, quos virgula vitis, vel olivæ, in ſignum pacis
cum Deo initæ, ferire ſolent. Ligantem vero ita uſurpant,
ut extreme impios ea afficiant, excludendo illos ex coetu ſacro, &
178. poenas publice illis infligendo. Denique Auctor etiam no-
tat, poteſtatem remittendi peccata non declarativam, ſed col-
lativam etiam Abeſſynos admittere, quod vel ex formula or-
dinationis epiſcopi pateat, licet controverſia inter nos agita-
184. ta, hactenus iis nondum innotuerit. *Sequens caput*, de mini-
ſterio eccleſiaſtico agens, rationes muneris cujuscunque
eccleſiaſtici, inter Aethiopes uſitati, recenſet, & quatenus mi-
191. niſtri Dei ſubſint Magiſtratui politico, exemplis docet. *Si-
mul* etiam, quæ de Magiſtratu politico ſentiant Abeſſyni, ſuc-
194. cincte *decimo nono* capite exponuntur. Ex ſequente deinde,
quod de conjugio agit, diſcimus, Aethiopes a Polygamia
plane quondam fuiſſe prohibitos, licet ex moribus Regis,
& Principum, etiam inter cives invaleſcat hæc conſuetudo
turpiſſima, ſeverioribus quidem legibus eccleſiaſticis coercita.
Clericos ſimplici matrimonio contentos eſſe jubent, nec, mor-
tua prima conjuge, ſecundas nuptias inire concedunt, niſi
205. munere ſeſe abdicent ſacro. De ſtatu animæ poſt mortem,
Aethiopes, certi quod ſtatuant, non habent, niſi ex quibusdam
rebus circumſtantibus colligere liceat, ſtatum illos admit-
tere quendam extraordinarium, & certum πȣ, ubi permaneant
animæ

Digitized by Google

animæ uſque ad extremi judicii terminum, quod affert Auctor Pag. 208.
in *viceſimo primo capite*, ubi ſimul addit, permultas apud ipſos preces fieri pro felicitate defunctorum, quos nondum cum 213.
beatifica Dei viſione conjunctos eſſe autumant. In his tamen, aliisque hujus doctrinæ partibus, nonnulli ſaniora fovent conſilia. Ceterum omnes largiuntur, animas infidelium ac impio- 219.
rum, a primo mortis momento, ad poenas æternas detrudi. Ul- 221.
timo loco Auctor doctrinas Aethiopum de reſurrectione, iudicio extremo, inferno, & vita æterna, addit, inter quas nihil occurrit, quod non conveniat cum tabulis ſanctioribus. In fine Oratio dominica, quo modo in lingua Aethiopica, Armenica, Coptica, Arabica, Samaritana, Giorganica, Malaica, Malabarica, Sinica, & Madagaſcarica audit, additur, & eleganti huic opellæ colophon imponitur, in qua ſatis clara, de induſtria & variæ eruditionis copia Venerabilis Auctoris, veſtigia apparent.

DE BASILICA S. LAURENTII IN DAMAſo Libri tres, quorum primus acta S. Damaſi complectitur; alter ea, quæ ad baſilicam pertinent; tertius, quæ ad ejusdem baſilicæ eccleſias filiales ſpectare videntur. Auctore ANTONIO FONSECA, Epiſcopo Aeſino, ejusdem baſilicæ canonico.

Fani 1745. ex Typographia Cajetani Fanelli. Superiorum Facultate, fol. Alphab. 4 plag. 16.

Ad Opus hoc, quod ſummo Pontifici *Benedicto* XIV. eſt inſcriptum, conſignandum, permotus eſt Venerandus Auctor, quoniam aliquando eccleſiæ hujus Canonicum egit. Ipſe *Clemens* XI. cum pariter munere Canonici ejus eccleſiæ fungeretur, ejusdem hiſtoriam concinnare cogitavit, quam vero, ad graviora vocatus munera, pertexere minus potuit: hortari autem Noſtrum non deſtitit, quo operi manus admoveret, idemque illud profligaret, aditum ad ſecretiora tabularii Vaticani ſcrinia recludendo. Illud, quod titulus innuit, in tres partitum eſt libros, quorum I. com-

plectitur res geſtas S. Damaſi. De templo, hujus memoriæ ſacro, acturo, commodum eſt viſum, ipſius vitam, res cum laude geſtas, & in eccleſiam merita præmittere. Habentur quidem de illo ſparſim quædam apud *Anaſtaſium* bibliothecarium, *Baronium*, & *Tillemontium*, ſed ex inſtituto vitam illius nemo adhuedum perſcripſit. Quæ igitur apud illos reperit, ſervato temporum ordine, in juſtam compagem redigere, & diſtincte caſtigateque tradere, A. adniſus eſt. Vitam pontificis hujus ad fidem MS. in tabulis Canonicorum S. Petri adſervati, edidit *Conſtantinus Cajetanus*, abbas; habetur item vita ejus in antiquiſſimo codice MS. quem cuſtodit bibliotheca Vallicellana: ſed, qua eſt integritate, horum fide ſtandum haud eſſe, ingenue adfirmat. Ex vita Damaſi, qualem Auctor exhibet, quædam in medium adducemus. Roma oriundum, cenſet *Tillemontius*, ſed a. 304. patre nobili *Antonio*, in Hiſpania procreatum fuiſſe, hinc puerum, una cum patre, Romam veniſſe, fultus præſtantiſſimorum ſcriptorum auctoritate, ad-
Pag. 1 - 6 ſeverat. Inde a teneris, omni cura litteris elegantioribus pariter atque diviniore diſciplina eſt imbutus, quibus munitus, per gradus honorum eccleſiaſticorum ad ſummum apicem, dignitatem pontificiam, mortuo *Liberio* a. 367. d. 15. Sept. eſt evectus. Vivo Liberio eccleſia Romana in partes erat ſciſſa, cum haud exigua pars coetus *Felicem*, ſummum ſacrorum antiſtitem veneraretur, quæ diſſidia nec hoc mortuo ſunt ſedata: ab adverſa quippe parte, *Urſicinus* pontifex eſt deſignatus, cumque uterque, & *Damaſus* & *Urſicinus*, ſuos haberent adſeclas, manus in ipſo templo conſerere coeperunt, in quo conflictu 137. perierunt, quæ res gravi
6 - 18. offendiculo prudentioribus fuit. Nec ſequentibus temporibus defuere, qui Damaſum variis calumniis opprimere ſunt conati, horum tamen fraudibus detectis, ipſius innocentia in
18 - 21. claram lucem eſt locata. A. 369. adverſus *Auxentium* arianum, concilium 90. Epiſcoporum Romæ eſt convocatum, in quo ille una cum ſociis ſuis eſt damnatus, quædam etiam utiles leges, ut luxus & avaritia clericorum refrenarentur, ſunt
21 - 25. latæ. Per id tempus orthodoxi in oriente ab Arianis graviter

ter ſunt adflicti: eos ſolari P. M. & extremam perniciem avertere ab iis, omni ope eſt adniſus. De novo concilium, ipſo Pag. 25-27.
ſedente, Romæ a. 373. adverſus *Apollinarem*, & alios hæreticos eccleſias orientales turbantes, eſt coactum. Sequenti anno 27 - 28.
Valentiæ in Gallia concilium celebratum fuit, in quo de ordinationibus rite peragendis, deque lapſorum poenitentia, actum fuit. Cum Valens Imperator, poſt ingentem a Gothis per- 28 - 29.
peſſam ſtragem, a. 377. miſere periiſſet, Gratianus, itemque Valentinianus & Theodoſius, res orthodoxorum, paſſim labefactatas, reſtituerunt. A. 381. m. Majo concilium Con- 29 - 34.
ſtantinopoli, quod Oecumenicum dicitur, habitum fuit, in quo fides concilii Nicæni confirmata; contra *Macedonii, Arii, Eunomii, Sabellii, Marcellini*, & *Apollinaris* hæreſes condemnatæ ſunt. Illud Damaſi præcepto & imperio convocatum fuiſſe, eidemque per legatos Pontificem præſediſſe, A. pronuntiat. Tantum valent præjudicatæ opiniones, ut, licet aliud doceat veritas hiſtoriæ, eisdem tamen tenaciter inhæreant homines. A *Theodoſio* Auguſto concilium indictum fuiſſe, *Socrates, Theodoretus*, & *Sozomenus* diſerte teſtantur, atque id ipſum Patres, in Epiſtola Synodali ad imperatorem directa, fatentur. Habemus hic nobis adſentientem virum, eruditione & integritate in Eccleſia Romana conſpicuum, *Edmund. Richerium*, qui hiſt. concil. general. T. I. p. 170. ingenue refert, Damaſum quidem a Theodoſio invitatum fuiſſe, ſed eum nullum epiſcopum, aut ſacerdotem, ex ſuo epiſcopatu, vel patriarchatu, Conſtantinopolin miſiſſe, adeo ut a patribus orientalibus negligentiæ etiam haud obſcure poſtularetur. Hujus concilii ſymbolo temporis lapſu additum 35 - 37.
fuiſſe, *Spiritum S.* etiam *procedere a filio*, A. narrat; quod recte fieri potuiſſe, eccleſia Romana adſeverat, *ad quam ſpectet, dogma declarare, & addere omnia, quae neceſſaria ſint pro inſtructione ſuorum fidelium.* Sed vero, ſi, quod res eſt, dicendum, non omnino injuſtæ fuerunt querelæ Græcorum, improbantium, confeſſioni publicæ, illis, quorum intereſt, inſciis & inconſultis, propria auctoritate aliquid additum, quod deinceps triſtiſſimi divortii cauſſa & origo fuit. A. 382. Romæ celebratum eſt 39.
concilium, ad quod etiam ex orientalibus præſulibus quidam acceſ-

Digitized by Google

acceſſerunt, in quo circa cultum externum quædam
Pag. 41 - 42. ſunt conſtituta, & canones contra vitia conditi. A. 382. Italia ſumma laborabat fame, cujus cauſſam cum gentiles in deorum patriorum neglectum coniicerent, *Symmachus*, & alii ſenatores, ſuperſtitioni priſcæ addicti, litteras ſupplices ad *Gratianum* dederunt, petentes, ut avita ſacra reſtituerentur. Sed vero tantum abſuit, ut Auguſtus ipſorum votis adnueret, ut potius prohiberet, ne reditus, ad illa peragenda, ex ærario publico amplius porrigerentur, nec Veſtalibus virginibus vlterius, ad ſuſtentationem neceſſaria ſuppeditarentur. Addit, titulum pontificis maximi, quo in hunc diem uſi fuerant etiam Imperatores Chriſtiani, miſſum feciſſe, eundemque cum omni
43 - 45. poteſtate atque auctoritate in Damaſum transſcripſiſſe. Aequitas Damaſi inde adparuit, quod cum Symmachus, urbi præfectus, apud imperatorem falſo argueretur, ac ſi Chriſtianos in carcerem conjeciſſet, & epiſcopos e vicinis urbibus in vincu-
46 - 47. lis detineret, cauſſam illius apud imperatorem egerit. Coemeteria Romæ reſtituenda curavit, eademque exornavit, ubi agitur de *Platonia*, loco, quo corpora apoſtolorum Petri & Paulli erant recondita, de catacombis & coemeteriis *Calixti, Praetextati, Damaſi, Marci & Marcelliani*, viis *Appia* & *Ardeatina*, denique baſilica & coemeterio Damaſi, quæ temporis diu-
48 - 61 turnitate ac hoſtium furore ſunt diruta & devaſtata. De eccleſiis a Damaſo vel de novo conſtructis, vel reſtauratis, vel ima-
62 - 65. ginibus atque aliis ornamentis condecoratis, exponitur c. IX.
65 - 73. Martyrum porro monumenta quam diligentiſſime conquirenda curavit, & inventa titulis atque carminibus exornavit. C. XI. enarrantur ſcripta ipſius tum integra, tum deperdita, tum quæ falſo ipſi ſunt adſcripta, in quorum numerum rejicit vel maxime epiſtolas ab *Iſidoro Mercatore* confictas, & pu-
74 - 78. blicatas. Ipſum illum primum omnium conſtituiſſe, nonnulli perhibent, ut pſalmi alternatim die nocteque in eccleſiis canerentur, quod tamen Noſtro non ita videtur, cum pſalmorum cantio longe ante uſu in eccleſiis obtinuerit. Id dici poteſt, ipſum certam normam de hymnis rite modulandis præſcripſiſſe.
78 - 81. Digreditur hinc A. in cantandi morem, qui inde a primis temporibus obtinuit, continuatus durante Sæc. V. cui etiam primi
Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani obſecundarunt. C. XIII. agit de precandi & pſallendi officio, quod variis inſignitur nominibus, horis item canonicis, earundemque antiquitate. *Glorificationis* formulam: *gloria patri, filio, & ſpiritui ſancto,* quæ dudum ante in eccleſiis audita fuerit, auctoritate S. Damaſi, fini cujuſque pſalmi adnexam fuiſſe, commemorat. Subiicit quædam c. XV. de uſu cantionis *alleluja*, quam nonnulli Damaſo jubente introductam fuiſſe arbitrantur. Deceſſit a. 384. d. 11. Dec. multis miraculis, & dum viveret, & poſt mortem celebritatem conſecutus. Sepultus eſt extra urbem, pro more illius ſæculi, in loco coemeterii Prætextati, quem baſilicæ conſtructione nobilitavit; inde, longo poſt tempore elapſo, in baſilicam S. Laurentii eſt translatus, quod factum ſit, neceſſe eſt, ante Adriani I. tempora. Cum L. II. de baſilica S. Laurentii ſcribere decreverit Auctor, c. I. deſcribit theatrum Pompeji magni, ejus ſitum, amplitudinem, fata; cum hæc eccleſia non aliam fere, quam cum adjectione, ad theatrum, adpellationem habuerit apud antiquos. C. II. nomina, quibus loci, Chriſtianorum religioſis conventibus ſacri, inſigniuntur, explicat, & quo tempore templa excitari ſint coepta, inveſtigat, in diocletiana perſecutione everſa, vel occluſa; majori dein libertate Chriſtianis conceſſa, Conſtantino ad ſolium imperii evecto. Inde accedit ad baſilicam, de qua ſcribere agreſſus eſt, eamque, non tam a Damaſo primum erectam, quam reſtauratam atque exornatam eſſe ſtatuit; de ejus partibus, ornatu, pontificum in eam liberalitate, auctoritate, & aliis huc ſpectantibus, ad finem uſque L. II. diſſeritur. Sequenti L. III. recenſentur eccleſiæ, huic baſilicæ obnoxiæ, ex quibus difficile eſt admodum aliquid enotare; nec etiam lectoribus magnopere profuturum arbitramur. Pedem igitur hic figimus.

Pag. 81 85. 86 - 92. 92 - 96. 96 - 101. 101 - 107. 107 - 111. 113 - 120. 120 - 133.

ELEMENTA PHILOSOPHIAE, SEU MEdulla WOLFIANA. In uſum Auditorum conſcripſit J. H. SAMUEL FORMEY, V. D. M. Philoſ. Prof. & Regiae Scientiar. Acad. Berol. Sodalis ac Hiſtoriographus.

Berolini, impenſis Ambr. Haude & J. C. Speneri, A. 1746. in 8. Alph. 1. plag. 6.

Cl. Autor, cui A. 1739. poſt obitum Cel. *la Croze* Profeſſio Philoſophiæ in Gymnaſio Regio Gallico demandata fuit, omnes ingenii nervos in id intendit, ut ſtudioſæ Juventutis animum ſolida doctrina imbueret. Veritatis igitur cupidus, nec ignarus, quantum obſcuritatis regnaret in Syſtematibus, quorum lectioni adhuc operam dederat: fama *Philoſophiae Wolfianae*, ad ejus ſtudium permovebatur. Vix a primo limine, ut ipſe de ſe profitetur, ſalutaverat Logicam methodo ſcientifica pertractatam, cum nova lux ei affulgeret, tenebræ intellectus paulatim diſpellerentur, ideæ diſtinctæ confuſis ſuccederent, ſcientiarumque campus, plurimis obſtaculis liberatus, oculis ipſius aperiretur. Quo magis progrediebatur in ſtudio iſtius Philoſophiæ, hoc majorem fructum majoremque voluptatem ſe percepiſſe, ac quotidie adhuc percipere, confitetur, nulla cauſa extrinſeca impulſus, ſolius veritatis ſenſui obtemperans. Et quamvis in opere Gallico, quo notitiam *Philoſophiae Wolfianae* tradere tentabat, partem integram movendis dubiis impenderit; ingenue tamen fatetur, hæc ſpectra jam evanuiſſe, nudamque & amabilem veritatem omnia ea in perpetuum fugaſſe. Accuratiori quoque examine inſtituto, ſe convictum fuiſſe, ait, nullum adhuc Syſtema, præſtantiori ordine, omnes partes Philoſophiæ, modo vere encyclopædico pertractaſſe, firmiorique nexu ſeriem integram omnium propoſitionum Philoſophiæ eſſentialium, e theoriis evidentibus deduxiſſe, & inter ſe concatenaſſe, neminem denique, qui Dei exiſtentiam & attributa, mundi creationem, providentiam, hominiſque veram libertatem admittit, *Wolfii* principia rejicere poſſe. Ea de cauſa operæ pretium duxit, in uſum Auditorum ſuorum hæc Elementa concinnare, in quibus Prolegomena totius Philoſophiæ, Logica, Metaphyſica, quæ Ontologiam, Coſmologiam, Pſychologiam empiricam & rationalem, atque Theologiam naturalem complectitur, Philoſophia item practica univerſalis, & Phyſica, continentur. Excerpſit noſter definitiones ac propoſitiones

nes

nes palmarias ex operibus Wolfii latinis, retentis iiſdem, quantum fieri potuit, verbis. Quoniam autem *Wolfio*, qui abſoluta philoſophia practica univerſali, aliquot jam annis in Juris Naturæ Syſtemate condendo verſabatur, nondum licuerat eadem methodo Phyſicam tradere, qua Logicam, Metaphyſicam, & Philoſophiam practicam univerſalem pertractaverat; etſi tres Tomos experimentorum, ac totidem Phyſicæ dogmaticæ, dudum ediderat idiomate Germanico, de quibus, cum prodirent, dictum eſt in his Actis: ea de cauſa Noſter, in Phyſicis, Wolfium non preſſo pede ſecutus, ſed hanc Elementorum ſuorum partem ex propriis diſquiſitionibus, & optimis, quas novit, Naturæ indagatorum libris, confecit; in quibus quæ traduntur, quantum conſentiant cum doctrina *Wolfiana*, facile cognoſcet, qui ab auctore tradita cum ſcriptis phyſicis *Wolfii* conferre voluerit, vel potuerit. Vocat autem hæc Elementa Philoſophiæ, *Medullam Wolfianam*, quia legi poterunt cum ab his, qui ad ſtudium *Philoſophiae Wolfianae* ſe accingunt, tum ab iis, qui, abſoluta operum Latinorum lectione, totius ſyſtematis brevem anacephalæoſin deſiderant.

COMMENTATIO HISTORICA DE ORTU & Progreſſu Civitatis Norimbergenſis, liberae ſemper nec unquam municipalis, congeſta & conſcripta a JO. PAULLO ROEDERO, Diac. Lauf.

Norimbergæ 1746. apud Johannem Georgium Lochnerum, 4. 14 plag.

Rev. Auctori, quem Reſpublica Ampliſſima Noribergenſis conſtituit Lauſæ diaconum rei eccleſiaſticæ, horas ſuccıſivas, quas haberet a munere ſacro liberas, hiſtoriæ patriæ illuſtrandæ, a qua olim in Gymnaſio Aegidiano Noribergæ haud erat alienus, conſecrare placuit. Libertatem ipſe Noribergæ repetit ex ſæculo XI, laudatque eo fini, diplomata Imperatorum, Henrici IV & V, patris filiique, in *Singularibus Norimbergenſibus* lectoribus ſuppeditata. J. P. de Ludewig, J. H. de Falckenſtein, aliique, in

ea ſunt opinione, Noribergam urbem, olim in numero municipiorum Sueviæ Franconiæque fuiſſe. Burggra-
Pag. 2. vii Noribergenſes, *caſtrum* in urbe tenentes, non videntur fuiſſe alius conditionis ac urbs ipſa. Oppidani certe, Fridericum ac Conradum, Suevorum Duces, Lothario imperium capeſſente ſub exordia ſæculi XII, *in caſtrum* duxerunt, Duces vero oppidum ipſum commeatu inſtruxerunt, ac munierunt, teſte Ottone Friſingenſi L. I. *de Geſtis Frid. I. Imperatoris*
3. c. 17. Idem teſtatur, Duces illos *Noricum caſtrum tanquam jure hereditario* poſſediſſe. Vocat tamen idem Noribergam *oppidum Principis*. Sunt, qui, hunc fuiſſe Fridericum Sueviæ Ducem, contendant. Noſter e contrario, ex eodem c. 37. it comprobatum, deſignari *Principem Romanorum*, non Fridericum Ahenobarbum, ſed Conradum III. Imperatorem, Romæ haud coronatum. Anno certe 1146. ea evenerunt.
8. Conradum ac Fridericum, Sueviæ Duces, ſe, Lothario regnum capeſſente, pro Regibus Germaniæ geſſiſſe, Noſter ex Annaliſta Saxone ad an. 1127. evincit. Congruunt Annalibus, Auctor geſtorum Ludovici Groſſi Regis, Chronicon Engelhuſianum, Anonymi Enarratio de electione Lotharii,
11. aliique ſcriptores. Reſpondet Noſter deinceps ad teſtimonium Aeneæ Sylvii, quod in *Hiſtoria Friderici* III, ab eo ſcripta, legitur, monetque, ab Aenea Noribergenſes nec Fran-
18. cis nec Bavaris accenſeri, ſed ſeorſim ac ſeparatim ex judicio Noribergenſium collocatos, *Lib. de Statu Europae* c. 31. At intra moenia Noribergæ eſt locus, qui vocatur *Schwabenberg*, mons Suevorum? Reſpondet Auctor, locum illum, in antiqua murorum Noribergenſium foſſa ſitum, propterea ſic adpellatum fuiſſe, quod a. 1488. ibi, textoribus e Suevia
21. evocatis, domicilia fuerint deſtinata. Noribergam & Gredingam dicitur Henricus Superbus, Bavariæ Dux, a ſocero ſuo, Lothario Imperatore, beneficiaria lege ſuſcepiſſe. Fama hæc nititur corrupto Monachi Weingartenſis loco. Gredingam olim pertinuiſſe ad caſtrum imperiale, ſeu Burggravii ſedem, docet lectorem Noſter. Leguntur apud Monachum hæc: *Ipſe Dux Henricus, ad Imperatorem Lotharium reverſus,*

Duca-

Ducatum Saxoniae, Nurenberch, Gredingen, & omnia beneficia, quae Imperator ab Epiſcopis & Abbatibus habuit, ſuſcepit. Legenda & reſtituenda hæc videntur ita, congruenter Conrado Urſpergenſi: *Henricus venit ad Imperatorem apud civitatem Nurenberg, & ibi Ducatum Saxoniae, Gredingen, & omnia beneficia* - - . Henricus tamen, mortuo Lothario, Noribergam occupavit, ibidemque inſignia regni cuſtodiit, teſte Anonymo Saxone. Conradus caſtrum recuperavit, &, hoc judice, imperio reſtituit; Conradus vero III, non qua Suevo- pag. 23.
rum Dux, ſed qua Imperator, Noribergam vindicavit & poſſedit, nec eam in filium Fridericum de Rotenburg, ſed in Fridericum Ahenobarbum, nepotem ex fratre, Imperatorem videlicet, tranſtulit. Hic Fridericus *caſtrum Noricum* 25.
vocavit *ſuum*, quod ipſum Annaliſta Saxo p. 656. inter *caſtella & loca regii juris* retulit. Auctor Chronici Auſtriaci Peziani, ad an. 1189. vocavit *caſtrum imperiale*. Eberhardus in Annalibus ad an. 1298. *caſtrum regale* dixit. Fridericus II. confirmavit *cariſſimae* ſuæ *civitati Nuremberg* a. 1219. *jura antiqua, ab inclitis Romanorum Imperatoribus conceſſa*, eamque advocatiæ ipſius Imperatoris ſubjectam voluit. Henricus VII. Imperator, *caſtrum Noricum* a. 1313. vocavit *ſuum*, diplomate Piſis dato. Ludovicus Bavarus, item Carolus IV. 29.
privilegium Friderici confirmarunt.

Hiſce præmiſſis, ad diluendas J. Petri de Ludewig, ac Ill. 32.
Falckenſteinii objectiones removendas, ſe accingit Rev. Autor.

Adelbertus, unus e Franconiæ Comitibus, omnino vi- 34.
detur Noribergæ præfuiſſe. Noſter vero negat, eam præfecturam fuiſſe gentilitiam & hereditariam. Ludovicus IV. Infans, Alberto hoc capitis ſupplicium paſſo, æque præfecturam Alberti Babenbergenſem recepit. Ab hoc Ludovico, vel Conrado, ejus ſucceſſore, ſolent vulgo ſcriptores libertatem Noribergæ regalem arceſſere. Pars certe illa ſilvæ Herciniæ, in qua Noriberga olim ſita & exſtructa, fuit poteſtatis imperialis, ac Regum Germanorum propria, Friderico II. teſte in diplomate, an. 1223. dato. *Territorium* Noribergæ 35.
tribuit jam Richerius, ſcriptor medii ſæculi tertii ac decimi, in

 Chro-

Digitized by Google

Chronico Senonenſi IV, 11. Meiſterling initia urbis ad Tiberium Neronem retulit. Attilæ furor civitatem reddidit numeroſam.
pag. 40. Bonifacius ſæculo VIII. ad Noribergam ſacellum, S. Petro dicatum, curavit exſtrui. Carolus Magnus hic locorum ſæpius in ſilvis venando ſe occupavit & oblectavit. Otto Magnus ibi conventum celebravit: Henricus II. ibi ſæpe divertit. De reliquo-
54. rum Imperatorum frequentiore in ea urbe commoratione non eſt quod dubitemus. Teſtimonia huius rei in Appendice ſatura lance exhibentur, una cum diplomatibus, jura Noribergenſium exprimentibus. Hæc eſt libri ſumma. Noſtrum non eſt, de litibus, ſi quæ ſunt, facere ullum judicium, vel arbitros agere non vocatos.

Hiſtorie des Torgiſchen Buchs,

id eſt,

HISTORIA LIBELLI TORGENSIS, PROximae Epitomes in Formulam Concordiae excreſcentis, Autore JAC. HENR. BALTHASAR, D. Theol. & Prof. Gryphiswald. Aſſeſſore regalis dicaſterii ſacri, ac Paſtoris animarum ad S. Jacobi ibidem. P. V.

Gryphiſwaldiæ ac Lipſiæ 1743. apud Johannem Jacobum Weitbrecht, 4. 6½ pl.

Spectat hæc Pars ad articulum ſecundum, *de libero arbitrio* inſcriptum. Variantes lectiones hic iterum diligentiſſi-
9. me ſunt adnotatæ. De definitione Phil. Melanchthonis, qua *liberum arbitrium* dicebatur eſſe *facultas ſe adplicandi ad gratiam*, in formula concordiæ rejecta, ita diſſeruit S. rev. Auctor, ut controverſiam omnem, ſuper hac cauſa agitatam, copioſe exhiberet. Lutherus eam rejecerat definitionem. Melanchthon autem, illo defuncto, eam revocavit a. 1548. in locis theologicis. Inde factum eſt, ut hic Synergiſmi inſimularetur. Anno 1555. Lipſienſes Theologi de libero arbitrio
12. multa diſputarunt. His Flacius ſeſe opponebat, poſt Nic. Amſdorfium & M. Stoltzenium. Controverſiæ origines inci-

incidunt in annum 1550, quo Pfeffingerus Lipſiæ de libero arbitrio diſputare coepit. In Interim Cæſareo art. 6. jam libero arbitrio fuerat aliquid datum. Tripolitani id oppugnarunt. Tilemanus Heshuſius poſtea definitionem Melanchthonis repudiavit. Jacobus Rungius a. 1555. Melanchthonem ideo compellavit. Wigandus, Flacius, aliique, in conventu Coſwicenſi a. 1557. definitionem eam corruptelis doctrinæ adnumerarunt. Gallus, eapropter, cum Melanchthone egit amice. Joachimus Moerlinus idem a. 1557. tentavit, in colloquio Wormatienſi. Jacobus Rungius illic ſcrupulum ſuum D. Philippo ipſe aperuit, nec non Brentius. Reſpondit Philippus, ſibi ſermonem eſſe de libero arbitrio hominis renati. Diſtin- pag. 15.
ctionem inde formarunt Theologi Mansfeldenſes, inter liberum arbitrium non regeniti, ac renati. Flacius, in colloquio Vinarienſi a. 1560. acriter in definitionem Melanchthonis invectus eſt, immo 1568, *contra Laſium* ſcripſit. Habebat igitur 17.
Melanchthon amicos ſuos in hac cauſa, & adverſarios, ut res ſunt humanæ. Strigelius tamen illam definitionem, in colloquio Vinarienſi, noluit adprobare. Chemnitius eam æque, ac auctores concordiæ conventus Tangermündenſis a. 1578, improbavit. Noluerunt auctores Formulæ Concordiæ Melanchthonem nominatim carpere, vel damnare. Rejecerunt tamen rem ipſam. Pateſcit ex hoc ſpecimine, quantum 21.
utilitatis, ad hiſtoriam eccleſiaſticam redundantis, ex hac Hiſtoria libelli Torgenſis undique eluceat, & exſpectari poſſit.

JO. FRID. CHRISTII, PRO PATRIMOnio poetarum, in quo paganitas quaedam fabularum ſtilique antiqua redolentis accuſatur, orationes tres; accedunt nonnullae in litteras ac doctrinae in varietatem excurſus.

Lipſiæ ex officina Langenhemiana cIↃIↃCCXXXXV.

8. 6½ pl.

Ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν cel. auctor rem ſtatim ipſam adgreditur, probe omnino cognoſcens, quod nobile ac generoſum vinum non egeat hedera. Primæ 4.
ora-

orationi occaſionem dedit in Theſei vita Plutarchus, ibi com-
memorans, ultimæ antiquitatis hiſtorias vaſtas ac tales omnino
eſſe, ut in eis ſola poetarum ingenia ſciant habitare. Inde
nomen patrimonii poetarum originem cepit, quod vir acutiſ-
ſimus libello impoſuit, ac magno ingenio defendit. Nimirum,
hæc poeticæ ratio eſt, ut mirifice inſtruatur doctis ac bonæ
mentis pleniſſimis imaginum inventis, omnique hiſtoria fabu-
lari; e quibus quantumvis adſpectu primo inanibus rebus,
ideoque a cetera mortalium turba relictis, pulcherrima & ma-
xima, quæ animus cogitare poteſt, doctrinæ ac veri opera
fingendo extollat. Ita demum & prodeſſe poſſunt, & delecta-
re, Poetæ, ita in animos ſe mortalium inſinuant, eoſque, velut
aſtutia ſalutari, fallunt. Nomen eſſet mutandum, ſi fictio
deſerenda. Non quippe ſufficit pedibus verſum comprehen-
dere. Corpus eſſet ſine ſpiritu ac mente, poema, ni ſubli-
mius quidquam & quaſi divinum animaret. Hic eſt ille ἐν-
θουσιασμὸς, quo recentia condunt, &, naturam imitati, novum
pingunt viridarium, ubi dubius animus inter amoenitates pluri-
mas hærens, ſtatui velut primo reſtituitur. Quæ cum ita
ſint, male agunt, qui & fabulis cunctis, & verbis, ſacris forte
profanis quondam inſervientibus, poetas interdicunt. Sive
enim in ſono ita peccatur, ſive in re, amens eſſet, qui prius
adſeveraret, ſtupidus qui poſterius. Nec poeta mente fovit
ſacra jam diu ſepulta: neque ideo quiſquam complectetur.
At vetuit DEUS, profanorum numinum nomina frequentare.
Vetuit, cum periculum eſſet: uſum vetuit cultui junctum.
pag. 27. Secus ſi foret, cur ipſi divini homines adhibuerunt? Sed di-
ſtinctius rem oratione altera contemplantem A. ſectemur.
Quadrifariam hic partitur, quam nonnulli accuſant, paganita-
29. tem. Aut ineſt eadem in verbis ſingulis, aut in quibuſdam
formulis ſermonum, aut in dictione, atque illius figura & or-
30. namentis, aut denique in argumento. Conceditur hic, ante
omnia fugiendam eſſe quamcumque ac ſine mente antiquitatis
æmulationem; ſed diligenter ſunt a lupinis aera ſeparanda,
ne pariter abjiciantur. Difficillimum eſt auream conſequi
mediocritatem: facile vero in alterutram partem animus titu-
bat.

Digitized by Google

bat. Quod ſi quid ſemel accuſare coeperis, vix detinebere,
quin progrediaris nimium & graſſeris. Id & vitium eſt hu-
juſmodi vituperatorum, in ipſo innocentiæ regno quibus
monſtra criminum adparent; dum nimis arctos terminos vi-
tii atque virtutis confundunt. Ne juremus per numina ficta,
eadem ne invocemus: fictis illorum nominibus rem veram
ſiſtere, ſenſum moralem infigere mentibus, brevius ac ſua-
vius plurimum dicere: hoc nemo impium credet, niſi ſimul
S. Lucæ diem dixerit, quod Jovis, Mercurii, Jovis puerorum,
ſive Caſtoris ac Pollucis, nomina uſurpavit. Tertia demum pag. 49.
oratione ſtabilitur, quod multiplex ſit fabularum uſus, curque
hæc, prima ſpecie puerilia, non modo ad ætatis primæ men- 50.
tem formandam, verum etiam ad commentandum ſcriben-
dumve ſuper omni humana ſapientia, inventu & uſu aptiora
ſint, quam hiſtoriarum graviſſima fere teſtimonia. Vide-
mus id in pueris noſtris, qui fabellis Aeſopiis magis trahun-
tur, quam hiſtoriis, vel πραγματικωτάτως conſignatis.
Neſcio quid hic reperitur coactum magis, ac ſeverum; quod
ibi vel penitus abeſt, vel mitigatur. Quanto ſua-
vius ac potentius movebunt fictiones poetarum, antiquis
jam imaginibus, vel ideo velut magis venerabilibus
nixæ. Refutatur hic, cum aliis, præſertim Eraſmus; ac
ſingularia de eodem nonnulla memorantur. Sed nos ad
proximos excurſus, tamquam totidem amoeniſſima diverticu-
la, progredimur. Primus inſcribitur: auctoritates dictorum 72.
excitatæ, atque oracula ſacra Exod. XXIII, 13. Devter. XII, 3.
Oſ. II, 16. 17. Zach. XIII, 2. exponit, illuſtrat, purgat. Al- 76.
ter de illis agit, quæ pro ſabulis poetarum vulgo jactantur.
Sunt eadem vel dicta ſacra, vel exempla, non omnino vetitum
eſſe ſanum ſabularum uſum indicantia. Sequitur narratio 77.
de iis, quæ contra hunc antiquum ſtili colorem, ex inſtituto
ſcripta ſunt: quæ, & latino, & patrio, & etruſco ſermone con-
ſignata, non ſine judicio critico ſiſtuntur. Succedit diverſa 82.
diſputatio de his, qui defendunt a piis poetis falſo inflictum
paganitatis crimen; cujus ſub finem elegans, *memento mori*, in
æde ſacra Bonſidelienſi rhythmis germanicis inſcriptum, exhi-

pag. 89. betur, & a Noſtro pariter verſu latino redditur. Quinta porro agit de Gu. Budæi, in augendam e priſcis vocabulis rem ſacrorum, ſtudio. Ubi quidem ejuſmodi occurrunt Budæanæ loquutiones, in quibus adhibendis merito cauti eſſe Chriſtiani debent, præſertim cum & alias puritas ſtili cum re chriſtiana conciliari queat: neque evehantur divina myſteria, quin potius deprimantur, profanis ubi fabulis comparaveris. Neque tamen iidem diffitemur, plurimas inter eaſdem ita eſſe inſtructas, ut laude ſua non careant, rerumque intelligentiam non
93. adjuvent parum. Sexto excurſu manifeſtatur iniquitas judicii ſuper paganitate, exemplo Taſſi prodita, in opere cujus, chriſtiana pietas, dum Godofredum celebrat, argumentum eſt. Penultimo de Prudentii carmine diſſeritur, Kathemer. VIII.
97. Kal. Jan. v. 60. 65. 73. 92. 112. Tandemque poſtremo de Eraſmo, picturæ aut graphices perito, neque experte reliquæ videndis artibus elegantiæ, ſed numorum veterum interprete minime idoneo. Non licet ex iſtis omnibus viretis plura decerpere. Sarta ſint eruditis, pleno agmine ac certatim viſitaturis. Neque enim tam invidi erunt poetæ, ut hoc ſibi peculiare ambulacrum velint. Habeant prærogativam, in patrimonio ſuo; ſic autem, ut, veluti domini liberales, adſpectum atque uſum concedant civibus ſuis, atque amicis.

COURS DE BELLES LETTRES &c.

h. e.

AMBITUS ARTIUM HUMANIORUM per Exercitia deſcriptus.

Pariſiis T. I. 1747. 12. maj. plag. 18. T. II. ib. 1748. plag. 19.

Hic liber anonymi ſcriptoris, ea doctrinæ ac judicii elegantia compoſitus eſt, ut Celeb. Rollini aut diſcipulum, aut æmulum, facile agnoſcas. Longius autem hic progreditur, atque univerſarum artium elegantiorum Encyclopædiam promittit: ad quam tradendam excitatum ſe fatetur harum literarum ſumma ad omnem vitam utilitate, qua

vel

Digitized by Google

vel ipſam Hiſtoriam, & cum Chronologica ac Geographica Naturalem ſcientiam, longe ſuperent, quarum jam pridem idoneæ Inſtitutiones legantur. Quam de præſtantia artium ſententiam ſuam inde confirmat, quod ad formandum illum pulchri ſenſum, quem guſtum fere vocant hodie, unice comparatæ ſint: qui, quanta res ſit, & quantopere eo ipſa virtus adjuvetur, diſerta præfatione pæne tota diſſerit. Reliqua enim parte exponit de ſcopo ipſius operis, nec non de ratione, quam in univerſa tractatione ſit ſecutus. Fatetur autem, ſe non doctis hominibus, ſed pueris & adoleſcentibus, immo alteri quoque ſexui ſcribere; neque id eo fini, ut eruditos reddat, ſed elegantes, & aptos ad ferendum de ingenioſis operibus judicium. Igitur hæ inſtitutiones complectentur quidem elegantiorem literaturam, quatenus a Græcis, Latinis, & Gallicis ingeniis culta eſt: ſed tamen primas tenebunt Gallica. Reliqua ſi qui penitus cognoſcere velint, iis eruditos academiarum, præſertim Pariſienſis, doctores facile ſatis facturos. Cæterum his duobus Tomis, ſola Poetice, neque hæc tota, continetur. Primus enim de poeſi Apologorum & Paſtoritia: alter de Lyrica, Satyrica, & Epigrammatica exponit. Quibus, ad finem ſecundi Voluminis, acceſſerunt Epiſtolæ Sex, de Phraſi Gallica cum Latina comparata, ad Cel. Olivetium. Reliqua poematium genera, Dramatica & Epica, ſequentes Tomi habebunt: quibus abſolutis, Epiſtolarum, & Orationum, nec non Hiſtoriæ ſcribendæ leges, ſuccedent. Ratio tractandi hæc Auctori Doctiſſ. placuit, ut in quovis Exercitio, ſingulis Capitibus, 1) Principia & regulas, de Natura & indole cujuſque generis, breves & ſufficientes tradat; 2) hiſtoriam ejuſdem texat, & præcipuos Auctores recenſeat, qui apud Græcos, Romanos, & Gallos in eo elaboraverunt; 3) Exempla ſelecta omnis generis ex iiſdem Auctoribus ſubjiciat, quibus variæ obſervationes accedunt, quæ ad augendum & dirigendum judicium pulchri in adoleſcentulis mirifice ſunt accommodatæ; 4) denique finitur tabula interrogationum, repetitioni inſervientium.

Antequam ad formas poeſeos modo narratas pergat Auctor doctiſſ. generales quaſdam prænotiones tradit, ea fere complexas, quæ in rhetoricis inſtitutionibus tradi ſolent. Agit enim conjunctim de formis dictionis & cogitationis, quas primo, ex diſciplina dialecticorum, dividit in Notiones, Judicia, & Ratiocinia. Deinde Idearum formas enumerat, tum quas dialectici celebrant, tum maxime quarum in rhetorica uſus eſt, ſimulque his reſpondentes loquendi formas definitionibus & exemplis explicat. Sequuntur regulæ Diſpoſitionis, Figuræ inſigniores, ſtili præcipua genera, ſententiæ variæ. Poſtremo de mentis humanæ facultatibus, Ingenio, Intelligentia, Sagacitate, Judicio, & Phantaſia, item de commotionibus animi, & de Guſtu, ſeu ſenſu pulchri, quæ maxime neceſſaria videbantur, commodo ordine, nec ſine ſuavitate exponit. Nunc de Apologis ſermo incipit: quem dicit eſſe Narrationem actionis Allegoricæ. Narrationis virtutes præcipuas facit Brevitatem, Perſpicuitatem, Veriſimilitudinem, Ornatum. Genera apologi conſtituit ex actorum diverſitate, qui vel homines ſint, vel bruta animantia, vel utrique: partes vero duas, Narrationem, & Præceptum, illa quaſi incluſum. Actionem vult eſſe unam, præcepto aptam, neque ingenio actorum repugnantem: Præceptum ſit perſpicuum, breve, & exquiſitum, hoc eſt, quod cognoviſſe juvet; ſtilus denique ſimplex, facetus, familiaris, ſuavis, & naturali pulchritudine conſpicuus. Hæc fere ſunt præcepta Noſtri de Apologis. In hiſtoria hujus generis laudat Aeſopum, Phædrum, & Fontanium, a quo ſolo apologum gallicum ad faſtigium ſuum perductum recte judicat. Phædrum mirifice probat, & p. 94. recitat verba Fontanii, confitentis, *ſe non alia ratione adductum eſſe, ut tot ornamenta ſuis apologis quaereret, quam quod vidiſſet, ſe Phaedri concinnam brevitatem aſſequi non poſſe*. Etiam in examine exemplorum, aliquoties Phædro concedit Fontanius: e. g. p. 115. 131. Hæc repetita ſunt ab Aeſopo, Phædro, Horatio, Fontanio, & Motteo. Capite ultimo hujus exercitii, regulas quaſdam pronunciandi ſ. declamandi, tum generales, tum apologis accommodatas, adoleſcentulis commendat.

Digitized by Google

Ab apologis tranſit altero Exercitio ad Idyllia, quæ, quoniam ligata oratione ſcribi ſolent, tractationem de ratione verſuum pangendorum, & de carminum generibus apud Græcos, Romanos, & Gallos, præmittit. Quæ de his rebus Auctor ſcripſit, cum ſatis nota ſint, nolumus iis hic repetendis immorari. Hoc tamen omnino præterire non poſſumus, auſum eſſe eum, verſibus veterum incommoda quædam objicere, quibus careat ſcilicet Gallorum ſuorum verſificatio. Quaſi vero æquum ſit, eos, qui egeſtatis incommodis plurimis maximiſque premantur, jactare ſe contra divites. Eſt autem alterum horum incommodorum, ſi diis placet, latinæ poeſeos, quod coguntur interdum lege metri longis ſyllabis uti, ubi res poſtulabat breves, & contra; ut in hoc Horatii

Tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum;

ubi, ſi aptus ſit dactylus in voce corripuit, eundem minus convenire *Tardae neceſſitati.* Verum, ſi ita placebit ad vivum omnia reſecare, in lugubri argumento prorſus abſtinere dactylis, hoc eſt, metro ſaltim elegiaco, oportebit, immo in ipſa voce, Tarditas, media non corripi, ſed cum reliquis produci debebit, ut rem imitetur pronuntiatio. An vero in gallica lingua & poeſi talia caventur? Alterum incommodum verſatur in eo, quod Latini non ſecant ſingulos verſus in medio, mora interpoſita, quemadmodum Galli faciunt: unde hoc conſequi putat, ut aut nullibi poſſis quieſcere, aut ſi quieſcas, menſura & curſus verſuum impediatur. Magnum profecto vitium! quod ſcite admodum vitant nimirum cum reliquis gentibus hodiernis Galli, incurrendo in aliud longe etiam majus. Namque hæc recentiorum cæſura, vel potius inciſio, quæ poſt tertium quemque pedem fieri ſolet in metro alexandrino, non modo egregie μονοτονȣς facit verſus noſtros, ſed & curſum orationis, inprimis concitatæ, intempeſtive, & ſemper moratur. Sed hoc non agimus. Cap. I. de natura & præceptis Idylliorum exponit. Ecloga, ſive Idyllium, eſt Imitatio vitæ ruſticæ, cujus omnes delicias & ſuavitates poeta conatur deſcribere. Debet igitur pingere ipſam vitam agre-

Digitized by Google

ſtem Muſa ruſtica, idque iis coloribus, qui ipſi ſoli conveniunt. Hæc ſola regula ſi valebit, uti debet certe valere, veterum Idyllia recentioribus plurimis longe erunt præferenda. Sunt autem vitæ ruſticæ, quam hic intelligimus, propria bona, Tranquillitas & Simplicitas: unde, quæcunque his non repugnant, locum in Eclogis invenient, reliqua omnia exulabunt, licet ſint vitæ ruſticæ adjuncta. Ex his facile docet Auctor, quales tribui debeant animi characteres Paſtoribus, & quæ ſint ſtili paſtoralis virtutes. Sequitur hiſtoria hujus poeſeos, quæ vitas & laudes Theocriti, Moſchi, Bionis, deſcribit, quos ita inter ſe comparat noſter, ut dicat, Theocriti Idyllia agi ſibi videri in ſilva aut prato ridente, Moſchi in urbe, Bionis fere in theatro. Deinde laudat Virgilium, Calpurnium vero & Nemeſianum vix attingit. Italos, dicit, ita depravaſſe pigmentis ſuis faciem generis bucolici, ut vix agnoſci poſcit. Ex ſuæ gentis poetis, feliciter in eo verſatos eſſe Comitem de Racan, Segræum, & ingenioſam feminam Deshulieriam, cujus eclogis vix deeſſe aliquid ad perfectionem, dicit, niſi quod fere ſemper in eodem argumento querulo verſentur, & nimis prope ab Elegia abſint. In exemplis, primo loco ponit Theocritea, Bucoliaſtas, Cyclopem, & Piſcatores, (quos etiam ab iniqua cenſura Cel. Fontenellii præclare vindicat;) item Cupidinem Mellilegum, cum Anacreontis Oda ejuſdem argumenti comparatum. His ſuccedunt, Amor fugitivus, & Europa Moſchi, nec non Adonidis ſepulchrum ex Bione. Sequens caput ſiſtit Daphnim, Silenum, & Gallum Virgilii. Horum omnium non modo verſio gallica, proſa, ſed ipſe etiam contextus græcus & latinus, illi ſubjectus hic legitur; quod idem ubique, in omnibus exemplis ex veteribus repetitis, obſervatum eſt. Denique Gallica quædam auctorum antea laudatorum excutiuntur.

Exercitium Tertium, quod de Oda inſcribitur, univerſam poeſin lyricam veterum & recentiorum, una cum elegiaca, comprehendit. Itaque cap. I. quod præcepta habet de Enthuſiaſmo poetarum, de Sublimi, de Abrupto, (Ecart), de digreſſionibus, de neglectu ordinis odas decente, de formis oda-

odarum, ſacra, heroica, morali, Anacreontica & Pindarica, item de Cantatis, quas vocant, hodiernis, agitur, quibus denique pauca quædam de Muſica adjiciuntur. Capite hiſtorico, hujus generis in poetis lyricis primi nominantur divini vates, Moſes, Debora, Judith, Prophetæ, & inprimis David. Deinde memorat Pindarum, quod nomen non magis poetæ, quam ipſius enthuſiaſmi proprium videatur. Ejus odas difficiles eſſe tribus de cauſis: 1) ſublimitate ſententiarum, 2) audacia volatus, & 3) novitate verborum, quæ excogitarit magno numero. Sequitur Sappho & Anacreon, poſt quos Horatium, principem & unicum Romanorum in hoc genere, commendat. Suæ gentis lyricos producit præter Malherbium & Comitem de Racan, ſolum Ruſſæum. In exemplis eſt Prima Olympiaca Pindari, cujus initium ab obtrectatione Perralti iſtius defendit; item Duodecima, & nonnulla Anacreontis. Ex Horatio quinque repetiit, quæ cap. 4. illuſtrat. Cap. 5. habet Gallica. Capite 6. Pſalmi Davidici, CIII. & CXXXVI. ad regulas poeſeos exiguntur. Cap. 7. de Elegia agit, ad quam ſufficere putat argumentum querulum, neglecto illo præcepto Horatiano, de verſibus impariter jungendis.

Exercitatio IV. in Satyram inſtituitur, quam vocat Poematis genus, quo vitia hominum aperto marte petantur. Verbis, *Poematis genus*, iis ſatis facere ſtuduit Auctor, qui ſatyram eſſe *juſtum poema* negarunt. Reliqua eandem a Comoedia ſecernunt, quæ vitia oblique impugnat. Putat autem Satyræ quaſi fontem eſſe atrocitatem ſ. malitiam quandam mentis, quæ Virtutis amore ſe tegat, ut vitia proſcindere tanto ſecurius poſſit. Itaque genus hoc per ſe probari poſſe negat, ſed cognoſci tamen haut exiguo cum fructu, modo caveant legentes, ne contagio poetæ ſua virtus corrumpatur. Cæterum, Satyram eſſe vel Epicam, vel Dramaticam, vel didacticam, & modo Sermonis, modo Epiſtolæ nomen gerere. Originem Satyræ apud Græcos, ejuſque faciem apud Livium Andronicum, Ennium, Pacuvium, Latinos homines, item rationem Satyræ Menippeæ Varronis, explicat. Lucilius novam ei formam induit, quam in Horatio, Perſio, & Juvenale,

Digitized by Google

nale, retinuit: quorum triumvirorum merita, & animi characteres, a noſtro diligenter deſcribuntur. Ex ſua gente Mathurinum Regnierium, & Boilavium Deſpreocium, nomen ſibi ex ſatyra illuſtre peperiſſe, quorum poſteriorem multa habere cum Horatio communia, & æque propemodum longe ab Juvenale recedere, ingenioſe oſtendit. Perſium ita laudat, ut reliquis omnibus tantum non anteponat. Nunc iterum ſequuntur Exempla horum auctorum, obſervationibus idoneis illuſtrata.

Ultimum in Exercitiis hujus Voluminis locum obtinent Epigrammata, quorum exempla Græca ſunt in Maximi Planudis Anthologia, Latina Catullus & Martialis; Gallica Marotus, de St. Gelais, & Gombaut ſuppeditant magno numero. Requiri autem in epigrammate ſententiam non ſemper ingenioſam, ſed jucundam cognitu, & breviter feliciterque concluſam. Duas cujuſque partes facit, expoſitionem rei, quæ ſententiæ anſam dedit, & ipſam ſententiam ſ. argutiam, quæ tanquam pungat legentem & delectet. Primam ejus virtutem eſſe brevitatem; alteram ſuavitatem, cujus variæ ſint multiplicesque cauſæ; tertiam felicitatem, quæ partim a metro, partim ab elocutione proficiſcatur. Neque vitia epigrammatum præterit intacta, obſcenitatem, falſitatem ſententiæ, ambiguitatem inſulſam verborum, hyperbolen, quæ quidem ſuavitate & gratia careat, humilitatem. Poſt paucas, de generibus quibuſdam epigrammatum recentius excogitatis, præceptiones, finit exemplis Anthologiæ, Catulli, Martialis, Maroti, ſuo more illuſtratis.

Reſtat nobis ſermo de Epiſtolis ſupra memoratis, de Phraſi Latina cum Gallicismo comparata, atque ideo adjectis huic opuſculo, quod & earum argumentum ad litteras elegantiores pertinebat, & rationem eas diſcendi planiorem reddere videbantur. Agunt enim *de inverſione naturalis verborum ordinis*, quæ latinæ orationi vulgo objicitur; ac plurima continent, iis maximæ utilia cognitu, qui interpretationem veterum ſcriptorum ſuſcipiunt. Vulgaris verſatur opinio, nemini ignota, Latinorum ſummam eſſe in collocandis partibus orationis liber-

libertatem: gallico contra ſermone loquentibus, conſtantem & definitum ordinem imperatum eſſe, quem migrare nefas ſit, et quo nominativus ſemper præcedat, quem deinceps verbum, caſus verbi, & ita porro, ſequantur. Itaque hoc agit Auctor Doctiſſ. 1 Epiſt. ut, utrum ſic ſe res habeat, an forte in Gallica potius ſit turbatior ordo, diſquirat. Cum omnis perturbatio reſpiciat ordinem, qui ſit turbatus, videndum eſt 1) de naturali ordine cogitationum 2) de naturali ordine verborum 3) de ordine cuivis linguæ naturali, tum reſpectu cæterarum, tum ipſius in utraque orationis forma, proſa & metrica. Ideæ pariter & voces ſunt imagines, illæ quidem rerum, hæ idearum. Itaque illæ res, hæ ideas quam fieri poteſt accurate referre, h. e. non modo iis ſimiles eſſe, ſed eodem etiam, quo res, ordine ſibi invicem ſuccedere debent. Quare cum redeat res omnis ad naturalem ipſarum rerum ordinem: merito quærit Auctor Doctiſſ. qualis is ſit? Invenit autem duplicem, moralem & metaphyſicum ſ. logicum. Illum dicit, qui a ſcopo loquentis pendet: hunc, qui eſt inter duas res, quarum reſpectum mutuum in ſe conſideramus, e. c. ſi dicas: Sol eſt rotundus, ſol tanquam ſubjectum enuntiationis ordine logico præcedit, ſequitur attributum, rotunditas. Si vero hoc agas, ut doceas alterum rotundum eſſe ſolem, ſitque prior in animo tuo rotunditas quam ſol, ordine morali ſubjectum attributo poſtponitur. Hunc igitur ordinem moralem, eſſe etiam naturalem, ita oſtendit noſter. Cognitio rei & attributorum ejus, in *mente noſtra* ſemper præcedit ejus deſiderium, aut abominationem. Idem uſu venit in *aliis*. Si cui indicare vis, fugiendum eſſe, oſtendas primo ſerpentem: neque enim fugiet, niſi ſciat cur? Ita etiam ſi geſtu petimus panem, primo digito panem, deinde nos monſtramus. Itaque dubium non eſt, quin ordinem naturalem ſequantur Latini, dicendo: *Serpentem fuge: panem praebe,* quem contra invertit Gallus dicens, Fuyez le ſerpent &c. Hoc principium Auctor doctiſſimus, tota hac epiſtola, varie applicat ad plurima auctorum exempla, & perſpicue docet,

Digitized by Google

valde veriſimile eſſe, non in Latina aut Græca, ſed in Gallica, & quæ hujus hac in re ſimiles ſunt, linguis inverſionem fieri.

Epiſtola II. cauſas invenire & explicare conatur, unde fit iſta inverſio in gallica lingua. Latini vix unquam invertunt aliquid, niſi propter numerum. Apud Gallos contra ſuos, invenit Noſter, præter hanc, duas maxime cauſas inverſionum. 1) quod terminationibus caſuum carent in nomine, quas habent Latini. Hinc enim dicere licet his: Patrem amat filius, ſine ambiguitate; quod ſecus eſt in gallica lingua, ubi nominativus & accuſ. ſono dignoſci nequeunt: unde loco fuerunt diſtinguendi ita, ut nominativus ſemper antecedat verbum, accuſ. ſequatur. Quod ut plenius doceat Vir ingenioſiſſimus, erudito & ſubtili excurſu originem & fundamenta illius rei explicat, quam Genium linguæ vocant; quam tamen diſputationem nos propter ſpatii anguſtias ſatis habemus indicaſſe. 2) Altera cauſa inverſionum eſt ratio verbi gallici, quod ad formanda tempora, modos, voces, (quæ omnia latini unica terminatione exprimunt,) pronomine, particula, & verbis auxiliaribus opus habet. Auctor etiam hanc cauſam copioſe ediſſerit, & ſcite oſtendit, quænam & quales inverſiones naturalis ordinis apud ſuos ex hoc fonte manaverint. Accurate etiam reſpondet ad objectionem p. 56. & concludit tandem, multas eſſe conſtructionis latinæ præ gallica commoditates, nonnullas tamen viciſſim hujus præ illa.

Epiſt. III. Regulas interpretandi XI. ex ſuperiori doctrina naſcentes, proponit. Qui veteres auctores alia lingua interpretantur, plerumque non tam laborant de ſententia auctoris invenienda & exprimenda, quam de ea ordine eodem & habitu gallice reddenda, quo in latino contextu induta eſt. Ad quam rem recte, ſi quid iudicamus, putat requiri, ſi non tantum ingenii, certe non minus, forte etiam aliquanto plus judicii, quam in ſcribendo auctor adhibuit. Similes ſunt linguæ hominibus, qui licet communem omnes naturam habeant,

Digitized by Google

beant, tamen proprietatibus quibuſdam ſunt diverſi: quas ſi probe noverit interpres, uti debet, ſequentia obſervabit. 1) Non mutabit ordinem rerum ipſarum, ſive facta ſint, ſive ratiocinia: is enim non proficiſcitur a linguæ genio. 2) Retinebit etiam ordinem idearum, certe membrorum cujuſque ſententiæ. 3) Non diſſolvet periodos, quamvis longiores. 4) Conjunctiones omnes orationi relinquet, earumque nec locum, nec mutabit ſignificationem. 5) Adverbiis ſuum locum aut ante aut poſt verbum adſignabit, prouti aut emphaſeos, aut numeri leges, poſtulabunt. 6) In ſententiis proportionalibus eandem ſymmetriam partium aut relinquet, aut compenſabit; e. g. in hac: Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. 7) Si quæ ſententiæ illuſtriores occurrent, earum ſplendorem in interpretatione neque augebit, neque imminuet. 8) Cavebit, ne pereant figuræ ſententiarum; reliquas dictionum ſimilibus compenſabit. 9) Proverbia, ſi qua occurrunt, proverbiis aliis reddere conabitur. 10) non temere Interpres commentatoris partes ſibi arrogabit. 11) Ut interpretationi perſpicuitas, numerus, ſuavitas, & vigor conſtet, ordinem auctoris aliquando deſeret. Hujus ultimi præcepti ſententia, reliqua hujus epiſtolæ parte declaratur. Quæ ſequuntur Epiſt. IIII. & V. cum de inverſionibus in ſermone gallico agant, & an poeſis gallica eas neceſſario requirat? poterunt eæ a nobis rectius prætermitti. De VI. vero, eaque ultima, vel tria verba addere placet: quomodo poetas transfundere in alias linguas deceat? Verſionem eorum poeticam talem, quæ poſſit archetypo æquiparari, negat omnino fieri poſſe: id quod exemplo & teſtimonio ipſius Virgilii, & quanti poetæ! confirmat, qui facilius eſſe dixit, Herculi clavam, quam Homero vel unicum verſiculum eripere. Ridet igitur Noſter Virgilios, ſcilicet, ſuæ ætatis, qui, cum univerſam Iliadem verſibus reddere auderent, cum myriadibus Herculium luctari ei viſi ſunt. Itaque poetæ felicius vertentur proſa oratione, quæ etiam tonum poeticum facile aſſequetur, ſi, quantum ejus fieri poteſt, maxime verbum verbo reddiderit.

Digitized by Google

Hoc tum exemplis aliis, tum Oda Horatiana a ſe verſa, illuſtrat Auctor doctiſſimus, & additis obſervationibus nonnullis inprimis cavet, ne quis ſervilem intelligat quam ipſe ſuadet verſionem litteralem. In judicio hic omnia eſſe recte monet: verſiones autem niſi his, qui plurimum judicio polleant, non eſſe permittendas.

STORIA DEL VESCOVADO DELLA Città di Siena, id eſt, Hiſtoria Epiſcopatus urbis Senarum, ſcripta ab Equite JOANNE ANTONIO PECCI, Patritio Senenſi & Academico Intbronato.

Luccæ 1748, 4. apud Salvatorem & Joannem Dominicum Marefcandoli. Cum licentia Superiorum. 2 Alph. 10 plagg.

Exhibetur heic, Lector, Tibi hiſtoria ſpecialis eccleſiaſtica, in qua congruenter ordini temporum recenſentur vitæ ac geſta Epiſcoporum atque Archiepiſcoporum, qui Senis egerunt, floruerunt, excelluerunt. Diplomatibus actiſque publicis, quorum pars nunc demum in lucem prodit, teſtimoniis ſcriptorum, ac documentis fide dignis, Opus, Emin. Cardinali Silvio Valenti Gonzagæ conſecratum, ubique adparet ſuperſtructum. Ill. Auctori viſum fuit operæ pretium, ſuppoſititia obelo notare, in diſſenſum auctorum accurate & diligenter inquirere, vera a falſis ſeparare, probabilia in rebus obſcuris pluris facere quam minus probabilia. Diſſertationem Operi præmiſit iſagogicam, qua de antiquitate Senenſium, ipſiuſque Epiſcopatus, diſſerit. Toſcanæ Senas tribuit Ptolemæus. Plinius III, 5. Romanos deduxiſſe in Hetruriam tres colonias, Ruſellanam, *Senenſem*, Critoniam, refert. Ex quo ibi doctrina Jeſu Chriſti fuit diſſeminata, coeperunt Epiſcopatus. Circa annum 853. ibi floruit Epiſcopus Canzius, qui cum Petro Aretino Epiſcopo de fini-

finibus quarundam parochiarum habuit controverſiam. Dilucet id ex Actis promtuarii eccleſiæ Aretinæ, quæ Muratorius ipſe pro genuinis reputavit. Sunt, qui initia Epiſcopatus Senenſis in ſæculum collocant quartum. Alii faciunt propiora. Auctor, teſtimonia varia ſigillatim de antiquitate illius Epiſcopatus exhibuit. An Ceſena fuerit eadem ac Senæ, *Siena*, docte diſputat. Ceſenæ Epiſcopi jam ſæculis III & IV floruerunt. At hi fuerunt ſubjecti eccleſiæ Mediolanenſi. Noſter, Ceſenæ Epiſcopum eſſe Senenſem, non dubitat. Orlendius credidit, eccleſiam Senenſem ſæculo quarto obnoxiam fuiſſe Epiſcopo Aretino, inſcriptione apocrypha inductus. Florianus, *Sinnae* Epiſcopus, a. 313. interfuit ſynodo Romanæ, qua, Melchiade Epiſcopo Romæ præſidente, cauſa Donatiſtarum fuit ſub examen vocata. Teſtis eſt hujus rei Optatus Milevitanus L. I. *contra Parmen.* Carolus Sigonius ibi legit *Sena;* alii maluerunt intrudere *Ceſena.* Noſter pro *Sinna*, quæ ſit Sena, pugnat. Archiepiſcopale Capitulum Senenſe conſtat nunc ex Præpoſito, Decano, Archidiacono, Archipresbytero, Primicerio, Theſaurario, ac XXI Canonicis. Capellani XI de die ac nocte horas frequentant canonicas. Sacerdotes CXX in templo urbis ſacra faciunt, ſeu in baſilica ejuſque partibus. Sacellani præterea ei adſunt duo, & Clerici XXVIII. Dioeceſis Archiepiſcopalis complectitur XII Vicariatus. Singulis ſubſunt parochiæ, abbatiæ, collegia Canonicorum, Præpoſituræ. Ex ſerie Epiſcoporum atque Archiepiſcoporum pauca liceat delibare. Ultra Luciferium, ad a. 306. poni ſolitum, nemo facile progreditur. Ab eo primordium tractationis cepit Auctor. Florianus ad a. 315. collocatur, ob teſtimonium Optati Milevitani, quod tamen alii aliter interpretantur. Ad annum 440. prodit Dodo. Euſebium, Epiſcopum Senenſem, deprehendimus inter eos, qui a. 465. concilio Chalcedonenſi ſubſcripſerunt. Magnus I a. 520. legitur in Actis controverſiæ, inter Epiſcopos Aretinum & Senenſem anno pag. 3.

 715.

715. agitatæ, apud Muratorium *Hiſt. medii aevi To.* VI,
Diſſ. 74. Maurum I ad an. 565. ponunt vulgo. Mau-
rus II interfuit an. 648. concilio Lateranenſi, quod coe-
pag. 7. git Papa Martinus. Dolendum eſt, varias recenſioni in-
eſſe lacunas, quas explere nemo poteſt. Silent enim te-
ſtes. Silent ſæpius Acta publica.

Quæ Ughellius, Ugurgierus, Giglius, Orlendius, me-
moriæ prodiderunt de Epiſcopis Senenſibus, paſſim Au-
ctor emendavit vel ſupplevit. Synodum ſextam Romanam,
ab Agathone Pontifice convocatam, cui interfuit Vitalia-
10. nus II Senenſis, recte ponit in annos 679 & 680. Adeo-
datus, an. 712. circiter electus, habuit de finibus Epiſco-
patus cum Epiſcopo Aretino controverſiam, quam dijudi-
16. cavit Ambroſius, Regis Ariperti Major domus. Senten-
tiam judicis, poſt Muratorium, ex Actis produxit noſter,
notans Muratorium, qui ex eis anguſtos limites dioece-
35. ſeos epiſcopalis Senenſis collegerat. Confirmationem Re-
gis Liutprandi denuo evulgavit, æque ac litteras Stepha-
49. ni II Papæ ad an. 752, Ansfredo Epiſcopo Senenſi
adverſas, qui ad Regem Aiſtulfum contra Pontificem Za-
chariam cauſam detulerat, quæ ſibi inde ab Adeodati æta-
te cum Epiſcopo Aretino interceſſerat. Andreæ II men-
tio fit ad an. 795. in diplomate Caroli Magni, quod ex-
54. hibetur. Carolus ſe inibi adpellat Regem *Francorum*
& Romanorum & Longobardorum. Anaſtaſium nobilitavit
ſententia cognitorum Lotharii Imperatoris, qui an. 833.
cauſam Epiſcopi Aretini ſuſtentarunt, dicti vulgo *Miſſi.*
64. Lotharius ipſe ſententiam eam diplomate corroboravit, quod
jam legitur apud Muratorium in *Hiſt. medii aevi,* To. V,
83. p. 927. Joſeph *archicappellanus Domni Imperatoris* deci-
ſioni Leonis IV ſubſcripſit poſt Leonem, & ante Johan-
nem Archiepiſcopum Ravennæ. Lupus III ad an. 831.
legitur in Acto publico, Epiſcopi Aretini cauſæ faventi.
Theo-

Digitized by Google

Theodorici ad annum 913. in Regis Berengarii diplomate, quod exhibetur, mentio eſt. Ad annum 999, imperante Ottone III, Hildebrandus in Acto occurrit publico, ad verbum deſcripto. Leo an. 1027. in Aretina controverſia, denuo mota & deciſa, legitur. Johannem II reddiderunt memorabilem chartæ nonnullæ publicæ, ac præcipue Imperatoris Henrici III diploma, cujus monogramma habet aliquid peculiaris. Amadeum II ad an. 1073. nobilitarunt litteræ quædam *Beatricis Comitiſſae ac Ducatricis* & Alexandri II. Rudolfus, Canonicis baſilicæ ſuæ an. 1082. agros donavit plurimos. Teſtes ſunt ejus litteræ. Eas in medium produxit Auctor. Ranierius I in Abbiam monaſterii S. Salvatoris donum contulit benignum. Exſtant etiam chartæ publicæ, ab Epiſcopis Senenſibus poſtea datæ, quas Auctor diligentiſſimus lectori noluit invidere. Edidit idem Imperator paſſim diplomata, nondum antehac evulgata. Fridericus an. 1185. diploma dedit, cui ſubſcriptus cernitur *Gotifridus Imperialis aulae Cancellarius vice Philippi Colonienſis Archiepiſcopi & Italiae Archicancellarii.* Litteras Pontificum ibi bene multas legi, antea nondum publicatas, quis ambiget? Aeneas Silvius Piccolomini, antea Epiſcopus Tergeſtinus, olim in Friderici III Imperatoris aula enutritus, in patria ſua Senis an. 1449. ad 24. Oct. Epiſcopus fuit electus, Nerii ſucceſſor, Pontifex inde Romanus 1458, 19 Aug. nactus ſucceſſorem Senis Antonium II, Andreæ Piccolomini filium, quem Aeneas Silvius, tum Pius II adpellatus, primum creavit Archiepiſcopum Senenſem an. 1459, d. 19 April. Auctori e re viſum fuit, ipſas litteras bullatas Pii II inte-

pag. 102. 107. 121. 126. 151. 180. 324.

Digitized by Google

pag. 333. integras heic inſerere. Franciſco II ſubjecit idem Pius II *Conventus Monachorum ſubjectionis Regularium* an. 1460, 31 Aug. nec non *Abbatiam & Monaſterium SS. Trini-*
339. *tatis di Torri*, ut alia taceamus. Alexandro III coepit gaudere baſilica archiepiſcopalis Senenſis, qui Marcello Cervini, Comite *del Vivo nella Montamiata* fuit an. 1695, 19 Decembr. natus, e familia Senenſis urbis longe ampliſſima, ac meritis honoribuſque inde a multo ævo corruſca.

Digitized by Google

AD
NOVA ACTA ERUDITORUM,
Quæ Lipſiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Tomi VIII Sectio IV.

JOHANN. CHRISTOPHORI DE JORDAN, S. R. M. Hungariæ & Bohemiæ Conſiliarii Bohemici aulici, de originibus Slavicis opus Chronologico-Geographico-Hiſtoricum, ab antiquitate litteris nota in ſeculum usque Chriſtianum decimum. Ex fontibus ipſis antiquis ſcriptorum tum Romanorum, tum Græcorum, & ex hiſtoriis variarum aliarum gentium ad res Slavicas illuſtrandas facientium, deductum.

Vindobonæ, typis Gregorii Kurztboeck, & Joann. Jacobi Jahn, Univ. typogr. 1745. Tomi duo, fol. T. I. Alph. 1. plag. 8. T. II. Alph. 4.

Ad hiſtoriæ rectam & accuratam cognitionem inprimis pertinet, gentium antiquarum origines & fata cognoſcere. Et quamvis hoc de omni hiſtoria veriſſime dici poſſit, Germanorum tamen res geſtas ſibi familiares reddituro, id quod hominem his in terris natum quam maxime decet, talem cognitionem inprimis eſſe neceſſariam, dubitabit nemo, qui, veteres Germanos non unam aliquam civitatem conſtituiſſe, ſed ex variis populis, legibus, inſtitutis, & magiſtratibus, a ſe invicem diverſis, conſtitiſſe, cogitaverit. Ut taceamus, quamplurimas gentes, penatibus relictis,

alienas ſedes invaſiſſe, ibique domicilium fixiſſe, quarum fata niſi quis in promtu habeat, næ is talpa coecior, hoc in eruditionis genere, multis difficultatibus & dubiis iam per ſe obſepto, continuo vacillabit, & in perpetuo in errores incidendi periculo verſabitur. Inter gentes autem, quarum notitia harum rerum ſtudioſis tam neceſſaria eſt, non ultimo loco ponendi ſunt *Slavi*, quorum fata & res geſtas viri eruditi accuratius deſcribi, & cum orbe litterato communicari, diu deſiderabant, Satisfecit huic deſiderio illuſtris quondam hujus operis Auctor. Qui cum loca, Slavis quondam inhabitata, & ubi adhuc hodie eorum dialectus in uſu eſt, ſibi valde cognita reddere occaſionem habuerit, ad hunc librum conſcribendum animum appulit. Ediderat jam olim a. 1716 in academia Pragenſi conſtitutus, elegantem diſſertationem, *de archipincernatu, & connexione regni Bohemiae cum imperio Romano Germanico*, quae ſundamentum hujus operis conſtituit, quod nunc, ex quo inde ab a. 1740. ubi ob bellorum turbas, quæ iuſtitium indixerant, a conſuetis negotiis ipſi vacare licuit, ad umbilicum perduxit. Non quidem, uti more inter auctores librorum receptum eſt, præfationem operi præmiſit, ex qua de toto ejus inſtituto, & libri partitione, poſſet hauriri notitia, verum ipſa ejus inſcriptio lectores edocet, in quatuor partes univerſum opus abire. Prior pars 29 capitibus conſtans, introductionem in origines Slavicas ſiſtit, ubi de Slavis præcipue, tum vero & de aliis gentibus, quarum hiſtoriam ad Slavicas res illuſtrandas facere putat, Boiis, Illyriis, Marcomannis, Quadis, Alamannis, Vandalis, Gothis, Herulis, Rugiis, Scyris, Hunnis, Langobardis, Gepidis, Boioariis, Thuringis, & Saxonibus, diſſeritur. Reliquæ tres partes, quæ tomum alterum conſtituunt, apparatum triplicem continent: Chronologicum nempe, circa æras ſ. rationes computandi; geographicum, circa Slavorum olim & nunc ſedes; atque hiſtoricum, circa geſta & fata tum Slavorum, tum aliorum ad Slavicas res illuſtrandas facientium populorum. De Boiis igitur & Celtis primo loco Ill. Auctor diſputat. Boios, & in Italiam & in Germaniam migraſſe, contendit.

Digitized by Google

tendit. Ex Livio nempe comprobat, (cujus tamen neque librum neque caput, neſcimus qua de cauſa excitavit, (eſt vero Lib. V. c. 34.) Tarquinii priſci temporibus Ambigatum, Celtarum regem, ſororis ſuæ filios, *Belloveſum* & *Sigoveſum*, in alias terras, quas Dii dederint, mittere ſtatuiſſe. Horum alteri, *Sigoveſo*, Hercinios ſaltus ſortito datos fuiſſe, qui ex Helvetiis, Volcis Tectoſagibus, & Boiis præcipue, populos exciverit. Helvetios & Volcas Tectoſages, inter Herciniam ſilvam, Rhenumque & Moenum, amnes; Boios inter ipſam Herciniam ſilvam, conſediſſe. Terram hanc, Herciniis montibus undique cinctam, a Boiis, *Boiohemiam*, id. eſt *Boiorum patriam*, dictam eſſe, obſervat. Ab illo tempore triplices Boii fuerunt. Antiqui nimirum, in patria Celtica reſidui; Italici, qui cum altero fratre *Belloveſo* in Italiam venerant, quique ipſam poſtea Romam ceperunt; Germanici denique. Quomodo Italici Boii, & ad ſummam potentiam excreverint, poſtea fere ad nihilum redacti, & unde ſubſequentibus temporibus Romani in loco Pannoniæ, qui *deſerta Boiorum* appellitabatur, colonias Sabariam & Scarabantiam condiderint, Ill. Auctor docet. Altera Boiorum magna migratio ſeculo quinto poſt Romam conditam accidit, quando duce Brenno, dein Leonorio & Lutario, in Dardanos, Thraciam, Bithyniam, & Aſiam venerunt, condito ibi ſpeciali regno *Galatarum* ſ. *Gallo-Graeciae*, quod civilis belli tempore inter Julium Cæſarem & Pompejum A. V. C. 706. ſub rege Deiotaro adhuc viguit. In tres autem claſſes Boii tunc diſpeſcebantur, *Tobiſtoboios* nempe, *Trocmos*, & *Tectoſages*. Ei vero migrationi, non tantum Boios ex Italia, ſed & Tectoſages ex Germania, inter Moenum & Herciniam Thuringicam, atque Boios ex Hercinia Bohemica interfuiſſe, A. exiſtimat. Boii Bohemici primum inſultum paſſi ſunt a Cimbris, natione Germanica, quibus tamen prævaluerunt. Fata hæc Cimbrorum, a Boiis Bohemicis repulſorum, fuſe ediſſerit hic Auctor. Alterum inſultum Boiis Bohemicis a Marcomannis imminuiſſe, circa finem ſeculi ſeptimi a condita Roma, quorum armis impares Boios, ſedes ſuas ſylvæ Herciniæ derelinquere coactos fuiſ- Pag. 2.

 ſe,

Pag. 3. ſe A. obſervat. Hanc expulſionem Boiorum a Marcomannis patratam, adhuc in ſtatu populari, ſeu ſub directione procerum conſtitutis, accidiſſe, & ad ſtatum regium ſub Maraboduo minime rejiciendam eſſe, autumat. Cumque mirum videri poſſet, Boios Marcomannis fuiſſe impares, qui antea Cimbris tanta fortitudine reſtitiſſent, ingenioſe conjicit Ill. Auctor, eos, gloria nationis ſuæ, partem Illyrici & Aſiæ tenentis, incitatos, his temporibus jam magis & magis veſtigia popularium ſuorum legiſſe, & ex Bohemia maximam partem emigraſſe. Quoniam vero Slavi ex Illyrico in Bohemiam venerunt, de hoc ipſo terrarum tractu nonnulla A. diſputat. Illyricum, ſeu Illyrin ſtrictius acceptam, Iapydes, Liburnos, & Dalmatas comprehendere, obſervat: latiſſime vero, etiam Noricos, Pannones, Moeſos ſuperiores, Dacos cis - Danubianos, & Macedones complecti, aſſeverat. Illyrii ſtrictiſſime accepti, inter Scardonam & Macedoniam, primi fuerunt, qui ſub poteſtatem Romanam redacti ſunt. Reliqui, quo tempore, &
3-6. qua ratione eandem ſortem experti ſint, fuſe declarat. Ex populis Pannoniæ inferioris, quos Ptolemæus deſcribit, in hiſtoriis de Cæſaris Auguſti tempore, non niſi *Breuci*, *Scordiſci*, & *Amanteni* occurrunt. Quod quidem mirum ideo non eſſe poteſt, quoniam tempore Julii Cæſaris, Boerebiſtas, Dacorum rex, terras ſibi vicinas & non ſubjectas ad Noricum usque devaſtavit, Auguſtus Cæſar quoque Pannoniorum devictorum juniores plerosque in alias regiones abducendos vendidit, unde ad ſcriptores Auguſto poſteriores, nomina tantum quædam notiora pervenere. De populis Pannoniæ ſuperioris, nec ſub Auguſto, nec poſt eum memoriam ſupereſſe, niſi de *Latovicis*, *Boiis*, & *Cyticis*, obſervat. Ab *Oſſeriatibus* antiquis, *Oſi*, tempore Taciti, trans Danubium in tergo Quadorum poſiti, deſcendiſſe videntur. Populorum Pannoniæ partem, ab evaſtatione Dacica raro cultore gaudentem, Marcomanni & Quadi occuparant, usque dum Auguſtus A. V. C. 738. & 742 omnes reliquos Pannones ſubjugaret, &, ut Pannoniæ Danubius pro limite eſſet, Marcomannos & Quados ultra ripam pelleret. In Illyrico, quod ad Orien-

Orientem ſitum eſt, plurimas & maximas gentes funditus periiſſe, ita, ut deſertæ eſſent regiones per plurium dierum itineris ſpatium, ſcribit A. in easque ſolitudines Romanos ſubinde colonias deduxiſſe, quamplurimis exemplis oſtendit. Marcomanni & Quadi nationis Germanicæ fuerunt, ejus, quæ Svevica communiter vocabatur, & in multos populos particulares diſpeſcebatur. Inſtitutum harum gentium fuiſſe, ex centum pagis, quos inhabitabant, millia ex ſingulis, adeoque centum millia armatorum, ad terras vicinorum depopulandas mittere, reliquis domi manentibus, atque agris colendis vacantibus, A. operoſe obſervat. Ab hoc evagatorio bellandi modo, a germanica voce *ſchweben* i. e. *vagari*, Svevorum nomen deſcendere putat. Talem igitur expeditionem unius anni, tempore Iulii Cæſaris, contra Boios, Herciniæ ſylvæ incolas, inſtituerunt, quæ iis adeo feliciter ſucceſſit, ut Boios, per crebras emigrationes in Illyricum & Aſiam multum attritos, ſedibus ſuis plane pellerent. Hac autem victoria obtenta, non uti alias ſolebant, domum reverſi ſunt, ſed terram eam ſat fertilem, & ceteroquin undique fere Svevicis gentibus incluſam, retinere ſtatuerunt, partem gentis ſuæ, cum uxoribus, liberis, cæteraque familia, eo inducentes. Novi hi iſtius regionis incolæ, *Marcomanni* ſunt dicti, vel a Germanico *March*, limes, quaſi limitanei viri Svevicarum gentium adverſus Vandalos, & Danubium, quem fere attingebant; vel a *Marck*, medulla, quaſi homines, qui alios robore & virtute bellica longiſſime ſuperarent. Cum Arioviſtus, Germani exercitus princeps, Gallias cum ingenti manu invaderet, Svevi ea occaſione utendum rati, ex omnibus pagis milite coacto, ad Rhenum conſederunt, eum tranſire molientes. Cæſo autem & ultra Rhenum fugato Arioviſto, domum reverſi ſunt, in ipſo reditu, ab Ubiis inſequentibus non leve detrimentum paſſi. Inter copias Arioviſti, præter *Tribocços*, *Vangiones*, *Nemetes*, qui omnes ſecundum Tacitum Rheni ſuperioris accolæ erant, Marcomanni quoque reperiuntur. Ex ea conjunctione, & quod ante Tribocços Marcomanni recenſentur, hos ex ſuperiori adhuc regione, & quidem ex

 novis

novis incolis ſylvæ Herciniæ fuiſſe, adeoque alios Marcomannos propius ad Rhenum fingendos non eſſe, Ill. Auctor
Pag. 8. colligit. Cum adhuc ſtatus popularis apud eos vigeret, ſedes ſuas ultra Hercinium ſaltum & Danubium, in Pannoniam usque ad Dravum extenderunt. Ubi autem Maroboduus rex hujus gentis conſtitutus eſt, is, ab Auguſto, qui omnes Pannoniæ populos devicerat, & fines imperii R. usque ad Danubium promovere ſtatuerat, multis Romæ beneficiis affectus, ex metu & reverentia erga Auguſtum, populares Marcomannos intra ſilvam Herciniam retraxit, & Quados, Pannonia ad priſtinas ſedes juſſit decedere. Gentes dein, quas ſibi Maroboduus ſubjecit, Ill. Auctor recenſet, deque iſtius principis potentia, ex *Vellejo* nonnulla dedit. Eum tamen poſtea Ravennæ in exilio eſſe mortuum, ex quo a *Catualda*, regni Marcomannici invaſore, ſolio eſſet dejectus, ſed & eundem Catualdam poſtea, a *Vibilio* Hermundurorum rege, regno pulſum eſſe, obſervat. *Vannius*, ex Quadorum gente prognatus, deinceps a Romanis Marcomannorum regno præpoſitus eſt, ab eodem tamen Vibilio, paulo poſt regno ſpoliatus. Quomodo potentia Marcomannorum deinceps fracta & imminuta, tandemque ſub *Antonini* & *Commodi* imperio penitus deleta ſit, ita, ut *amici & devoti populo Romano* dicerentur, commonſtrat. Succeſſu tamen temporis, vires recipere Marcomanni & Quadi ſubinde coeperunt, unde quamplurima bella eos inter & Romanos exorta ſunt, usque dum, poſt tempora finientis ſeculi quarti, una cum aliis gentibus, *Attilae*, Hunnorum regi, in expeditione Gallica adhærerent.
18. Hoc ideo factum eſſe Ill. Auctor exiſtimat, quod Marcomanni, rerum novarum avidi, ſedes ſuas veteres intra Herciniam ſilvam neglexerint, & ut ſors dediſſet, ſive cum melioribus, ſive paribus, dummodo novis, commutaverint. Cum inter objecta primaria ſpeciminis de originibus Slavicis ſit, deſignare, quo tempore *Czechus* & *Lechus*, fratres, cum popularibus ſuis Slavis, in Bohemiam migraverint? antequam ea de re certi quid A. conſtitueret, neceſſum erat oſtendere, Bohemiam, cultoribus ſaltem ex parte deſtitutam, ideoque recipiendi

Czechi

Digitized by Google

Czechi, cum populo ſuo, capacem fuiſſe, atque etiam circumvicinos Hercinio ſaltui populos deſertas illas regiones adimplere noluiſſe, ſed potius novæ ſedis quærendæ ſtudio alio commigraſſe, & hac ratione, Lecho, terras Viſtulanas & Polonicas occupandi, anſam præbuiſſe. Plures adeoque Germaniæ populos A. C. 255. in Romanas provincias irrupiſſe, & hoſtiliter ibi egiſſe, A. oſtendit. Eodem tempore gentes quasdam Svevicas, in novum Alamannorum nomen coiviſſe obſervat. Alamannos, quaſi *Halemaenner*, id eſt conquirentes viros, Germanis *Geermaenner*, viros conventuum dictos fuiſſe, aſſeverat; Alamannos & Germanos a multis ſcriptoribus invicem diſtingui, docet. Vaſtatis Galliis, iſti Alamanni, una cum finitimis populis, in Italiam tranſiere, a Claudio vehementer cæſi, & ab Aureliano ex Galliis etiam exterminati. Sub Diocletiano, Conſtantius Cæſar, ſexaginta millia Alamannorum, juxta Lingonas in Galliis, prælio devicit. Poſt multa dein bella, inter Alamannos & Romanos varia fortuna geſta, Theodoſius, tunc temporis magiſter equitum, eos diſperſos per Rhætiam agreſſus, quoscunque cepit, in Italiam juſſu principis A. C. 370. miſit, ubi fertilibus pagis acceptis, tributarii, Padum accoluere. Lentienſes etiam Alamanni anno 378. penitus a Romanis fuſi, cum pacem peterent, juventus eorum tirociniis Romanis immixta fuit. De populis Alanorum vicinis, eorumque excurſionibus & fatis, varia etiam Ill. Auctor profert in medium, & in ſubſequentibus ad ea quæ præmiſerat provocans, nullius obſtaculi veſtigium in hiſtoriis reperiri, quo minus Czechus & Lechus fratres, cum populo Slavico, circa finem ſeculi quarti, liberum aditum, in incultas & magna ſaltem ex parte deſertas terras ſaltus Hercinii, habuerit, aſſeverat. Quinimmo, ſi Czechi & Lechi migratio etiam multo ante, v. g. ſeculo primo exeunte, inſtituta fuiſſet, eo conſilio, ut deſertam tantum partem terræ iſtius incolerent: dicendum utique Ill. Auctori videtur, id bona voluntate Marcomannorum obtineri potuiſſe. Huius rei ut rationem redderet, ad traditionem totius Slavicæ nationis provocat, quæ conſtanter dicit, Cze-

Pag. 20.

chum

Digitized by Google

chum & Lechum, inquirendo terram, quietæ, & ſine armorum ſtrepitu acquirendæ habitationi aptam, ad montem *Rzip*, in meditullio confluentium fluviorum Moldavæ & Egræ ſubſtitiſſe, ibidemque primitus ſedem fixiſſe. Inſuper eædem traditiones, illam regionem ſylveſtrem magis quam campeſtrem depingunt, & immanes ſilvas exciſas, & aratro ſubditas poſtea fuiſſe, referunt. Confirmare hanc traditionem *Ptolemaeum*, Ill. Auctor affirmat, qui, præter regiam Marcomannorum, *Marobudum*, quam eandem cum hodierna *Praga* fuiſſe credit, nullius civitatis nomen prodidit. Cumque exinde pateat, ſeptentrionalem Bohemiæ partem, etiam florentibus Marcomannorum rebus, ſilvis alendis potius, quam urbium ædificationi inſerviiſſe: impetratu facile Czecho fuiſſe credit, ibi locorum penates ſuos absque invidia Marcomannorum ſiſtere, & ex incultis terris manſionem ſibi & populo impetrare. Gothorum quoque & Hunnorum generalis quædam notitia, ideo originibus Slavicis præmittenda erat, quoniam illi, reliquas nationes Scythicas & Illyricas ferme omnes, transferendo ſedes ſuas modo in hanc, modo in aliam plagam, vehementer turbarunt, & variis modis exagitarunt. *Iornandes*, Gothos ex Scanzia, inſula arcticarum terrarum, deducit, cum Getis & Dacis pro iisdem habet, iisque inde in Scythiam magnam progreſſis, omnia longe ante Chriſti nativitatem a Getis & Dacis geſta, attribuit. Ill. Auctor vero, his antiquitatibus miſſis, geſta duntaxat hujus gentis ab eo tempore, quo arma cum Romanis conſeruerunt, & Danubium inferiorem transeuntes, Moeſiam & Daciam devaſtarunt, recenſet: quæ res circa medium tertii poſt natum Chriſtum ſeculi contigit. Pag. 26. Præcipuam tunc Gothorum ſedem, in hodierna Walachia & Moldavia fuiſſe, aſſeverat. Poſtea, eodem ſeculo graviſſimas calamitates, & bella cum Hunnis experti ſunt, qui omnes regiones circa Danubium, a Ponto usque ad Quados & Marcomannos, pervagati, cuncta montium juga oppleverunt; quod tamen de Dacia montana inprimis capiendum eſſe, cum Pannonias cis Danubium, & terras Jazygum Quadorum, que non inſederint, Ill. Auctor monet. Hac autem

autem Hunnorum potentia perterritus Imperator Valens cum Gothis pacem & foedus iniit, iisque terras quasdam per Thraciam colendas conceſſit: quæ tamen pax non diu duravit, ſed cum a præfectis regionum ſubinde ignominia afficerentur, Gothi arma contra Romanos iterum ſumſerunt, quo in bello Romani cæſi ſunt. Cumque poſtea ſocietatem cum Hunnis inirent, & ipſe Imperator Valens, contra eos dimicans, interiiſſet, Cpolin, quamvis fruſtra, oppugnarunt, provincias vero Romanas usque ad radices Alpium Iuliarum pervagantes, Pannonias occuparunt. Quæ ulterius notatu digna de Viſigothis pariter ac Oſtrogothis occurrunt, Ill. Auctor ſubjungit, & Oſtrogothos poſtea ad terras Scythicas ultra Danubium ſeſe recepiſſe, pronuntiat. His abſolutis, de *Sarmatis* ad *Pontum Euxinum*, & de *Venedis Anthis* diſputat. Sarmatiam, diverſimode veteribus dici, obſervat. Herodotus & Iornandes generale nomen Scythiæ, terris transdanubianis indiderunt, qua in ſignificatione ea vox in multis veterum ſcriptorum locis, quos Ill. Auctor citat, occurrit. Sarmatæ Venedi autem, de quibus A. præcipue ſermo eſt, ex ſedibus ſuis inter Tanaim & Volgam fluvium, per migrationes populorum verſus Danubium ſubjacentium, exciti ſunt. Dum enim Gothi, eisque coniuncti alii Scythiæ populi, a Seculo tertio medio, totum ferme Romanum imperium, quin & Græciam atque Aſiam infeſtarent, poſtea vero, ſub Imperatoribus *Claudio Tacito* & *Probo*, internecive delerentur, patebat occaſio reliquis remotioribus populis, ſedes ſuas in loca imperio Romano viciniora promovendi. De Sarmatis hisce Venedis, qui Anthæ poſtea dicti ſint, in tabula Peutingeriana, & ſcriptoribus vitæ Conſtantini, quippe qui Imperator proſpera fortuna contra eos pugnavit, mentionem occurrere, obſervat. Duplex Venedorum genus fuiſſe, ex ſcriptoribus vitæ Conſtantini intelligitur. *Limigantes* alii dicti ſunt, quod ad limites Romani imperii, in parte ripenſi Daciæ antiquæ, ſederent. His contra Gothorum invaſionem auxilio venit Conſtantinus, & Gothos, cæſis eorum centum millibus, in priſtinas ſedes repulit. Alii autem, qui & Anthae dicuntur,

pag. 29.

Digitized by Google

& circa Danubium inferiorem & Thracias, habitarunt dubiæ fidei fuerunt, contraque eos Conſtantinus, pace cum Gothis firmata, in bellum profectus eſt. De Sarmatis Venedis, qui
pag. 31 *Limigantes*, dein *Slavini* dicti ſunt, peculiari capite Ill. Auctor tractat, & deinceps ad inſtitutum propius accedens, antequam Czechi & Lechi migrationem ex Croatia in Bohemiam ediſſerit, vocabulorum quorundam, quibus ſcriptores rerum Sarmaticarum & Scythicarum ſæpiſſime utuntur, accuratum examen inſtituit; cum talem diſquiſitionem ad hiſtoriam Slavicam quamplurimum conferre cenſeat. *Barbaros* adeo,
39. quosvis exteros ab antiquis dici, inculcat. *Scythas*, omnes gentes verſus ſeptentrionem dictos fuiſſe, & tales denotare, qui arcus jaculatione alios vincunt, aſſeverat. *Sarmatarum* nomen non ſolos Slavos comprehendit. Celticæ eſt derivationis, & populos in latis campis, inter montana Scytharum habitacula mediis, degentes connotat, idque contradiſtinguendo Sarmatas proprios, a Scythis propriis, cum laxe ſumta hæc nomina, pluribus ſcriptoribus ſynonyma ſint. Venedorum etiam nomen Celticæ originis eſſe contendit, iis populis olim dari ſolitum, qui ſpatia terrarum ad mare vergentia incolerent. Triplices populos hujus nominis fuiſſe, monet. Sarmatici Venedi, de quibus Tacitus & Ptolemæus multa commemorant, in oris maris Balthici ſederunt, quas hodie Boruſſi, Curlandi, & Livones habitant: hos Venedos, Germanicæ nationis fuiſſe, Ill. Auctor pro certo affirmat. Slavos Sarmaticos, quoniam ab Oceani ſeptentrionalis vicinia venerint, appellationem Venedorum accepiſſe, exiſtimat; *Antharum* vero nomen, illis Venedis, qui ad Pontum Euxinum, & extremas ripas Danaſtri & Danubii habitabant, proprium fuit. *Slavorum* & *Slavinorum* compellationem, domeſticæ originis eſſe ſtatuit, Anthis etiam competentem, illam genericam, hanc vero ſpecificam, qua olim a Slavis Anthis, Ponti Euxini & Danubii extremi accolis, Slavi alii, Danubii medii accolæ, diſtinguebantur. Vi vocis hanc compellationem homines laude dignos denotare, & a vocabulo *Slava*, quod laudem & gloriam ſignificet, deſcendere, A. monet.

Sclavos

Digitized by Google

Sclavos eos corrupte, pro *Slavis*, a nonnullis vocari, probat. Quando primum ita dicti fuerint, non certo ſciri profitetur, inde tamen a Claudii II. temporibus, a laude, quam ob fidelitatem præ aliis barbaris, apud Romanos adepti erant, hoc nominis tuliſſe cenſet. *Croatarum* nomen a *Charnis* ſeu *Carnis* derivat, in quorum provinciam Slavi a Conſtantino M. ſuſcepti ſunt. *Nomades* eos dici non potuiſſe, locus Ammiani appoſitus declarat. Idem ſcriptor eos *latrocinandi peritiſſimum genus* vocitat. Hoc vero nihil probroſi involvere, ſed peculiarem modum bellandi, quo Slavi excelluerint, denotare Ill. Auctor exiſtimat. Deſcriptionem quoque morum Slavicorum, ex Procopio Cæſareenſi adfert. Varias poſtea ſcriptorum Bohemicorum ſententias, de Czechi & Lechi adventu in Bohemiam recenſet; propriamque deinceps cum lectore communicaturus, Scythiæ magnæ, ex qua Slavos veniſſe credit, geographicam notitiam ſatis amplam ſuppeditat. Poſt operoſas tandem diſquiſitiones, ſtatui certo poſſe affirmat: 1) tranſitum primævum Limigantium Slavorum, ex partibus transdanubianis, & ſpeciatim ex Daciæ antiquæ ripenſis parte, A. 334, ex perfidia ſervorum, qui contra optimatium dominatum rebellarant, & ob auxilium in bello communi contra Gothos præſtitum, æqualitatem jurium, adeoque democraticam reipublicæ formam poſtularant, accidiſſe; 2) maximam partem montana, avia, & inculta loca illis a Romanis fuiſſe conceſſa; 3) *Krapinam* & *Pſari*, arces in comitatu Zagorienſi, non inepte pro domicilio Czechi & Lechi fratrum haberi; 4) populum eum Slavicum, has in terras refugum, ſpeciali nomine *Acaragantium*, a circumvicinis civitatibus & coloniis Latinis inſignitum, adeoque & gentem & regionem pro ſeparata habitam fuiſſe. Populum hunc ſeipſum, nomine generico *Slavinos*, nomine ſpecifico *Charvatos* dixiſſe, & eam compellationem duo loca Croatiæ & Bohemiæ adhuc ſervare. Poſtea anno 454, per novam immigrationem populum creviſſe, & in Dalmatiam usque dilatatum eſſe, obſervat. His expeditis, ad migrationem Czechi & Lechi alteram, in Bohemiam nimirum, tranſit. Cauſas hujus

pag. 41. 48. ſqq. 78.

emigrationis, varii varias attulerunt. Optima Ill. Auctori videtur ea, quam Ammianus Marcellinus ſuggerit, ex quo, propter nimiam Valentiniani Imperatoris, ejusque præfecti prætorio Probi, asperitatem, adeoque ao. 374. quo Probus præfecturam geſſit, eam accidiſſe, conſtat; quam ſententiam multis argumentis Ill. Auctor ſtabilit. Czecho in Bohemiam adventanti, primam curam fuiſſe, ad cacumen præcelſum properare, unde, tanqum ex ſpecula, ſubiacentem regionem oculis perluſtrare poſſet, & eum locum antiquo vocabulo *Rzip* adhuc hodie dici, obſervat, deque ejus etymologia & ſitu erudita & notatu digna affert quamplurima. Cumque alii hiſtorici, aliam æram adventus *Lechi* in Bohemiam conſtituerint, eorum ſententias, ſibi quippe contrarias, confutare, incommoda inde exiſtentia detegere, & dubia a diſſentientibus moveri ſolita diſcutere, ſummo opere elaborat. Poſtea Herulorum hiſtoriam, cum ea nonnihil ad Slavorum origines illuſtrandas conferre videatur, delineat. Herulos ex inſula *Thule* originem traxiſſe, ex Procopio & Iornande comprobat. Extra patriam, ſeculo quarto, juxta paludem Maeotidem ſedes ſuas fixerunt, ubi poſtea a Gothis devicti & ſubjugati ſunt. Circa Attilæ autem tempora, cum hucusque veluti delituiſſent, in conſpectum & memoriam hominum redierunt. Attilæ enim, tam in expeditione Gallica, quam occaſione ſubſecuti belli inter Langobardos & Herulos, ſeſe ſociarunt. Procopius, ultimum hoc bellum deſcripturus, Herulos trans fluvium Iſtrum olim habitaſſe, & procedente tempore, i. e. uti Ill. Auctor putat, poſt Attilam, ſupra omnes finitimos barbaros creviſſe, eosque, præſertim Langobardos, ſibi vectigales feciſſe, dein vero ex mera animi libidine, Langobardos, quanquam tributarios, & nullius facinoris aut perfidiæ reos, bello pulſaſſe, aſſeverat. Paulus Diaconus, locum proelio in *campis patentibus (Marchfeld)* ponit. Ex his colligi poſſe Ill. Auctor ſtatuit, ſedes Herulorum, a Procopio trans fluvium Iſtrum collocatas, in Hungaria hodierna ſuperiore, transdanubiana, utpote campis patentibus vicina, debere quæri. Ex traditis Procopii, quod Heruli finitimis ſibi gentibus tributum impoſue-

pag. 79. ſqq. 155.

oſuerint, ulterius inferendum cenſet, Herulos ſibi ſupremum dominium in omnes terras transdanubianas ſeptentrionales, olim Quadias, vindicaſſe, & propterea a populis, qui ſimul ibi habitabant, tributum exegiſſe. Non recenſentur Heruli inter gentes, quæ poſt exactos Hunnos, poſſeſſionem novam in ſolo Romano quæſiverunt. Quapropter in priſtinis ſedibus transdanubianis, olim Quadiis, ideo manſiſſe videntur, ne transferendo ſe cis Danubium, in Illyricum, vel Romanis vel Gothis ſubjacere, opprobrio arrogantiæ ſuæ, compellerentur: ſed ut ipſi potius, in vaſtis terris poſſeſſionis ſuæ, alias gentes ſubjugandi haberent occaſionem. Paſſa tamen eſt Herulorum natio, ſeſe una cum Rugorum & Scyrorum parte, ab Odoacro, natione Rugo, ad Italiam occupandam educi. Verum, hoc non obſtante, Herulorum pars, quæ in patria remanſerat, ad ſubjectos populos in fide retinendos ſuffecit. A Langobardis, quos, uti ſupra dictum eſt, ad campos patentes vicerant, dum rem ſegnius gerunt, eosque durius habitos ad defectionem ſollicitant, ad internecionem usque cæſi Heruli, terras hucdum inhabitatas relinquentes, & oris Iſtro flumine ulterioribus peragratis, in regione olim a Rugis habitata conſtiterunt, paulo poſt tamen, cum victus in deſertis hiſce terris non ſufficeret, ad Gepidarum (i. e. hodiernæ Transſylvaniæ) fines acceſſerunt, qui illis ſupplicibus, ut inquilini eſſent permiſerunt; poſtea autem vexare eos multum vehementerque coeperunt. Hoc duro ſecum agendi modo concitati Heruli, conſilium derelinquendi receptores ſuos iniquiores ceperunt. Pars eorum Thulen patriam repetiit, & per Slavinorum fines quieti eo profecti ſunt. Exinde Ill. Auctor colligit, ex Tranſylvania illos, metu Langobardorum hoſtium, non per Hungariam, verſus Sarmaticos montes & Viſtulam, recto itinere, ſed circumactis montibus Carpaticis, per Poloniæ fines, per Pomeraniam & Meklenburgum, in Daniam iter ſuum inſtituiſſe. Colligendum porro exinde cenſet, jam tunc, ſeculo quinto ad finem vergente, Poloniam a Slavicis populis fuiſſe habitatam. Reliqua pars Herulorum, ab Anaſtaſio Imperatore beniginiſſime quidem cis Danubium ſuſcepta eſt: cum autem

 mores

Digitized by Google

mores non mutaret, exercitu coercita & cæſa eſt, reliquiis tamen, venia anteactorum conceſſa, in Romano ſolo ſervatis, quanquam ſine receptione in foedus, aut attributione annuorum ſtipendiorum, ut alioquin erga barbaras gentes Romanis agere ſolenne erat. Sub Iuſtiniani autem imperio, Herulos loca quædam Daciæ ripenſis ad Singidonem, id eſt, haud procul a Belgrado, in hodierna Servia, ſibi attributa incoluiſſe, in foederatorum numerum quoque receptos eſſe, & legatione ad Iuſtinianum miſſa, ſtipendia æque ut alias gentes foederatas obtinuiſſe, atque Romanis, in bello Gothico pariter, ac contra Slavos Danubium transgreſſos, auxilia præſtitiſſe, evincit. De *Rugis* poſtea, *Scyris*, & *Satagis* diſputat. Rugos

pag. 118. ad Oceanum, & oſtia Viſtulæ, ultimos, in Germania vetere habitaſſe, obſervat, variasque hujus gentis compellationes, apud auctores antiquos obvias, profert in medium. *Scyros*, circa regionem littoralem Cherſoneſi Cimbricæ collocat, eosque a veteri Saxonico *Score*, quæ vox littus denotat, dictos eſſe conjicit. Rugi & Scyri inter Attilæ Hunnorum regis ſocios expeditionis in Galliam, a ſcriptoribus numerantur. Cum poſt Attilæ interitum, gentes, ab eo ſub jugum miſſæ, ſe in libertatem vindicarent, & Hunnos ad internecionem usque cæderent: Rugis, quibus eadem ſors obtigerat, Marciani Imperatoris beneficio, *Bizis* & *Archadiopolis* in Thracia Scyris & Satagis Scythia minor, & Moeſia inferior obtigit. Intelligendum id de parte duntaxat horum hominum, quia pars alia in ſedibus ſuis remanſerit, quod Ill. Auctor monet.

120. Hac autem occaſione quærit, ubi locorum ſederint hæ nationes, antequam cum Attila in Galliam erumperent? Ad latus ſedium Hunnicarum, id eſt, circa Pannonias, aut Daciam, ſeu Tranſylvaniam eos ſediſſe, pro certo ſumendum ſtatuit; cum vix credi poſſit, gentes eas primum in ipſa expeditione Attilæ, ex longinqua patria, Oceano ſeptentrionali vicina, eo acceſſiſſe. De Rugis, ex Procopio, certo conſtare dictitat, eorum habitationem trans Danubium, inter Granuam, Tibiſcum, & Carpaticos montes fuiſſe. Ibi locorum vero & Scyros & Satagas, & cæteros Alanorum commoratos eſſe, ſtatuit, quoniam

de

Digitized by Google

de aliis Hunnorum viciniis compertum ſit, eas ab aliis populis inſeſſas fuiſſe. Aliam inſuper quæſtionem movet, nimirum, ex quibus ſedibus gentes illæ in terras Hunnis vicinas advenerint? De Scyris & Satagis Iornandem omne dubium tollere contendit, quoniam ille, nationi Alanorum, ſub duce Candace, eos annumerat, unde illos ad inferiorem Boryſthenem, in vicinia Gothorum ſediſſe, pro certo habet. De Rugis dubium manere concedit, an etiam illi jam olim in Sarmatia circa Maeotidem ſederint, & Hunnos ad Danubium ſecuti fuerint? an vero illuc immediate, ex patria primæva cis Viſtulana Germanica, ſe contulerint? Et quamvis hac de re certi quid conſtitui nequeat, ſufficit tamen ex Procopio conſtare, Rugis, ſub Attila, ſedes in vicinia Hunnorum fuiſſe. Gepidas, gentis Gothicæ partem conſtituiſſe, ex Iornande docet. Varias gentis iſtius appellationes profert. Ex Scanzia inſula oriundos fuiſſe, tradit. Primas extra patriam ſedes circa Viſtulæ oſtia fixiſſe, & Seculo tertio, prædæ cupiditate allectos, Danubii partibus & Romano ſolo ſe infudiſſe, obſervat. Attilæ, in expeditione Gallica ſuppetias præſtitiſſe, demonſtrat. Fata gentis funeſta, quæ Iuſtiniani temporibus experta eſt, fuſe ediſſerit, & deinceps nomen Gepidarum valde obſcurum evaſiſſe, & non, niſi inter gentes Chagano Avarum ſubditas, occurrere, obſervat. Ad Oſtrogothos poſtea delatus, eos Attilæ & Hunnis, ut in direptionibus Romani imperii ſæpe ante in Illyrico, ita & in expeditione Gallica, ſocios ſe adiunxiſſe ſtatuit. Cæſis Hunnis, Oſtrogothi, conſenſu Marciani Imperatoris, Pannoniam inhabitandam acceperunt. Anno 454, una cum poſſeſſione Pannoniæ, foedus cum eis pepigit, & annua ſtipendia promiſit, Marcianus. Varia deinceps bella eos inter & vicinos geſta ſunt, usque dum pars eorum, ſub ſeculi quinti initium, in Galliam tranſiit, ſeque cum Viſigothis popularibus conjunxit. Theodericus, cum reliqua Oſtrogothorum gente, Italiam, iure beneficiario ab Imperatoribus Cpolitanis obtinuit, ea lege, ut, uti Procopius auctor eſt, eam ex manibus Odoacri vindicaret. Ab illo igitur tempore in Italia conſiſtentes, populos tamen multos extra Italiam ſub jugum

pag. 124.

jugum miſerunt, quos Ill. Auctor accurate ſatis recenſet Ad Langobardos quod attinet, ex Scanzia ſ. Scandinavia quæ vox hodiernam Sveciam, Norwegiam, & Gothiam complectitur, ortum illi traxerunt. Langobardos, a longis quas alebant barbis dictos eſſe, cum prius *Winuli* audirent, putat. A Langobardis Suevis, ſeculo primo jam notis, & Albim accolentibus, eos diſtingui debere, inculcat. Seculo quarto primum relicta patria varias terras invaſiſſe, & in Sarmaticis ſedibus, non tantum Attilæ temporibus, ſed & aliquanto poſt, manſiſſe obſervat. Poſtea *Tato*, eorum rex, illos in poſtremas Rugorum ſedes e regione Norici induxit. Sub eodem rege *Tatone*, Langobardi in *campos patentes (Marchfeld)* venerunt, & per triennium ibi, quamvis ſub tributo Herulorum, pace gaviſi ſunt. Exinde Ill. Auctor colligit, Herulos olim omnem antiquam Quadiam, excluſa ſolum hodierna Moravia, ſuo juri & imperio vindicaſſe. Poſt varia deinceps bella cum Herulis geſta, Pannoniæ munitiones, & civitatem *Noricum*, quam hodiernam Vindobonam eſſe cenſet, ipſis donavit Iuſtinianus. Bella cum Gepidis ab hac gento geſta, fuſe & accurate A enarrat, & quomodo poſtea Italiam occupaverint, oſtendit. Langobardos enim Romanis contra Totilam, Gothorum regem, anno 551 copias auxiliares miſiſſe, conſtat. Ea occaſione primitus Italiam iſti homines viderunt, ejusque adipiſcendæ propoſitum dubio procul conceperunt. Narſes eunuchus, poſtea a Iuſtiniano II. Imp. a. 566. patriciatu Italiæ peſſimo conſilio privatus, in vindictam, Langobardos ad Italiam occupandam pellexit. Hi igitur, Pannonia ſociis Hunnis conceſſa, cum tota gente ſua in Italiam penetrarunt, eodemque anno, autumnali iam tempore, ad Vincentiam & Veronam prædari coeperunt, inſequenti autem anno dominatum Italiæ ſibi aſſeruerunt. Sarmatas, qui ex terris trans Tanaim ſitis advenientes, ſeculo tertio, ſub Claudio II, cis Danaſtrum, ad ſeptentrionem Tranſylvaniæ, dein vero ſub Probo in Bannatu Temeswarienſi, ad meridiem Tranſylvaniæ, nec non in parte Walachiæ, conſederunt, & ab inſeſſis Romani imperii limiti-

pag. 127.

limitibus *Sarmatae limigantes* dicti ſunt, proprio nomine diſtinctivo cum Jornande *Slavinos*, alios vero eorundem populares, qui ad Ponti Euxini littora, & Danubii ripas poſtremas ſe converterunt, *Anthas* vocatos eſſe, quamvis ſcriptores ea nomina ſæpius promiſcue uſurpent, Ill. Auctor loquitur. Iornandes, Sarmatas, inter auxiliares copias Romanorum, contra Attilam, numeravit. Poſt Attilæ mortem, & pulſos ex Illyrico Hunnos, non tantum Slavini priſtinas ſedes conſervarunt, ſed partim etiam in Romanum ſolum commigravere, & ſedes ibi datas incoluere. Slavinos a. 545 Romanas provincias invaſiſſe, Procopius memoravit. Hoc vero de Anthis duntaxat, & non de univerſa gente Slavica dici poſſe, Ill. Auctor fuſe oſtendit. Slavinos etiam nulli populo obnoxios fuiſſe, eisque & civilitatis, & hoſpitalitatis laudem deberi, contendit: Antharum deinceps, qui, ubi pars eorum in terras cisdanubianas Dalmatiæ mediterraneæ & Pannoniæ migraverat, trans Danubium remanſerunt, & Avarum imperio adhæſerunt, fata, in ſeculum usque octavum, ex *Theophane*, aliisque Græcis ſcriptoribus proſequitur. Statim vero ſub initium monet, ab iisdem ſcriptoribus, ad exemplum Procopii, Slavos omnes nomine generico *Slavinos* compellari, abolito quaſi vocabulo Antharum ſpecifico, unde Slavini ubique pro Anthis intelligendi ſint. De Slavis Croatis poſtea peculiari capite agit. Slavos transdanubianos anno 541 novi regis Gothici, Totilæ, fortuna creſcente, cum inſigni multitudine Romanas provincias invaſiſſe, obſervat, cum jam ante Limigantes Sarmatas multis incurſionibus vexaverint. Juſtinianus eos, conceſſa illis civitate *Turris* dicta, & additis pollicitationibus pecuniariis, ad pacem ineundam perduxit, quæ tamen haud diu duravit, cum mox ao. 547. trajecto Iſtro, totum Illyricum invaſerint, varia caſtella ceperint, & exercitus Romanos numero quantumvis ſuperiores, fuderint. Maxima autem eorum migratio anno 550 contigit, cujus hiſtoriam accuratiſſime & ſatis ample Ill. Auctor recenſet, eosque hac occaſione Dalmatiam intraſſe, ſibique vindicaſſe, oſtendit. Tandem hosce populos ſub nexum & poteſtatem Chagani

pag. 137. ſqq.
140. ſqq.
153.
154.

 Avarum

Avarum veniſſe, comprobat. Theophanes narravit, Conſtantem II. ao. 657 expeditionem in Slavoniam ſuſcepiſſe, pluribusque barbaris in captivitatem actis, provinciam illam ſubegiſſe. Hoc autem de Slavis Dalmatis capiendum, cum Avarum potentia jam antea conciderit, erudite commonſtrat A. Slavos Dalmatas uſque ad a. 827 Græcis Imperatoribus ſubfuiſſe, hoc autem tempore ſe in libertatem vindicaſſe, atque propriis legibus vivere coepiſſe, aſſeverat. Inter Dalmatiæ populos, *Sorabi* etiam fuerunt, quorum hiſtoria ad res Bohemiæ illuſtrandas plurimum facit, quoniam a. 567 colonia eorum in Thuringiam, Bohemiæ vicinam, inter Albim & Salam fluvios, occaſione irruptionis Avarum, deducta eſt, quæ & nomen Soraborum ibidem implantavit. De his igitur Sorabis multa profert Ill. Auctor in medium. Populum Dalmaticum fuiſſe comprobat. Nomen eos a voce *Srp*, *falce*, accepiſſe, monet. Eos primo a. 567 ex Dalmatia, cum Avaribus Thuringiam invaſiſſe, dein Saxoniam ſuperiorem ad Herciniam, nec non Miſniam & Luſatiam ſuperiorem incoluiſſe, monet. Hunnorum & Avarum inde fata ampliſſime perſequitur, inque quatuor epochas gentis iſtius hiſtoriam diſpeſcit. Prima a ſeculo vergente quarto, ſeu a. 373 quo Hunni Romanis primum innotuerunt, orditur, & potentiam gentis ſubito formidabilem, ſub Attila autem, ex quo ſolus regnavit, ad faſtigium Romanis ferme exitioſum elatam, aſt transactis usque ad Attilæ interitum octoginta annis, ſubito iterum collapſam, complectitur. Secunda epocha, cum Hunnis, Avarum nomine poſt demum inſignitis, in auxilium Langobardorum contra Gepidas a Ponto Euxino evocatis, ſeculo ſexto medio invecta eſt. Tertia, ſeculo octavo circa annum 744 inchoavit, aſt eodem adhuc ſeculo a. 799 ſub Carolo M. finem habuit. Quartam demum, hodiernæ nationi Hungaricæ propriam eſſe, aſſeverat. Etymologiam vocis *Hungari* hac etiam occaſioue adſtruit. *Hunni* videlicet *Ogori* Simocattæ memorantur, quos contracte *Hunnugaros*, ſ. *Hungaros* dictos fuiſſe, exiſtimat.

pag. 157. Seculo ſexto ineunte, in Norico tres populos, Boioarios nempe, Slavos, & Hunnos eſſe commoratos, *Aventinus* tradidit.

Slavos

Slavos in primis, eam Norici portionem, quæ a fontibus *Muri, Dravi, & Savi*, ad Aquileienſem agrum usque extendebatur, id eſt partem Styriæ ad dextram ripam Muri, atque totam Carinthiam & Carnioliam inſediſſe, idem ſcriptor tradidit. Hæc vero Aventini tradita *Brunnerus, de primordiis gentis Boicae*, pleraque ut fabulas traduxit, & partim ex ſuo ſenſu transformavit. Aliorum etiam ſcriptorum v. c. *Schoenlebenii*, & *Reiffenſtuelii*, hac de re ſententias Ill. Auctor apponit. *Brunneri* igitur & *Aventini* diverſas ſententias operoſe examinavit, & multus eſt in demonſtrando, dudum ante ſeculum ſextum medium, itaque ante migrationem Slavorum Antharum in Dalmatiam, Slavos alios, ſeu, ſpecifico nomine Slavinos, circa terras Noricas, & partim in iisdem, domicilium habuiſſe. Unde & recte colligi poſſe ſtatuit, inde quoque Slavos, qui poſtea Bohemi, dudum itidem ante ſeculum ſextum medium, in Bohemiam emigrare potuiſſe. Duces Boioariorum ſæpe jugum Francicum a ſe amoliri, & independentes ſe reddere laborarunt, (nexu clientelari enim Francis obſtricti erant, uti ex loco Aventini Ill. Auctor oſtendit 1) quod tamen iis ſemper infeliciter ceſſiſſe, eosque armis Francorum ad fidelitatem iterum coactos eſſe, variis exemplis commonſtrat. Thuringos, quondam vicinos Bohemiæ, circa Albim & hodiernam Thuringiam fuiſſe, ex loco Ptolemæi demonſtrare annititur. Thuringos Attilæ ſocios fuiſſe, ex Sidonio conſtat. Eorum bella contra Francos Ill. Auctor exponit. Moenum eos tranſgreſſos eſſe, terras Svevorum ad Danubium uſque ſibi ſubjeciſſe, ultra Danubium quoque in Noricum graſſatos eſſe, oſtendit. Auguſtulum Imperatorem Thuringis ſedes in Francorum regionem extenſas confirmaſſe, monet. Poſtea Francis tributarii facti ſunt. Multa deinceps bella cum Francis pariter ac aliis gentibus geſſerunt, uſque dum eo tempore, quo *majores domus* in Francia regnabant, majorem ſibi libertatem aſſererent. De dominatu Francorum excutiendo ſæpius quidem cogitarunt, regno tamen Francico poſtea penitus adſerti ſunt. Unde regio illa, ſenſim, reſpectu Franciæ Rhenenſis antiquæ, *nova Francia*, item reſpectu Franciæ ad

pag 177. (margin, beside "Brunneri igitur")
182. (margin, beside "ſe. Unde & recte")
183. (margin, beside "Thuringos Attilæ")

Occidentem ſitæ, *Francia Orientalis*, nec non diminutive *Franconia*, appellata eſt. Cum de populi Saxonici ſitu & ſtatu antiquo, uſque ad medium ſeculi noni, originibus Slavicis
pag. 185. quædam neceſſario interſerenda fuiſſe, varias ob rationes exiſtimaret, ducibus, *Georgio Fabricio* in opere, *rerum Germaniae magnae & Saxoniae univerſae memorabilium*, *Reginone Abbate*, *Annalibus Francorum*, *Fuldenſibus*, *Johanne Georgio ab Eckhard in rebus Franciae Orientalis*, Saxonum hiſtoriam ordine chronologico ſuppeditavit. Moravorum hiſtoriam præſtantiſſimis commentariis illuſtrarunt ſcriptores varii, quorum
189. opera Ill. Auctor recenſet. Aſt in primordiis novi regni Moravici, Quadicum inſecuti, aliter plane ordiendum, & in ſumma antiquitatum obſcuritate, omnem lucem ferme ex aliarum gentium hiſtoriis eliciendam eſſe monet. Ditionem adeo Quadicam partim ſub Attila, partim poſt eum, ex veteri ampliſſimo ambitu, in limites ſolius Moraviæ hodiernæ, & partis ſuperioris Sileſiæ, coarctatam fuiſſe, pro certo ſumit,
191. & Quadicæ ditionis decrementa ediſſerit. Ex ruinis autem Quadici regni, Moravicum quaſi ſurrexit. *Paulus Diaconus* nimirum memorat, a Langobardis, poſt devictos & expulſos Herulos, etiam Slavos ſubjugatos eſſe: quod non de aliis, niſi de Svevis Quadis, ob viciniam ſedium capi poſſe, Ill. Auctor cenſet. Clades autem & emigratio Herulorum nondum rem Romanam ſublevare poterat, quamdiu Langobardi in campis patentibus hærebant; dubitari enim nequit, Langobardos victores, in devictorum locum, ſedes ſuas extendiſſe. Dum autem Langobardi terras transdanubianas derelinquerent, & totam gentem ſuam in Pannoniam transferrent, amplam occaſionem Moravi, ſeſe in priſtinas Quadorum prædeceſſorum terras dilatandi nanciſcebantur. Sed cum terris illis replendis ſolæ Moravorum coloniæ nullatenus ſufficerent, alias gentes in ſocietatem ſedium adſciſcere cogebantur. Gentem vero hanc Slavos fuiſſe, Ill. Auctor pro certo habet, variisque argumentis, quibus utique maximum ineſt pondus, comprobat. Seculo ſexto, rempublicam Slavo-Mo-
193. ravicam exſtitiſſe ſtatuit: ante ſeculi autem ſeptimi finem reges

cam

Digitized by Google

eam habuiſſe, negat. Hunnos, novæ reipublicæ multa negotia faceſſiviſſe oſtendit. Reges deinde Moravorum, & veros, & falſo pro talibus habitos, recenſet, & memorabilia, quæ ſub eis acciderunt, ediſſerit. Seculo nono *Lechum* apud eos regnaſſe quidam ſcriptores tradiderunt, quem tamen ex ſerie regum expungendum eſſe, cum ductor exercitus *Neclani*, principis Bohemiæ, contra Caroli M. filium fuerit, inculcat. His vero abſolutis, in ſpecie ad origines Bohemo-Slavicas, quæ præcipuum in originibus Slavicis contexendis objectum ſunt, elucidandas, ſeſe convertit. Baſin hujus tractationis notionem diſtinctam eſſe, quibus populis ante immigrationem Czechi & Lechi, fratrum & ductorum gentis Slavicæ, tum inſeſſa, tum circumdata fuerit Bohemia, monet. Luculentam hac in diſquiſitione facem, pro ævo ſuo, *Tacitum de moribus Germanorum*, & *Ptolemaeum* in *geographia* prætuliſſe, profitetur; ſubſidia etiam nonnulla in *Strabonis* opere, *Vellejo Paterculo*, & *Tabula Peutingeriana* inveniri. Ad meliorem vero dicendorum intelligentiam, ideam genericam Plinii & Taciti, de Germaniæ totius populis, ample præmittit. Populos ad Orientem Bohemiæ, ſeu verſus Viſtulam fluvium, in hodierna Sileſia varios fuiſſe, qui generalibus nominibus *Svevi*, aut *Vandali*, aut *Lygii* dicebantur, in parte Moraviæ autem Quados ſediſſe, pronuntiat. De populis igitur veteris Sileſiæ fuſe diſputat. Ad ſeptentrionem Bohemiæ, ab Oceano incipiendo, & Bohemiam verſus, inter fluvios Viſurgim & Viadrum ſeu Oderam progrediendo, varii ordines populorum a Ptolemæo traduntur. Primus ordo ad oras maris, a Viſurgi ad Albim, ubi in ducatu Bremenſi Cauchi majores, ab Albi ad Chaluſum, ſeu Trave fluvium, in Holſatia Saxones. A Chaluſo ad Suevum, ſeu *Warne* fluvium, in ducatu Meklenburgico, Farodeni, ſeu Warini; a Suevo ad Viadrum, in Pomerania cis Oderam, Sidini. Secundum ordinem in mediterraneis Ptolemæus ponit, ſequendo Albim verſus caput ejus. A Viſurgi uſque ad Albim medium, ſitu, qui magis ad Orientem vergit, in partibus Luneburgicis & veteris Marchiæ Brandenburgenſis, Svevi Angili, populus

pag. 101.

 major

Digitized by Google

major fuit. Sub his, & ſecundum Ptolemæum ſub Albi, ſecundum Strabonem & Vellejum vero ad utramque ripam Albis, in ducatu Magdeburgico, Langobardi. Infra hos, itidem ſub Albi uſque ad Miſniam, Dulgumnii. E regione horum populorum autem Semnones, populus magnus. Sub his, ſupra Albim usque ad Miſniam, Illingæ. Tertius ordo ſub Chaucis majoribus infra Viſurgim, in parte circuli Weſtphalici, Angrivarios complectitur; ſub Saxonibus & Warinis, inter Albim & Viadrum, uſque ad Semnones, in partibus Meklenburgicis & Brandenburgicis, Teutonoaros, Virunos, Teutones, & Avarpos. In ordine quarto Cheruſci ad Viſurgim ſuperiorem, ſecundum Vellejum, Chamavi ad Melibocum montem, circa comitatum Mansfeldenſem, & Lucones apud Albim fluvium ex utraque ripa, collocantur. Sub his Bænochæmæ, in Miſnia uſque ad Bohemiam, dein Bateini, in in Luſatia inter Semnones & Bohemiam, tandem etiam Corconti æque inter Semnones & Bohemiam, ſub monte Aſciburgio habitantes. Ad Occidentem Bohemiæ Ptolemæum etiam quatuor ordines ponere Ill. Auctor obſervat, eosque eadem ratione recenſet: quos tamen hic adſcribere nolumus, ne juſtos recenſionis limites tranſgrediamur. Fata dein populorum Bohemiæ vicinorum doctiſſime enarrat, & deinceps ad ipſam Bohemiam delatus, ex annalibus Francorum oſtendit, eam anno 805 armis Caroli M. & quidem triplici exercitu, ex partibus Boioaricis, Franconicis, & Saxonicis irrumpente, petitam, atque in poteſtatem redactam eſſe. Occiſus eo in bello ex Bohemis refertur *Lezzo* ſ. *Lecho*, i. e. *Lech*, dux eorum. Illum autem non ducem provinciæ, ſed belli, ex magnatibus Neclani, principis adhuc impuberis, fuiſſe, Ill. Auctor obſervat. Cauſa hujus belli in Bohemos pag. 227. a *Reginone* & *annalibus Laureshamenſibus* affertur, quod Slavi, & nominetenus quoque Bohemi, Avaros nuper Chriſtianos factos, in ſedibus ſuis, Auſtria nempe hodierna cis & trans Danubiana, infeſtaverint. In diviſione regni inter filios Ludovici Pii, Ludovico Germanico, Slavi qui a parte orientali Baioariæ ſunt, igitur & Moravia cum Bohemia ceſſit. Quam-

vis

Digitized by Google

vis autem Slavi hoc pacto ſub ditionem Francorum venerint, nunquam tamen in provinciæ formam redacti, aut regno Francorum inſerti ſunt, uti aliis gentibus devictis accidit; verum, ut natione & lingua ſejuncti, ita & ſuorum iurium compotes manſerunt. Nexu quidem fidelitatis imperio Francico erant obſtricti, & tributum annuum ipſis erat exſolvendum: ſummam rerum tamen apud ſuos conſtanter retinuerunt. Hinc enim duces peculiares habuere, inter quos inprimis *Hoſtivitus* eminet, qui foedus novum & æquum cum Imperatore Ludovico Pio, paulo poſt mortuo, percuſſit, & regimen in ſuos ſibi confirmari fecit. Cum Moravis varia illis bella interceſſerunt, ita ut duces eorum auxilium ab Imperatore *Arnulpho* petere cogerentur; etſi in poſterum nihil a Moravis, qui domeſticis turbis, nec non Boioariorum & Hungarorum incurſionibus vehementer vexabantur, illis eſſet metuendum. Ludovici infantis tempore, ſub quo omnia turbata erant, Francos tributi jure ſe abdicaſſe, & Bohemos plena libertate gaudere coepiſſe, Ill. Auctor obſervat. Moravi etiam tunc potentia ſua cadebant, maxima eorum portio Bohemiæ accrevit, & Sorabi, cum res Franciæ poſt mortem Arnulphi ad infantem recidiſſent, & ſpem nullam duraturæ Francorum gloriæ darent, popularibus ſuis Bohemis, pro communi libertate tuenda ſeſe adunarunt. Duravit hoc uſque ad *Henrici Aucupis* tempora, qui Sorabos devicit, & Saxoniæ univit, Bohemiam vero poſtea etiam cum exercitu invaſit, ſibique tributariam reddidit. Et hæc quidem ſunt potiora capita quæ tomo primo hujus operis continentur. pag. 239.

Alter tomus in tres partes ſubdiviſus, triplicem apparatum, chronologicum nempe, geographicum, atque hiſtoricum, complectitur. In chronologico apparatu primo diſquiritur, quo tempore Roma ſit condita: cum hæc æra, uti in omni hiſtoria, ita & hic notatu digniſſima ſit, & ſi accurate, atque ſecundum ordinem chronologicum res geſtas antiquarum gentium enarrare velis, certo conſtitui neceſſario debeat. Romam igitur, anno primo ſeptimæ Olympiadis eſſe conditam, A. ſtatuit; quam ſententiam erudite atque ſubti-

ſubtiliter in ſubſequentibus confirmat, aliorumque qui diſſentiunt opiniones recenſet, atque confutat. Aedificatam eſſe Romam ad diem undecimum Kal. Maji oſtendit. Ad diverſitatem anni conſularis exponendam poſtea progreditur. Initium nempe anni Romani triplex potiſſimum dici poteſt, gentilitium, naturale, ex civile. Gentilitium a natali, urbis procedit, naturale apud diverſas gentes diverſum fuit, de quo *Cenſorinus de die natali* deſcriptionem ſuggerit. Romani ver pro initio habuerunt. Initium tertium, civile eſt, a quo magiſtratuum mutationes, cæteræque ordinationes publicæ inchoabantur; quod variis mutationibus obnoxium fuiſſe, Ill. Auctor obſervat. Multa dein erudita de menſium apud Romanos nominibus diſputat. Morem, conſularem annum

T. II. p. 16. (margin reference beside lines 2–3)

17. Kalendis Sextilibus inchoandi, quondam obtinuiſſe, docet, poſtea Idibus Maiis, dein Idibus Decembris ejus anni auſpicium fuiſſe, & ſucceſſu temporis in vernum tempus illud

28. rejectum eſſe, oſtendit. Kalendis Ianuariis tandem incepiſſe hunc annum, commonſtrat. Diverſitatem computi annorum urbis conditæ, nec non Olympiadicorum, deinceps exponit. Cum nempe certum ſit, annos urbis conditæ proprie a 21. Aprilis inchoari, & eodem die inſequentis anni iterum finiri: conſequitur, quemlibet annum conſularem, de duplici anno urbis conditæ participare. Illuſtrat eam obſervationem quodam exemplo. In ſyſtemate quarto, ſeu ultimo anni conſularis, a Kalendis Ianuarii ineuntis, annus conſularis, quo Iulius Cæſar a Senatoribus confoſſus eſt, participat de anno 709 quatuor menſes, *Jannuarium*, *Februarium*, *Martium*, & *Aprilem* pro parte maxima, de anno 710 reliquam partem Aprilis, dein reliquos menſes ſubſequentes uſque ad Decembrem incluſive. Qui igitur accurate & ſtricte tempora urbis conditæ computare volet, geſta conſularis hujus anni, per quatuor primos menſes, itaque & necem Iulii Cæſaris, quæ Idibus Martiis contigit, anno urbis conditæ 709, geſta autem ultimorum octo menſium anno 710 addicere debet. Qui vero omnia geſta hujus anni conſularis, vel anno 709 vel anno 710 ſoli addicit, is improprie atque laxe annos urbis

urbis conditæ numerat. Ultimam hanc de qua diximus
computationem, Ill. Auctor *laxam primam* vocat, eamque ab
altera quadam, cui *laxae ſecundae* nomen tribuit, diſcernit, quæ
ſupradictum annum conſularem, quo Iulius Cæſar occiſus eſt,
ſine differentia menſium, pro anno V. C. 710 habet, adeo-
que annum conſularem totum, anno urbis conditæ jungit;
qui tamen in quarto demum menſe conſulari, nempe Aprili,
incipit. Hujus computationis diverſæ quamplurima exem- pag. 35.
pia ſuppeditat. Annorum Olympiadicorum computatio iti- ſqq.
dem triplex eſt. Prima, *ſtricta* dicitur, dum anni conſularis
de quo agitur, geſta, in duas partes ſcinduntur, & ea, quæ
menſis Iulii medium, adeoque novæ Olympiadis initium
antecedunt, anno Olympiadico priori, quæ vero Iulii
menſis medium ſubſequuntur, anno Olympiadico poſte-
riori accenſentur. Secunda dicitur *laxa prima,* dum geſta
totius anni conſularis, & ante & poſt Iulium, anno Olympia-
dico finienti accenſentur. Tertia eſt *laxa ſecunda*, quando 40. ſqq.
geſta totius anni conſularis, anno Olympiadico inchoanti ad-
dicuntur. Ut quæ hac de re tradiderat eo magis illuſtraret,
tabulam quandam Olympiadum, cum annis urbis conditæ
comparatarum, adjecit, quam Faſti Conſulares Romani exci-
piunt. Syſtemata etiam diverſa chronologiæ, diverſorum au-
ctorum examinat. Memorabilia deinde, quæ ſub Auguſto 65. - 108.
ante natum Chriſtum acciderunt, ordine chronologico expo-
nit, & initium imperii Auguſti quadruplex diverſum ſtatui
poſſe aſſeverat. Primum ſtatim a nece Iulii Cæſaris, alte- 110.
rum a primo conſulatu, tertium ab Actiaca victoria, & quar-
tum a ſolenniter per Senatum decreto ſummo imperio. Diem
hujus decreti *auctor miſcellae hiſtoriae* VIII. Idus Ianuarii de-
ſignat, cum Auguſtus triplici triumpho urbem ingrederetur.
De annis æræ Chriſtianæ admodum operoſe deinceps diſpu-
tat. Chriſtum menſe Decembri natum eſſe ſibi perſvadet.
Dionyſianam tamen æram, qua vulgo utimur, juſto breviorem 114.
eſſe, concedit. Chronologiam ſpecialem Romanorum Impe- 118.
ratorum uſque ad Carolum M. dein adiicit. De uſu genuino
& perverſo computi, per annos urbis conditæ, conſulatuum
Romanorum, & Olympiadum Græcanicarum æque commen-

 tatur,

pag. 159. tatur, calendaria Romana & ordinem indictionum adiicit.
ſqq. Chronologicam quoque ſeriem regum Francorum uſque ad
192. Carolum M. inprimisque eorum qui Franciæ Orientali præ-
fuerunt, ex commentario *Io. Georgii ab Eckhardt, de rebus*
196. ſqq. *Franciae Orientalis*, proponit. Cum autem Ill. Auctori, origines Slavicas indaganti, in progreſſu operis neceſſe videretur, hiſtoricis excerptis, geographica quædam circa ſitum terrarum Danubianarum & Scythicarum adjungere, ut, præcognitis locis, tanto dilucidiores evaderent hiſtoricæ traditiones: diligentiſſime eam ob cauſam veteres ſcriptores, qui vel data opera ſitum terrarum deſcripſerunt, vel ὡς ἐν παρόδῳ quædam huc facientia ſcriptis ſuis inſeruerunt, contulit. Miratus autem eſt, geographiam Ptolemæi, quæ per gradus longitudinis & latitudinis loca quælibet peramplе deſignat, plerumque negligi, & per tranſennam quaſi, adhibita exigua valde gradibus ejus fide, citari. Abſoluta igitur diſquiſitione ſituum Danubianorum, ſecundum adminicula & indicia itinerariorum Romanorum, & inſtituta quoque oculari inſpectione locorum, ad quæ ob alia negotia ipſi pertingere licuit, apud animum conſtituit, Ptolemæi geographicam concinnationem, (utpote quæ multum luminis affundere poſſet, dummodo in gradibus expoſitis geometrica ſaltem aliqua proportio reperiatur,) penitius inveſtigare. Prima ipſi cura fuit, Ptolemæum in illis partibus ad Danubium viſere, ubi inter Romanos olim & Slavos inprimis agebatur, id eſt a divertigio Arabonis, uſque ad divertigium Savi fluvii; quoniam interpretes geographiæ in ſitibus ibidem graviter inter ſe colluctantur, & itineraria Romana, tanquam ambiguitatibus involuta, quin & vitio librariorum corrupta, incuſant. Ill. Auctor expertus eſt, deſignationem graduum Ptolemaicam, ſi cum menſuris itinerariorum combinetur, totum illum Danubii tractum ab omni ferme ambiguitate liberare. Quam itaque hoc in tractu utilitatem Ptolemaici operis deprehenderat, eam itidem aliis in partibus Danubii ſuperioris reperturum ſe confidit. Aſt ibidem in tantam commixtionem graduum incidit, ut mirari jam deſineret; cur interpretes geographici,

de

de tam confuſis graduum diſpoſitionibus manum detraxerint. Cum tamen ſumma merito ſit Ptolemæi auctoritas, ea ad altius inveſtiganda ejus principia Ill. Auctorem compulit. Quibus editionibus, & Latinis & Græcis, Ptolemæi uſus ſit, declarat. Græcum ejus textum ad codicem MStum, qui in bi- P. III. p. 2.
bliotheca Vindobonenſi aſſervatur, contulit, atque miniſterio hujus codicis Ptolemæum multis in locis emendavit. Ut autem geographum hunc recte in uſus ſuos converteret, primo diſquiſivit, qualem in ſyſtemate generali Europæ rationem & proportionem geometricam ſervaverit. Comparavit adeo Ptolemæum cum chartis recentioribus *Homanni* Norimbergenſis, & *le Fer* Pariſienſis, nec non, quantum ad Italiam ſpectat, Cantellii Modenenſis, chartas etiam ſpeciales, re exigente, contulit. Diverſitatem adeo dimenſionis Ptolemæi ac recentiorum operoſiſſime obſervat, & ut res eo clarior fieret, ſchemata nonnulla hujus dimenſionis apponit, de quibus illud modo dixiſſe ſufficiat, neminem facile ex recentioribus hiſtoricis, Ill. Auctoris curam, ſubtilitatem, diligentiam, ingenium, atque doctrinam, facile adæquaſſe. Itineraria Romana eadem eruditione in uſus ſuos convertit. Triplex itinerarium Romanum ad tempora noſtra perveniſſe contendit, nempe An- 29.
toninianum, tabulam Peutingerianam, & Hieroſolymitanum. Itinerarium Antonini ipſum quidem illum principem auctorem non habere, ſed quia, uti ex Capitolino conſtat, Antoninus itinerum vias diligentiſſime curavit, & omnia ejus facta ſummis laudibus apud poſteros extollebantur, facile vel Imperator, vel privatus aliquis, qui compilationem generalis itinerarii vel juſſit, vel exegit, permoveri potuerunt, ut eidem nomen M. Antonini, cujus curæ inſerta plurima originem debebant, præficeret. Tabula, quæ, ab ejus poſſeſſore *Peutingero*, Peutingeriana vocatur, & nunc in Bibliotheca Vindobonenſi, in antiquiſſimo codice membranaceo exſtat, a nonnullis tempori Theodoſii junioris addicitur, rectius tamen eam Probo aut Diocletiano adſcribi, Ill. Auctor con- 30.
tendit, variaque circa hanc tabulam notatu digniora adſpergit. Hieroſolymitanum itinerarium, quod & *Burdigalenſe*

 audit,

Digitized by Google

audit, anno 333 ſub Conſtantino M. compilatum eſſe, ex ipſis ejuſdem verbis, quæ pag. 571 *edit. Weſſelingianae* comparent, elicitur. Ubi multa, quæ ad horum itinerariorum interpretationem pertinent, Ill. Auctor addiderat, his ſubſidiis munitus, regionum, quæ a Slavis quondam inhabitatæ ſunt,
pag. 42. ſqq. geographicam notitiam exhibet. Fines omnium regionum & urbium accuratiſſime dimetitur, & quæ ad hiſtoriam incolarum pertinent, nunquam non adſtruit. Sequitur dein apparatus hiſtoricus, in quo fata gentium illarum, quæ aliquem nexum cum Slavis habent, & de quibus ſupra Tomo primo jam diſſeruerat, ordine chronologico exponuntur. Inprimis autem hoc in apparatu ſectio 51. attendi meretur, quæ generalia quædam, Slavicas origines illuſtrantia, complectitur. Veram ibi originem Bohemorum hodiernorum, ex cujuſdam *Nicolai Troili* Profeſſoris Pragenſis ſcripto, quod Anti-Roxolania vocatur, & contra alterius Profeſſoris ejuſdem Academiæ, *Iohannis Matthiae* de *Sudetis* dicti, ſententiam directum
96. eſt, oſtendit. Ille nimirum Troilus, obſervavit, hodiernam Bohemiam poſt Boios, tenuiſſe *Suevos*, *Marcomannos*, *Hermunduros*, donec bellis ſuperati & victi, partim a Romanis, partim etiam ab aliis, *Czechus* & *Lechus* cum multitudine Henedorum in Bohemiam veniſſent, eamque coloniis impleviſſent, quam usque ad hodiernum diem inhabitant. Hos ipſos Bohemiæ incolas, qui antea *Vindi*, *Venedi*, *Slavi*, & *Slavini* appellabantur, hodie *Czechos*, ſeu *Bohemos*, a ſuo primo duce vocari, dictitat. Sententiæ huic *Troili*, quam univerſa Pragenſis academia, tunc, cum proponeretur, approbavit, Ill. Auctor ſubſcribit, eo duntaxat nomine a Troilo diſſentiens, quod in criſi vocum, *barbarus*, & *Scytha*, immerito Sudetio ſuccenſuerit. A Græcis etenim ac Romanis omnes exteros *barbarorum*, & omnes ad ſeptentrionem habitantes *Scytharum* nomine, fuiſſe inſignitos, monet. Slavos ab antiquo ſub populari imperio egiſſe, ac propterea utilitates & damna apud eos communia fuiſſe, ex Procopio Cæſareenſi
107. obſervat. Ad eorum religionem quod attinet, unum Deum, fulguris effectorem, & dominum hujus univerſi crediderunt,

eique

eique boves, & cujuſque generis hoſtias immolarunt. Fatum negarunt, fluvios coluerunt, nec non nymphas, & alia quædam numina. In tuguriis habitarunt vilibus, & rare ſparſis. Quando ad pugnam eundum erat, multi pedibus tendebant in hoſtem, ſcutula ſpiculaque manibus geſtantes. Loricarum uſus apud eos nullus fuit. Una erat omnibus lingua, admodum barbara; nec forma corporis inter ſe differebant, erant enim proceri omnes ac robuſtiſſimi. Vitam, æque ac Maſſagetæ, victu arido incultoque tolerarunt. Ingenium ipſis nec malignum, nec fraudulentum fuit, & cum ſimplicitate mores Hunnicos in multis retinuerunt. Slavini pariter ac Antæ, veteribus dicti ſunt *Spori*, quia *σποραδην*, ſparſim, & rare poſitis tabernaculis, regiones incolebant. Dividebantur olim Slavi, quemadmodum ſupra jam Ill. Auctor monuit, in *Antas* & *Slavinos*. Antæ, ſeculo tertio finiente, intra Alutam fluvium ſedebant. Seculo ſexto medio, cum jam ab initio eiuſdem ſeculi in has terras novus populus Slavicus, ſub nomine *Bulgarorum* a Volga fluvio immigraſſet, magna pars Antarum Danubium tranſiit, & diviſo in tres partes exercitu, in Dalmatia mediterranea, id eſt in hodierna Boſnia, & partim Servia, nec non in Slavonia, inter Savum & Dravum, a Siſcia uſque ad Sirmium, ſedes fixerunt; quas & ſubſecutis temporibus, in Dalmatiam maritimam & partem Croatiæ extenderunt, atque hodiedum retinent. Aliam partem Serviæ dein, ac regionem quæ hodie Bulgaria dicitur, uti & alias terras cisdanubianas verſus Pontum, Bulgari occuparunt. *Slavini*, qui & *Sarmatae limigantes* ab inſeſſis limitibus Romani imperii dicebantur, ſeculo tertio finiente poſſidebant terras inter fluvios *Maroſch*, *Tibiscum*, *Danubium*, & *Alutam*. Anno 334 liberi, ſeu domini, a ſervis ſuis terra hac expulſi, partim ad Victoralos in latus Tranſylvaniæ, ſupra fluvium *Maroſch*, confugerunt; aſt ao. 358 a Conſtantio Imp. loco ſuo & dominio reſtituti ſunt; partim a Conſtantino M. ſedes, circa Italiæ fines, in hodierna Croatia & Carniolia, ad Savum & Dravum ſuperiorem, acceperunt. Ex his ſedibus novis poſt 40 annos, nempe a. 374, Croatici principes, Czechus & Lechus, cum populo ſuo in Bohemiam emigrarunt, ibique

que ſedes ſtabiles Czechus fixit, Lechus autem poſtea, cum populo ſibi adhærente, in Poloniam ſe tranſtulit. Slavini, qui in ſedibus priſtinis Temeſienſibus & Walachicis remanſerant, inde poſtea duplici tempore, partim a. 454 cum Hunni, poſt mortem Attilæ, e Pannonia expellerentur, in Croatiam hodiernam, & ad Dravi ripas, dein ſequente ſeculo in Hungariam hodiernam ſuperiorem, plene emigrarunt. Cauſa hujus migrationis fuiſſe videtur, quod, cum Slavinis Temeſienſibus vicini eſſent in Tranſylvania inde ab Attilæ temporibus Gepidæ, in Pannonia vero ab anno 526 Langobardi, atque hi populi ſeculo ſexto medio bella inter ſe miſcerent, & inſuper Antæ, quanquam ejuſdem cum Slavinis ſtirpis, in hos circa annum 534, (abſque dubio, quod in ſedibus ſuis Antæ a novis advenis Bulgaris turbarentur,) irrumperent: patria ibidem loci tuta amplius non videretur, contra vero terræ a Langobardis derelictæ, inter Danubium, Moravam, & Granuam, occupandæ paterent. Slavini ergo conſilium illuc emigrandi, tutioresque ſedes figendi, ceperunt, unde & novum regnum Slavo-Moravicum exſtitit. Veros igitur populorum Slavicorum poſteros, qui hodie adhuc ſuperſunt, in Croatia hodierna, atque vicinis partibus, circa Savum & Dravum ſuperiorem, 2do in Bohemia, 3tio in Polonia, 4to in Hungaria
pag. 108. ſuperiore & parte Moraviæ, quærendos eſſe, Ill. Auctor contendit. In quibus ex his locis lingua Slavonica adhuc obtineat, & quomodo lingua Bohemica, Croatica, Hungarica, Polonica, ab ea differat, operoſiſſime oſtendit, atque ſchemata declinationum & conjugationum, iſtius linguæ adjicit. Ipſi tandem Slavorum annales, ordine chronologico conſcripti, & ex hiſtoricis domeſticis hauſti, inſperſis etiam, ubi res exigebat, nonnullis ex aliarum gentium annalibus, adjectiſque ubi opus erat dilucidationis ergo obſervationibus, operi coronidem imponunt. Summas utique grates Ill. Auctori orbis litteratus debet, pro tanto labore, quem Slavicis originibus inveſtigandis impendit, & nos dubii profecto hæremus, an multiiuga lectio, aut ſumma in digerenda temporum ſerie, & locorum geographica dimenſione, cura, majorem admirationem promereatur. Omnia

enim

Digitized by Google

enim, quæ a præſtanti hiſtorico requiruntur, hic ſimul deprehendimus, & rerum patriæ noſtræ ſtudioſis, de libro, ex quo incolarum veteris Germaniæ tanta notitia hauriri poteſt, ex animo gratulamur; ſimul vero et obitum Viri eruditiſſimi lugemus.

M. GOTTLOB FRIDERICI GUDII V. D. M. Laubenſis Diſſertationum Exegetico-Theologicarum Trias.

Lipſiæ ex officina Langenhemiana plag. 10. 1746. 4.

Perſpiciens libelli hujus plurimum reverendus doctiſſimuſque auctor, neminem ex Theologis noſtratibus diſcuſſionem teſtimoniorum Johanneorum, a cel. *Lampio* minus recte ad confirmandas ſcholæ ſuæ ſententias particulares ad hibitorum, adhuc inſtituiſſe; operam hanc omnem ſibi relictam eſſe putavit, & hoc fini priorem hujus ternionis diſſertationem, vindicationi horum dictorum tribuere non dubitavit. Ante aliquot annos jamjam contra *Lampium* diſputationem inſtituerat doctiſſimam, & myſticam miraculorum Chriſti interpretationem excuſſerat: quem quidem libellum quo jure *Lemkerus* inter illos retulerit, qui *Woolſtono* oppoſiti fuerunt, Noſter intelligere nequit; licet Lemkeri laudet conatus, & quid illis amplius addi queat, ſe non perſpicere fateatur. Hanc rem ideo monet, ne quis famæ *Lampii* lædendae cauſſa hanc ſibi ſumtam operam putet, quem mirifice celebrat, & diligentiam ejus, in Johannis monimenta collatam, laudibus ſuis exornat. Ipſa perluſtratio præſentis libelli unumquemque edocebit, Cl. Auctorem ita in hoc campo emetiendo verſatum eſſe, ut breviter, docte, & integre omnia, quæcunque notatu erant digna, recenſeret. Fatemur hinc quidem, gratiam univerſalem luci hic ſuæ eſſe reſtitutam, & ab Lampianis contortis interpretationibus defenſam: ſed ſimul etiam affirmare recte poſſumus, plurima ex conſuetis reſponſionum generibus, brevitatis ſtudioſum Auctorem, huc ſcite commodeque tranſtuliſſe. Plurimam hic poſuit operam pag. 7.
in vindicando loco Ioh. III. 6, ubi adverſarium etiam omnem

conatum

conatum adhibuiſſe cognoverat, ut fortiſſimum hoc univerſalis gratiæ propugnaculum expugnaret. Negaverat *Lampius*, divini amoris in Scriptura ſacra unquam fieri mentionem, qui
pag. 9. non ratione objectorum ſit efficax. Sed obvertit Noſter, Deum, in ſalute hominibus impertienda, non ex infinitis potentiæ ſuæ viribus agere, & reſiſtendi libertatem hominibus relinquere, ut hoc modo amorem divinum complecti & non complecti poſſint. Deinde in memoriam hujus diſciplinæ alumnis revocat, ut ea, quæ de contemtoribus amoris divini auctores ſacri loquantur, ſecum recte perpendant, inde collecturi, amorem Dei in eos cadere, & effectus ſalutares edere incipere, qui
16. tamen illum inde contemnere non dubitant. Ad dubitationem de ovibus, pro quibus vitam dediſſe ſe Chriſtus dixerat, Ioh. XIII, 15. reſpondet Noſter, non negando, oves Chriſti eſſe illos homines, qui dictis ejus ſunt audientes, ſed conſequentiam adverſarii oppugnando: colligi enim non poſſe exinde dicit, Chriſtum pro ſolis iſtis mortuum eſſe, cum, uno conceſſo,
21. alterum non negetur. Reliqua, inprimis ea, quæ circa dubitationes de precibus, pro omnibus hominibus a Chriſto factis, & Iudæ interitu, monenda erant, ita expedivit Auctor,
27. ut nullus ſit amplius hæſitationi ulli locus. Progredimur hinc ad alteram hujus libelli partem, quæ animadverſiones exegetico-theologicas continet, in *Coelii Secundi Curionis* Theologi Sec. XVI. Baſileenſis celeberrimi dialogos, de regni coeleſtis amplitudine: ubi ab Auctore cl. ſalvandorum hominum pau-
29. citas vindicatur. Ante omnia paradoxa hujus viri recenſetur opinio, &, quæ ad perſonam ejus, meritaque *Schelhornii* in
32. Curionem pertinent, enarrantur. Ordinem deinde rerum ſequitur, & argumenta diſſentientis ponderare inſtituit Noſter, exhibens ſemper ipſa Coelii verba, ſeparatim in margine propoſita. Primum ſententiæ ſuæ argumentum petierat Curio ex potentia Dei infinita, quod facile profligatur ab auctore,
34. diſtincte de gratia Dei, in regno naturæ, & gratiæ, differente, & contra adverſariam ſententiam, tyrannicam quandam Dei potentiam in convertendis hominibus, plane recteque negante. Deinde ſapientiæ divinæ contrarium eſſe, plurimos homines

Digitized by Google

homines damnari, Curio putabat, quia ſcilicet iſta a cacodæmonis conſiliis & aſtutia, in dilatandis regni ſui finibus, ſuperaretur. Sed quæ vera ſapientiæ Dei ſit ratio, qui modus, & terminus aſtutiæ diabolicæ, firmiter declarat Noſter. Clementiam porro & miſericordiam Dei prohibere putaverat Curio, quo minus plurimi ad beatas ſedes ſint revocandi homines; quod argumentum & teſtimoniis divinis, & parabolicis quibusdam munimentis firmatum, ab Auctore per partes Pag. 45.
enucleatur & diſpungitur, nullam relinquendo dubitationem, quin teſtimonia iſta, ex ſacris literis petita, falſo adhibita fuerint ab adverſario. Poſt hæc Curionem ad defendendam ſuam ſen- 55.
tentiam eam ob rationem eſſe perductum Noſter perhibet, quia putabat, doctrinam de paucitate ſalvandorum divino amori eſſe contrariam, & homines ad deſperationem vehementer adigere. Eleganter vero reſpondet Auctor, nimium hoc probare Curionis argumentum, cum deſperationi etiam eſſet relictus locus, ſi vel pauciſſimi homines damnarentur. 56.
Falſo deinde adverſarios ſuos accuſare Curionem oſtendit Noſter, putantem, eos non niſi ejusmodi homines coeleſti civitati adſcribere, qui ad ſummum in virtutibus exercendis 57.
faſtigium pervenerint. Quæ vero ſententia quam longe a tabulis ſanctioribus recedat, & quam maxime abſit a doctrina noſtra, pluribus regerit Auctor. Denique breviter monetur, quam periculi damnique plena ſit Curionis ſententia, qui 59.
quidem in eo laudes mereatur ampliſſimas, quod alios ad certamen provocaverit, lubentiſſime manus victas ſe daturum pollicitus, ſi quid recti certique opponatur. Sed non licuit ipſi vivo tam felici eſſe. Excipit hanc commentatio ter- 62.
tia perbrevis de Nathanaele, a patriæ ſuæ contemtu vindicato, ad Joh. I, 47. Vulgata nimirum eſt opinio, Nathanaelem negaſſe, e finibus Galilææ, & oppidulo Nazarethano, frugis bonæ hominem prodire poſſe. Erat enim hæc ſententia Phariſæorum, tunc temporis tanto Galilææ contemtu flagrantium, ut plane fieri poſſe negarent, Meſſiam ibi vel naſci, vel educari poſſe. Hanc ut labem a Nathanaele abſtergat Noſter, verba græca non interrogative ſed poſitive atque conceſſive

 acci-

accipienda eſſe, docet. Concedit quidem Philippo glorianti, ſe cum Andrea & Petro inveniſſe, quem Moſes, & Prophetæ, prædixerint, Jeſum, Joſephi filium, Nazarethanum, Nathanael, ex urbe Nazareth aliquid poſſe boni atque excellentis provenire: tibi ergo, inquit, non repugnabo, vera poſſunt eſſe verba tua. Hanc hujus rei nobis exhibet Cl. Auctor ex Grammaticis fontibus hauſtam ſententiam, in qua confirmanda, tenui quidem re, non tamen tenuem ſibi ponendam eſſe operam præclare duxit, ac denuo literati orbis cives ſibi devinctos reddidit.

DECAS EPISTOLARUM QUAS SUB PRELO ſudantibus Reginaldi Poli S. R. E. Cardinalis Epiſtolis barum Editor & Illuſtrator in lucem emiſit.

In fol. Alph. 1 pl. 16. cum Tab. æn. I.

Auctor harum Epiſtolarum eſt *Angelus Quirinus* nuper S. R. E. Cardinalis Bibliothecarius. Iis præmiſſa eſt præfatio ad *Mazochium* V. C. in qua eum primo hortatur, ut *Wachteri* noſtri V. C. etymologiam nominis *Corcyrae*, e Scythico fonte ductam, refellat, (de qua Emin. Cardinalis ita loquitur, ut appareat, eam ipſi monſtroſam videri,) eamque orientalibus aſſerat: deinde primordia Corcyræ, atque adeo ſe defendit contra eundem *Wachterum*, qui in Archæologia numaria mirari ſe ſcripſit, qui factum ſit, ut, quo loco de numis Corcyræorum egit, hortos Alcinoi in iis non agnoverit, nec animadverterit, eos areolis illis quadratis indicari, quæ in nummis Corcyræorum conſpiciuntur. Defenſione autem utitur hac, ut dicat, ſe numorum eorum & areolarum diſertam mentionem operis illius p. 161 feciſſe, remque ex ſe perſpicuam exiſtimaviſſe. Sed ipſarum Epiſtolarum, quæ hoc Volumen proprie conficiunt, argumenta breviter commemorabimus. Prima igitur eſt ad Pontif. Bened. XIV. in qua ei narrat & demonſtrat, Converſionem San-Maurinorum in melius, reditum eorum ad bonam frugem, ſeu, qui jam contigit, ſeu, qui brevi ſecuturus ſperatur, revocatos a perverſa do-

ctrina

ctrina ſodales, reſtitutam denique congregationi illi tranquillitatem. Dicet aliquis: quidnam peccarunt boni Maurini, & quæ in ipſis pravitas fuit? Exemplum pravitatis hoc eſto. Montfauconius ſcripſerat: *ſunt, qui putent, Platonem hic de Trinitate loqui, & Patrem atque Filium commemorare, illamque diſciplinam hauſiſſe e Phoenicibus, vel ex Judaeis. At praeterquam, quod non certum eſt, Iudaeos tunc temporis Trinitatem agnoviſſe, non ita facile eſt, in tam perplexa verborum ſerie, quid Plato in mente habuerit, intelligere. H. Stephanus* (Serranus potius) *certe, qui Trinitatem perſonarum admittebat, illorum opinionem explodit. Nos vero aliis rem excutiendam mittimus.* Hic multa crimina commiſſa ſunt, ſi credimus Cardinali. Primo frigide Patrum conſenſus exprimitur his verbis: *ſunt, qui putent:* Deinde Patribus opponitur *Serranus* Calvinianus: denique res aliis excutienda relinquitur; ſed ea omnia a Maurinis diligenter cum ceteris talibus excuſata ſunt: Conſtitutio *Unigenitus* probata. Hic eſt Maurinonum ad glandes reditus. Iſta non abſurdum erat ſcribi ad eum prolixius, qui de Canoniſatione tam grande opus ſcripſit. Altera Epiſtola 16 plagularum eſt *ad Sodales Acad. Pariſ. Inſcriptionum & politiorum literarum:* in qua iis breviter gratias agit, quod ſe in numerum ſuum cooptarint: dein de ſua in Francia commoratione & peregrinatione, amicis ſtudiis multa refert ſodalibus, immiſtis etiam literis, a Renaudotio, Turelio, aliiſque ad ſe ſcriptis. Tertia ſcripta ad *Renatum l'Aneau*, Superiorem Generalem Congreg. S. Mauri, continet eruditam de hymnis quadrageſimalibus Græcorum eorumque Auctoribus, commentationem, in cujus præfatione & concluſione acriter invehitur in *Urb. Godofr. Siberum*, Profeſſorem nuper & Theologum Lipſienſem, quod Allatium, & Orthodoxiam ſcilicet Eccleſiæ Rom. & Græcæ carpſiſſet. Quod autem ad ejus opus *de Melodis Graecorum* attinet, quod ille quondam promiſit, nec edidit: ſatis apud nos conſtat, relictum eſſe a beato Viro Opus de Melodis Græcis & latinis copioſum, cui nihil niſi ultima lima, ut ceteris multis ejus operibus, deſit. Nempe, rebus ſacris tractandis quotidie, intellexit ille maturiori ætate, tale opus non

Digitized by Google

minus paucos lectores, quam Epiſtolam hanc Quirinianam, habiturum, utilitatis autem tam parum, ut melius ſit premere. In quo tamen fortaſſe erravit. Nam multum multis proderit aliquando, a Cardinale *Quirino* didiciſſe, qui hymni a barbaris homuncionibus dicantur *Contacia*, *Cathiſmata*, *Exapoſtillaria*, & alia ejus generis nomina, quæ elegantem hominem non ſecus ac Centauri, Gorgones, & Harpyæ terrent, ut cum Eminent. Card. loquamur. Quarta Epiſtola ad *Freretum*, Academiæ Inſcr. ſodalem, exponit ſententias Doctorum quorundam, nempe *Mazochii*, *Oliverii*, *Boſii*, *Reimari*, de Diptycho Quiriniano. Mentio etiam injicitur *Leichiani* opuſculi de ea re. Quod autem addit Em. Cardinalis, eam ſententiam eſſe non unius *Leichii*, ſed doctorum Virorum, quotquot in publica Lipſienſis Urbis Bibliotheca convenire in more habeant, cauſa diſſerendi de rebus literariis: id quale ſit, nemo hic intelligit. Unius *Leichii* eſt ſententia, qualiscunque ea ſit, neque nos conventus doctorum Virorum in bibliotheca, aut Academica aut Senatoria, fieri ſcimus. Adoleſcentuli eo ire ſolent, ut libros petant, inſpiciant, certis horis utantur: nihil amplius, nulla Academia, quam epiſtola quinta p. 10 vocat, ibi coit. Epiſtola *Quinta* eſt ad *Boſium*, de variis Inſtitutis ſuis, literariis inprimis, ut edendi Ephremi, & Poli Epiſtolarum. *Sexta* eſt *ad Renatum l'Aneau*, in qua poſt excuſationem ſtudii ſui in ſcribendo, hortatur, ut Maurini Monachi aciem inſtruant ad Diatriben defendendam, quam præmittere T. I. Epiſtolarum *Poli* in animo habebat, in qua oſtendere velit, *Burnetium*, in Hiſtoria Reformationis Anglicanæ, de *Polo* omnia perperam tradidiſſe, eoque ipſo omnem ejus operis fidem labefactare: cujus Diatribes etiam Synopſis hac epiſtola proponitur. *Septima* ad *Benagliam* habet defenſionem *Ludovici Barbi*, Congregationis S. Juſtinæ Auctoris, contra *Poggium*, qui eum acerrime perſtrinxit in Libro de *Hypocritis*, quem *I. A. Fabricius*, & *Niceronius*, negant editum eſſe. Sed Em. Cardinalis in manibus habuit ejus exemplum, editum *Lugduni* ap. *Aniſſonios* a. 1679, ex quo etiam didicit, recuſum eſſe ibidem in *Faſciculo rerum expetendarum*. Defenſio autem illa ducta eſt

fere

fere ex Epiſtolis *Poli.* In *Octava* nihil eſt præter invitationem *Marcolini Comitis* ægrotantis, ad regionem Benaci lacus, in dioeceſi Brixiana. *Nona* eſt ad *Benagliam* de *Nicolai Albergati* Cardinalis quondam laudibus &c. *Decima* iterum ad *Marcolinum* perſcripta eſt, varii, ſed minuti argumenti, de quo dicere nil attinet.

APOLOGISMORUM MEDIOLANENSIUM VOlumen Primum, continens duas Diſſertationes 1) de Origine Apoſtolica Eccleſiæ Mediolanenſis, a S. Barnaba Apoſtolo deducta; 2) de Anathemate S. Ambroſii contra Gallos. Auctore NICOLAO SORMANO Oblato, Ambroſianæ Bibliothecæ, Collegiique Doctore.

Mediolani, 1740, 4. 1 Alph. 9 pl. Ex Typographia Petri Franciſci Malateſtæ. Superiorum permiſſu.

Eminentiſſimo Principi, *Carolo Cajetano a Stampa,* Archiepiſcopo Mediolanenſi, purpurato ſedis Romanæ Patri, complexum Diſſertationis utriusque conſecravit Cel. Auctor. Ab Archiepiſcopatu Mediolanenſi haud alienum eſt docere, quis eum condiderit primus, qui ei primus præſederit. Si numerum eorum ineas, qui Barnabæ id principatus deferunt, teſtes habebis centum, negotio uſus facillimo, licet ſæculo IV poſteriores. In Diſſertatione poſteriori conciliatur liturgia Ambroſiana cum hiſtoria, & a maledicto vindicatur. Elaboravit præter haſce Diſſertationes, meritis ipſius omnino reſpondentes, duo Volumina, diſputationibus generis varii conferta. Uni præfixit indicem hunc, *Ambroſiana Hierarchia multis partibus illuſtrata.* Altero in *origines ac progreſſus Cleri Ambroſiani* inquiritur. Configuntur ibi paſſim, intra quæſtiones undeviginti, eorum opiniones, qui antiquas Patrum traditiones laceſſunt. Quod in haſce dapes nondum incidimus, vicem dolemus noſtram. Diſſertatio prior, quæ oculos paſcit noſtros, ad *Bacchini*, Viri Illuſtris, ſententiam refellendam pertinet. Bacchinus Abbas, Libro *de Eccl. Hierarch. Part. II. n. 9.* ſubdubitaverat, an primi

iſti quatuor, qui traduntur Mediolanenſium fuiſſe Epiſcopi,
Barnabas, Anathalo, Cajus, & Caſtritianus, in albo Epiſcopo-
rum illorum poſſint jure relinqui ac vindicari. Tillemontius
idem in *Hiſt. Eccl. Mem.* ſenſit, ne quid de Spelta & Bellada
moneamus. Bacchino viſum fuit ad *Acta SS. Franciſci &*
Jovitae, nec non *SS. Syri & Juventii,* provocare. Acta
Syri referunt, ex eccleſia Ticinenſi, matre, ortam fuiſſe Me-
diolanenſem. In chartis membraniſque vetuſtis ac recentibus,
admodum verſatus fuit Auctor. Ex penuario iſthoc promit
Pag. 30. codicem, manu ſcriptum a quodam Anonymo Vercellenſi,
quo illa Syri perimitur exſtinguiturque commemoratio. Ex
operibus S. Ambroſii præterea, nonnullæ Bacchini ingenioſæ
diluuntur rationes. Requiſiverat a Mediolanenſibus Abbas,
antiquiores ſæculo octavo tabulas, quibus Barnabas Apoſto-
52. lus extra dubium collocari, ac principatum Epiſcoporum Me-
diolanenſium tueri poſſit. Progreditur vero ultra Bacchini
71. vota Noſter, ac pro cauſa ſua ex ſæculo V ſcriptorem pro-
ducit græcum. Is eſt Alexander, Monachus Cyprienſis,
quem ex bibliotheca Vaticana græcum latine loqui juſſit
Franciſcus Zenus, ac edidit Papebrochius in *Actis Sanctorum*
ad XI Junii p. 453. Ibi dilucide traditur Barnabas, *ad urbem*
Romam urbem omnium maximam perveniſſe. Ita profectio-
nem Barnabæ Italicam, eamque evangelii diffundendi cauſa
ſuſceptam, in aprico poſuit Auctor. Scripſit enim ſua Ale-
xander, ut in præfatione docet, ex ſcriptis vetuſtis, eiſque ad
ſæculum, ni primum, certe ſecundum, referendis. Arceſſit
79. Noſter teſtes alios, Lucium Flavium Dextrum, Dorotheum,
Hippolytum, Clementem Romanum, ſubleſtæ ac temeratæ
fidei Scriptores. Primum negat adverſus Baronium, ex *Re-*
cognitionum Clementinarum coenoſo gurgite, Dorotheum bi-
biſſe illum larvatum, cujus exſtat *de vita & morte Propheta-*
rum Synopſis Tom. III. Bibliothecæ Patrum. Auctorem certe
hujus Synopſeos ſæculo fere quinto fuiſſe ſupparem, Guiliel-
mus Cave, & L. A. Muratorius, docuere. En hujus Dorothei
verba: *Barnabas, cum Paulo verbi Dei miniſter conſtitutus,*
primus Romae Chriſtum depraedicavit, poſtea Mediolanenſis
Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopus factus eſt. Scripſit Clemens Romanus *Periodos*, ſeu *Itinera* S. Petri, nec non *Libros Recognitionum*, ſi audias Epiphanium & Ruffinum. Epiphanius dolet, *Periodos* ab Ebionitis Sec. II adulteratas auctasque. Ruffinus, Recognitionum Libros ab Eunomio hæreſiarcha, Sæculo III. exeunte, eſſe conſpurcatos memoravit. At cur hæretici in hiſtorica narratione Clementis mutarint quicquam? Mutationes vero, & adulterandi conſilia, ſpectant ad diſputationes, dogmatibus proprias. Ita Papebrochius in *Actis Sanctorum* ad XI Junii diem p. 426 ſtatuit. Ita Noſter exiſtimavit æque. Euſebius eos libros Clementi tribuit, faſſus tamen, ab hæreticis eſſe corruptos, H. E. III, 38. Auctor Recognitionum Clementinarum jam vixit Sæculo II. Nam Origenes locum inde produxit *Tract. XXXV. in Matthaeum*, qui indidem legitur L. II. n. 38. unde videtur intelligi, Barnabæ iter Romam, & inde ad Inſubres ſuſceptum, haud repelli poſſe halitu levi. Id autem vero diſſimile eſt, iter illud in ætatem morte Jeſu priorem incidiſſe. Alexander itaque Monachus tradidit, iter Barnabæ Italicum incidiſſe in tempus, quo, Antiochena legatione functus, triennium exegerit, antequam Petrum reviſeret Hieroſolymis. Tres tamen ſcriptores, vetuſti ſatis, tradiderunt, Barnabam veniſſe Romam, ac in Italiam. Id Noſtro ſufficere videtur. Multæ enim res geſtæ vere evenerunt, quarum momenta externa apud ſcriptores haud concordant. Adventum Barnabæ in Italiam Noſter adfigit anno aeræ vulgaris chriſtianæ 51, quo Synodus Hieroſolymitana fuerit celebrata. Concelebrant Mediolanenſes XII Martii memoriam ingreſſus Barnabæ in urbem Mediolani. Supereſt ibi *fons S. Barnabae.* Monent alii, mentionem Barnabæ haud fieri in antiquioribus eccleſiæ Mediolanenſis Miſſalibus, Brevjariis, Kalendariis, & libris liturgicis. At nec in aliis urbibus, quas evangelio illuſtravit Barnabas, memoria ejus ante Seculum VIII fuit culta. Curſum equeſtrem quotannis celebratum fuiſſe in S. Barnabæ feſto, publice, intra Florentiam, intelligitur ex Libro *Communitatis* Florentiæ. Eccleſiam Mediolanenſem, ac peculiarem hujus liturgiam, a græcis orientalibusve

Pag. 82. 84. 89. 96.

libusve

libusve parentibus, Barnaba & Anathalone, ortam eſſe, con-
Pag. 101. tendit Auctor. Joſephus Vicecomes haud diſſentit, ratus,
jam ante Ambroſium, rationes rei ſacræ peragendæ, Medio-
lani tritas, a Romana liturgia diſcrepaſſe. Rituum illam di-
verſitatem jam ſignificavit Auguſtinus *ep.* 86. Unde pateſcit,
Mediolanenſes, a diſcipulo Petri, ad doctrinam Jeſu amplexan-
dam, haud fuiſſe adductos, ſi liturgiam Petrus præſcripſit Chri-
ſtianis Romæ. In baſilica Philippi adſervatum traditur S.
Barnabæ caput, cum cineribus ſive corporis, ſive rogi, ex cujus
flammis illæſum dicitur corpus evaſiſſe. De tumulo, quo
hæc cuſtodiuntur, multa adfert Noſter, incertus de eo modo,
108. quo id Salaminia Mediolanum fuerit e Cypro translatum.
Adjecit Auctor tractationi appendicem, docturus lectores iter
114. Pauli Apoſtoli Mediolanenſe evangelicum, quo origo eccleſiæ
Mediolanenſis apoſtolica confirmetur. Progrediendum nobis
eſt ad *Apologiſmum* alterum, qui complectitur *Diſſertationem ſu-
per Anathemate ſancti Ambroſii contra Gallos,* qua Ambroſiana
Liturgia cum hiſtoria conciliatur, & a vano maledicto Fran-
cia ac Germania vindicantur. En epitomen. Tres eodem
anno 1339, juſſu Ludovici Bavari, in Italiæ perniciem conſur-
rexerant duces bellici, *Ludovicus* Inſuber, *Canis Scala* Vero-
nenſium tyrannus, ac gigas *Malherba,* Helvetiorum quondam
ductor. Eorum claſſico exciti ad latrocinandum per Italiam
confluxere ſceleſtiſſimi quique, ex Gallia ciſalpina atque Helve-
tiis, qui quondam pars erant Galliæ Belgicæ. Quaqua inceſ-
ſit agmen militare, furor arma in obvios quoſque accendit.
Agrum Mediolanenſem mira clades adflixit. Exercitus ad ur-
bem Mediolanum funditus evertendum, junctis ad Oronam
amnem copiis, properarunt. Atrox pugna haud procul Pa-
rabiago conſeritur inde ex antelucana hora ad ſolis occaſum, &
ultra. Ceciderat animo fugeratque dux Mediolanenſium.
Adparuiſſe actutum dicitur ſignum equeſtre S. Ambroſii, cui
urbis tutela demandata, ac e coelo fulſiſſe, cujus flagello acies
hoſtilis obtrita repente conciderit. In monumentum victoriæ
ara fuit poſita, eique inſerta inſcriptio, docens, ibi *contra Gallos*
fuiſſe pugnatum. Inde in libros liturgicos illatæ fuerunt hor-
rendæ

Digitized by Google

rendæ, diriſque plenæ, contra Gallos cantiones, quibus Galli, nempe illi adgreſſores, adpellati ſunt *Italiae peſtis*, immanibusque obruti maledictis. Flagrum inde Ambroſii imaginibus adpingi coeptum, quo ipſe tunc viſus e coelo ſit inſectari Gallos. Procax id dicterium in Gallos repetitur hodieque. Scriptores Seculi XIV Germanos fuiſſe, qui Mediolano fuerint graves, tradunt. Explicat Ambroſianæ liturgiæ illud momentum, Auctor, & Gallos inſectationi illi ſubducit.

PRAECLARISSIMI VIRI, BARTHOLOMAEI Euſtachii, Piceni, Anatomicæ originales tabulæ, quas in Medicæ & anatomicæ rei commodum imprimi curavit CAIETANUS PETRIOLUS, Romanus, Sardiniae Regis Chirurgus.

Romæ 1741. Ex Typographia Joannis Zempel, prope montem Jordanum. Fol. pl. 3. Tabulæ aeri inciſæ 47.

Bartholomæi Euſtachii tabulæ anatomicæ, in Schola Raphaelis Urbinatis elaboratæ, diu in Familia Rubeorum latuerunt, & tandem a Clemente XI. ſummo Pontifice inventæ, a Cel. Lanciſio 1713 editæ fuerunt, nunc ab Eminentiſſimo Cardinali Caraffa emtæ, & Cel. Petriolo donatæ, iterum in lucem prodeunt. Dedit vero primo explicationem Tabularum octo minorum, quæ ab Euſtachio ipſo elaborata fuit; poſtea addidit tabulas reliquas majores, & novo titulo interpoſito explicationes addidit:

RIFLESSIONI ANATOMICHE SULLE NOTE DI Monſigniore Gio: Maria Lanciſi &c.

h. e.

ADVERSARIA ANATOMICA AD EXPLICATIONES Jo. Mariæ Lanciſi, tabularum Cel. Bartholomæi Euſtachii, additis nonnullis in his ipſis explicationibus omiſſis, per CAJETANUM PETRIOLI, Romanum, Regis Sardiniæ Chirurgum, & inter Arcades Eraſiſtratum Coum, cum vita Euſtachii, a nullo adhuc edita.

Digitized by Google

Romæ 1740. ex Typographia Joannis Zempel prope montem Jordanum. Fol. 1 Alph. 12 pl.

Præmittitur vita Euſtachii a Bernhardo Gentili publicata, quam brevibus exhibituri ſumus. Dubius eſt locus natalis Euſtachii noſtri, alii enim in arce ſancti Severini, alii Urbini natum fuiſſe crediderunt, ſed Auctor civitatem ſancti Severini Septempedanum vocatam, in Anconenſi Marchionatu ſitam, patriam ejusdem fuiſſe aſſeruit, ubi ſub initium Seculi XVI. natus fuit. Pater ejus Marianus, in bonarum literarum & Philoſophiæ ſtudio verſatus, & noſtrum ad humaniora ſtudia tractanda excitavit, in quibus ita ſe exhibuit, ut Verſionem Eroziani, græci ſcriptoris, publice exhiberet, quæ 1566. Venetiis, & paulo poſt aliis in locis impreſſa fuit. Ipſe vero in arte ſalutari ita ſe exercuit, ut 1539. Phyſicus urbis patriæ denominaretur. Non diu vero huic officio præfuit, nam Dux Urbinenſis Guido Baldus, Promotor ſtudiorum ſui ævi maximus, eum avocavit, & Titulo medici ſui & Status Urbinenſis ornavit. Hic vero non tantum eruditionis ſuæ ſpecimina edidit, ſed & plures alias ſcientias acquiſivit. Mathematica didicit, & linguam Ebraicam æque ac Arabicam exercuit, ita ut Amatus Luſitanus eum præ reliquis aptum judicaret, qui verſionem Avicennæ ſuſciperet. Anno 1549. Julius frater ducis Urbinenſis, Cardinalis, Romam abire recuſavit, niſi frater Euſtachium noſtrum medicum & Socium ipſi concederet. In illuſtri hac urbe eo tempore Medici magni nominis floruerunt, cum quibus amicitiam iniit, & omnem operam in ſtudiis perficiendis collocavit. Inprimis vero Anatomiam, diſſectionibus cadaverum in noſocomiis romanis inſtitutis, inquirendo tum in ſtructuram corporis, tum in cauſis morborum egregie excoluit; qua de cauſa non tantum Medicis primariis urbis Romæ annumeratus, ſed & Medicus ordinarius Caroli Borromæi, Nepotis ſummi Pontificis Pii IV. conſtitutus fuit. Ob inſignes igitur in Anatomia perficienda præſtitos labores, de quibus, præter opuſcula ab eo edita, hæ potiſſimum tabulæ anatomicæ loquuntur, fama ejus ita quidem aucta fuit, ut non tantum Protomedicus Romanus, ſed

ſed etiam Profeſſor Anatomiæ Publicus declararetur. Aſt eo ipſo, non laudanda æmulatio, ſed maxime culpanda invidia plurimorum excitata fuit, qui ejus famæ maximas inſidias ſtruxerunt, & potiſſimum Patroni maximi Caroli Borromæi indignationem contra Euſtachium excitare voluerunt. Noſter vero modeſtia haud vulgari, & candore, omnes inſidias evitavit, Patronos ſuos ſemper benevolos expertus eſt, & in ſcriptis ſuis paſſim monuit, ſe veritatem unice ſequi, & errores lubenter agnoſcere velle, ſi ipſi contrarium ex ſtructura corporis indicari poſſit. Merita etiam ejus in rem Anatomicam adeo illuſtria ſunt, ut poſt ſeculum & ultra, a celeberrimis Anatomicis agnoſcantur, & publice deprædicentur. Euſtachius vero noſter ultimis vitæ annis maximis articulorum doloribus excruciabatur, & ideo in perficiendis ſcriptis Anatomen illuſtrantibus impediebatur; ætate tamen jam confectus iter in Forum Sempronii ſuſcepit, ut Julii Ruverii, Cardinalis, morbo gravi affecti curam haberet; in quo itinere, anno circiter 1574. diem obiit ſupremum, qua de cauſa locus, ubi mortuus & ſepultus fuit, incertus eſt. Quanti vero hæ tabulæ anatomicæ, quarum novam editionem nunc exhibemus, æſtimentur, multa celeberrimorum auctorum teſtimonia, quæ hic fuſius excitantur, oſtendunt. Nec opus eſt, nos earum præſtantiam novis extollere laudibus, cum 1715. Menſe Auguſto, in his noſtris Actis ea potiſſimum expoſita ſint, quæ vel Euſtachius primum invenit, vel delineavit, licet alii poſt eum gloriam inventionis ſibi ſumſerint. Et dolendum omnino eſt, quod præter alia forte quæ Euſtachius ſcripſit opuſcula, liber de diſſectionibus & controverſiis anatomicis, qui Commentarii loco hiſce tabulis addi potuiſſet, vel adhuc in obſcuro lateat, vel omnino interierit. Tabulæ, quæ hic exhibentur, cum octo tabulis minoribus de renibus ab Euſtachio jam editis, ut in Editione Lanciſii ſunt quadraginta ſeptem. Patet igitur, reliquas tabulas majores ſeptem, quæ deficiunt, cum in indice quodam quinquaginta quatuor numerentur, nondum detectas eſſe. Vita Euſtachii Italico idiomate præmiſſa, explicationes ex Lanciſii editione, latino, ut

ſcriptæ ſunt, idiomate, adduntur. Poſtea & adverſaria, & omiſſa ſeparatim Italico idiomate ſubjunguntur. Quo vero lectores cognoſcant, qualia Cl. Petrioli ſint monita, ſpecimen adverſariorum ad Tabulam nonam exhibebimus. §. 7. Lanciſius nodum funiculi umbilicalis, communi membrana obductum indicat, Petriolus vero monet, funiculum umbilicalem membrana communi ſeu peritonæo ſeparato exprimi, ſed Lanciſius nodum non ipſum funiculum umbilicalem adduxit, & umbilicalia vaſa in abdomine conſpicienda addit, funiculus ipſe in homine adulto non oſtenditur. §. 8. Petriolus monet, Lanciſium minime dicere poſſe, ligamentum anterius hepatis, diaphragmati ſub cartilagine enſiformi annecti, cum cartilago profundior ſit diaphragmate. Forte Lanciſius ſitum ſupinum Anatomicis adeo notum in animo habuit, qui tamen iconi non reſpondet. §. 9. Segmentum diaphragmatis, quod Lanciſius indicat, non invenit Petriolus. Duas lineas in medio inter pulmones, quas Lanciſius nervos dixit, Petriolus membranas mediaſtini appellavit. §. 10. Spatium album in pectore non ſatis intelligere potuit Lanciſius, Petriolus tamen monet, eſſe mediaſtinum deſcendens cum pericardio, qua in re quidem locum oſtendit, ubi hæc poſita ſunt, minime tamen adumbrationem partium conſpicimus, hinc ineptiſſime delineari pericardium Lanciſius jure aſſerit, Petriolus tamen delineatorem defendere annititur. §. 11. Lanciſius bene monet, Cerebri ſuperficiem ſeparata dura matre conſpici, piam matrem vero præſentem eſſe; hanc tamen quoque ſeparatam eſſe aſſerit Petriolus; qua in re quoque ipſi aſſenſum præbere haud poſſumus, cum pia mater haud facile a ſubſtantia cerebri corticali ſeparetur, & ea ſeparata tractus vaſorum non conſpici non poteſt. §. 12. Petriolus obſervat, Lanciſium haud affirmare potuiſſe, frontem & occiput cranio remoto conſpici, ſed pars tamen in icone conſpicitur, licet totum non appareat. Ex his facile patet, quomodo Cl. Petriolus, in explicandis his tabulis verſetur; & cum ea, quæ a Lanciſio omiſſa fuerunt, eodem ferme modo ſupplicantur, non opus eſt, ut plura proferamus. Occurrunt paſſim accuratius indicata, &

anno-

Digitized by Google

annotata forte non prorſus contemnenda forent, niſi elegantiſſima Tabularum Euſtachianarum editio, ab Albino exhibita, magis commendanda foret.

INSTITUTIONS MILITAIRES DE VEGECE,
h. e.
INSTITUTIONES MILITARES VEGETII.

Amſterd. apud J. Wetſteinium, 1744. 8. pl. 13. præter figuram æneam maj.

Fuit jam ſub finem Seculi XVI. poeta & Jureconſultus Gallus eruditus, Petrus Delaudu d'Aygaliers, qui L. IIII. artis poeticæ Gallico ſermone conſcriptæ, Gallicas antiquorum ſcriptorum interpretationes relegatas cupiebat, ac ſi quid ipſe valuiſſet, flammis addicebat tantum non omnes. Nos quidem neque omnino laudandum, neque ex omni parte vituperandum illud enuntiatum arbitramur. Detrahunt omnino converſiones eruditarum linguarum ſtudio, cumulant etiam partim inutilium librorum acervos: præſertim ubi pluribus ejusdem auctoris admovetur manus, quarum in recentioribus tot nova etiam vitia miſcentur, quot antiqua tolluntur; vel non niſi linguæ paullulum conſulitur, cujus quidem correctio in ſe laudanda, non tanti tamen facienda, ut librum, rerum ergo legendum, penitus ideo antiquemus, inque illo facto, velut in muſtaceo lauream quæramus. Secus autem ſe res habet, ad converſiones primas, vel accuratiores, ſcriptorum non ſolis litteratis utilium ac neceſſariorum, quod adtinet. Atque hoc ipſo in genere vel præcipue verſari Vegetius nobis videtur. Hodie pariter miles ac architectus quidam militaris commodum inde haurire poterit, a quo iniquus foret, ſi quis poſceret, ut hujus ſolius cauſa Latinam addiſceret linguam; præſertim cum verba quædam non ad faciliora, ſeu lippis nota & tonſoribus, hic pertineant. Et hoc ſine dubio vir eruditus, cui Gallicam iſtam verſionem debemus, ſuo jure perpendit. Commendamus interpretationem contextus: de præfatione ac notis, ſpeciminis ergo, vel perpauca

ſimul adnotamus. Illa quidem duas complectitur partes. Altera conſiderat æque atque admiratur imperium illud antiquum Romanum, & hujus inter ipſas ſeditiones civiles, augeſcentem in dies ac magis firmatam potentiam. Eamdem ſi qui recentiores conſequi ſtudeant, legiones adhibeant Romanas, utque id fieri poſſit, artem eorum militarem ediſcant, ex ſententia noſtri, oportet. Juſtus Lipſius, Salmaſius, & alii, nonnihil hic tentarunt, ſed eruditionem modo & variam lectionem oſtentare ſtuduerunt. Nec deſunt, qui hiſtoricam modo relationem exhibuerunt, qualem forte de Ludovici XIIII. regno Marchio de Quincy. Hic autem requiritur opus cum judicio ſociatum, doctrinasque cum hiſtoria, fundamenta cum factis, conjungens. Juſto titulo in Romanis laudatum fuit, quod admodum dociles etiam ab hoſtibus, ſi quid melius inveniſſent, didicerint, eodemque rem militarem ſuam locupletarint. Clypeum a Sabinis acceperunt; legionem conjunctim, ac ſine intervallis pugnantem, ab Etruſcis, ut vulgo arbitrantur, didicerunt aperire, inque manipulos diſtinguere; Samnitibus magiſtris tela emendarunt, gladium Hiſpanis, arma equeſtria & exercitia Græcis debent. Neque vero tam exemplum, quam naturam rerum conſiderabant, unde & caſtrorum metationem, tacticam, diſciplinam militarem, cui ſemel adſueti erant, curioſiſſime ſemper tuebantur. Recentiores atque alii populi non ſequebantur ejusmodi laudabilem, vel ab hoſtibus diſcendi morem, ſuarum potius conſuetudinum tenaciſſimi. Expeditiones tamen cruciatæ nonnihil mutarunt. Morum fiebat communicatio, ita vero ut res militaris parum inde lucraretur. Proximo tempore incrementum ſcientiarum, in re quoque militari plurimum perfecit; nihilo minus, cum ſuperemus in quibusdam Romanos, in aliis multum ſumus inferiores. Neque electio, neque diſciplina, neque educatio, neque forma legionum Romanarum jam reperitur. Hæ ſi adfuiſſent, nihil tam facile Auſtriacam domum, cum potentiſſima eſſet, ab imperio generali detrudere potuiſſet; ut & quædam ſimul deſiderantur in cupiditate ac propoſito Ludovici illius XIIII. Sed properamus ad

alteram

alteram partem, ubi de quibusdam hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus judicium fertur. Melius noſter arbitratur actum fuiſſe, ſi Titus Livius, & Dionyſius Halicarnaſſenſis, æque milites & oratores, quemadmodum Thucydides & Xenophon, fuiſſent. Laudat contra Polybium, & Cæſarem, propter digreſſiones tam utiles, ac deſcriptiones quarumdam machinarum. Scriptores militares injuria temporum periere plerique, quique ſuperant, ſtrategemata pæne proponunt. Vegetii ſolum opus totam rem militarem ſpectat. Ipſe ſe modo in compendium redigere antiquiora præcepta profitetur: ſed majus opus a minore obſcuratum, injuriæ temporum ceſſit. Tanto nunc magis recentiore hoc ætas admirata fuit. Montecuculi, Turennii qui veſtigia legit, in deliciis habuit Vegetium: aliique maxime coluerunt, adlegarunt, commendarunt, de arte præſertim bellica ſcribentes. Quinque autem libris incluſit præcepta. Primo agit de conſcriptione copiarum, & exercitatione; ſecundo de legione, diverſis militum generibus, armis, functionibus; tertio de laboribus bellicis & tactica; quarto de obſidionibus ac defenſionibus; denique poſtremo de militia navali. Tantum cum argumentorum tantillo ſpatio includat, fieri non poteſt, quin interdum ſiccus ſit & obſcurus; quæ & alia vitia ingenue taxat noſter, emendaſſet etiam ſingularibus obſervationibus militaribus, niſi jam improviſis neſcio quibus incidentibus, aliud id ad tempus differre cogeretur. Interim alia quædam emendare ac novare ſtuduit. Ita e. g. CXXV. Vegetii capita minora ad XVII. majora revocavit, quintum librum a quarto divulſit, non ſine præviis antiquis codicibus, & quæ ſunt alia. Inter commentarios præcipue Stewechium conſuluit, immenſam propemodum eruditionem pandentem. Quodſi tamen notas his parvo numero ſubjunctas luſtremus, Stewechiani ſalis non adeo multum invenietur, cum pleræque nonniſi converſionem explicent ſtrictim, vindicent, atque excuſent. Ita e. g. Lib. I. in præfatione, vocabulum, eloquentia, per *les ſciences* expreſſit, συνεκδοχὴν partis pro toto ſubeſſe exiſtimans; c. 1. n. 7. gynæcea interpretatus eſt *profeſſions de femmes*; n. 8. & alibi verba

verba tranſpoſuit, ad ſenſum eo magis, vt arbitratur, vinciendum. L. II. c. I. n. 1. definitionem exercitus, ex Latina derivatione omiſit. Neque tamen alia plane deſunt obſervata, ſed minoris quæ vulgo momenti videntur, e. g. L. I. c. 2. n. 7. quis Claudius fuerit, exponit, ſcilicet Appius ille, qui Capuam cepit Hannibalis tempore, ut reſiſteret equitatui Campanorum. Ad L. II. c. 4. n. 5. narratur aliquid de ludis in circo, atque indicatur, quod ſub imperatoribus ibidem primariæ dignationis viri verſati, rhedariorumque munere functi ſint. Sub Nerone actores in quatuor ordines dividebantur, candidum, rubrum, cæruleum, viridem. Auratum ac purpureum adjunxit Domitianus. Uni præſertim aut alteri ejusmodi colorum, quaſi ad furorem vſque addictus populus erat. Inde & potiſſimum cæruleus ac viridis Conſtantinopoli celebrabatur, cujus proceres ac cives æmulabantur Romanos. Inde cum alteri magis faveret Juſtinianus, duæ potentes in imperio factiones ortæ ſunt. Atque hæ ſunt fere primariæ hujus commatis notæ.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VIII Sectio V.

MONUMENTA INEDITA RERUM GERMANIcarum, præcipue Cimbricarum & Megalopolenſium, quibus varia Antiquitatum, Hiſtoriarum, Legum, Juriumque Germaniæ, ſpeciatim Holſatiæ & Megapoleos, vicinarumque regionum argumenta illuſtrantur, ſupplentur, & ſtabiliuntur. E codicibus MStis, membranis, & chartis authenticis erui ſtuduit, notulasque adjecit, & præfatione inſtruxit ERN. JOACH. DE WESTPHALEN, Cæſar. Ruſſ. Ord. S. Alexand. & Ducalis Sleſvic. Holſat. Ordinis Eques, Cæſareæ Regiæque Celſitud. Magni Ducis Ruſſiæ, Ducis Sleſvici & Holſatiæ regnantis Cancellarius aulæ & Conſil. intim. Conſiſtorii ſupremi Ecclеſ. & militaris Præſes, Academ. Kilonienſis Curator. Tomus IV.

Lipſiae, impenſis Jo. Chriſt. Martini, 1745. in fol. maj. Alphab. 18. plag. 10. cum Tabb. æri inciſ. 48.

Cum ante hæc tria, & quod excurrit, luſtra, priores hujus præſtantiſſimi operis Tomi, quorum Primus A. 1739. Secundus A. 1740. Tertius A. 1743. lucem adſpexit, prodire coepiſſent, in his quidem Eruditorum Actis haud prætermiſſum eſt, de iisdem, pro

Digitized by Google

ordine & loco, quem ex ſua præſtantia omnino merebantur, tum temporis judicium. Quartum & ultimum ejus laboris volumen, cum quo & integrum atque præclarum hoc opus conquieſcit, indictum quidem nobis hucusque manſit: haud ſane ea ex cauſa, quod ultimi hujus minor ac præcedentium reliquorum dignitas & præſtantia fuerit; ſed quod novorum & recens vulgatorum laborum recenſio, quorum omnino mentio & notitia inferenda fuit, volumen iſtud, juſto & priori, qui illi dudum debebatur, loco excluſerit. Quicquid autem hujus ſit, quod hucuſque remoram injecit, quominus noſtris in recenſendo partibus defuncti ſimus, jam nunc, ubi defectum hunc animadvertere datum eſt, id operam dabimus, ut ſarciamus eundem, ne Lectores noſtri in Supplementis, quæ eum in finem adornari coeperunt, ut quæ in ipſis Actis ſuis locis vel omiſſa vel neglecta ſunt, in iisdem locum inveniant, labore noſtro haud diutius careant, qui ad ſitim forte eorundem reſtinguendam omnino facere poſſit.

In ipſo autem recenſionis noſtræ inſtituto, licet, ut modo dictum, paulo ſerius ad illud demum accedamus, opera eo minus perfunctoria nobis agendum eſſe exiſtimamus, quod Illuſtriſſ. Editoris, quam in evulgando concinnandoque ultimo hoc volumine poſuit, induſtria minime defecit, ſed vel omnem in eo conatum adhibuiſſe videtur, ut non modo poſtremus hicce monumentorum Tomus prioribus editis per omnia ſimilis evaderet, ſed ut dignitatem etiam & præſtantiam eorundem quodammodo ſuperaret, & aliquot minimum paraſangis poſt ſe relinqueret. Hoc ipſum namque teſtatur tum Voluminis hujus forma exterior & habitus, ubi & moles ejus aliquot alphabetis, ut vocant, & tabularum aeri inciſarum multitudo ac numerus, vel aliquot decadibus major ac in prioribus, conſpicitur; tum vel maxime interior operis conſtitutio idem comprobabit: ubi mox argumenta, in prolixiori huic Volumini ab Illuſtriſſ. Editore præmiſſa præfatione, pertractata, hinc ipſa, quæ in eodem occurrunt & exhibentur, monumenta anecdota, tum quæ iisdem ſubje-

ſubjectæ ſunt notæ & animadverſiones uberiores, ac denique ipſe Index etiam, qui hocce volumen claudit, & ad priora ſimul relatus eſt, nobis uberrimam differendi copiam ſuppeditare poſſunt, ut de ſingulis hiſce aliquid in commentarios noſtros referatur, ſi quidem in hac cauſa partibus noſtris rite perfungi velimus.

Ad præfationem igitur Illuſtriſſ. Editoris, ut primo omnium loco animum advertamus, vel maxime neceſſe eſt, ſiquidem illa ita comparata eſt, ut vel ipſa peculiarem librum conficiat, & per integra fere tria alphabeta, ad quorum ſeriem typothetæ operas ſuas dinumerare ſolent, decurrat. Licet autem quinque duntaxat ſumma ſint capita, quæ Vir ſummus & Illuſtriſſ. prout ipſe in calce hujus præfaminis horum indicium aliquod facit, hoc loco ſibi pertractanda ſumſit: hæc tamen adeo foecunda fuerunt, ut de pluribus, cum his cognatis & amico nexu junctis argumentis, uberiorem eidem differendi copiam & materiam præbuerint. Primo loco occurrit commentatio *de praeſtationibus Martinalibus Lubecenſium & Majalibus Hamburgenſium*, ab utrisque ad aulas Ducum Cimbricorum & Megapolenſium deferri ſolitis. Poſtquam de his, quicquid obſervare quotannis moris eſt, e fide dignis & luculentioribus, quæ de iisdem teſtantur, documentis, primum Illuſtriſſ. Scriptor retulit, atque hinc utriusque ſollennitatis formam, æneis tabulis exhibitam, propoſuit, mox demum ad originem ejus obſervantiæ diligentius exquirendam devolvitur. Quum autem eandem in nullo hujus rei ſervato documento, aut ad integram fidem faciendam teſtimonio, reperire hucusque datum ſit; locus igitur nonniſi conjecturis relinquatur: harum quidem integram dodecadem ab ingenioſiſſimo Auctore in medium allatam deprehendimus. Occurrunt autem in tanto conjecturarum numero, quarum altera alteram excipit, & ſuis quælibet ex genuinis fontibus petitis præſidiis & rationibus corroboratur, tot tantaque jurium & conſuetudinum momenta, ut ſingulorum eorundem recenſum inire, pro noſtri quidem inſtituti ratione, nobis non liceat.

Illud commemoraſſe ſufficiet, nihil in prolixiori hac tractatione, quæ ultra dimidiam partem commentationis hujus præliminaris implet, omiſſum eſſe, quod ad ſtatum juris gentium, vel univerſalis vel particularis, publici vel privati, quomodocunque pertinet, quod nexum Principum & Imperantium tum inter ſe, tum cum ſuis civibus, ſubditis, & vicinis, reſpicit, & quicquid hujus ſit, ſive ad ſpeciem ſuperioritatis territorialis, ſive ad nexum feudalem & clientelarem, vel alium quemcunque modum, quo hominum inter ſe jura mutua vel continentur vel diriguntur, referri poteſt. In his namque ſingulis, ubi, conſultis & adductis genuinis antiquitatis & hiſtoriarum fontibus, Illuſtriſſ. auctori haud levia veſtigia reperire datum eſt, in quibus hujusmodi quidam nexus, prædictis civitatibus, cum vicinis Cimbricis & Mecklenburgicis laudatis Principibus interceſſerit, dici non poteſt, in quem amplum & late patentem campum ſimul delatus ſit, in quo ſuam in omni juris & hiſtoriarum apparatu ſcientiam eximiam comprobare potuit. Non tantum enim e domeſticis documentis & præſidiis, hujusmodi diverſiſſima jurium, conſuetudinum, variorumque circa easdem rituum & obſervantiarum ſpecimina & exempla petita ſunt; ſed & ſi quid hujus generis in ſcientia legitima totius Germaniæ, quin & alibi gentium & populorum fuit, quod cum iisdem comparari, atque ad eadem vel explicanda, vel illuſtranda, modo quocunque facere potuit, haud adeo prætermiſſum eſt, ut non ex ditiſſima omnium penu, qua Illuſtr. Scriptor in hanc rem inſtructus fuit, allatum ſit. Teſtamur argumenta, quæ præcipuum in hac cauſa momentum trahere nobis quidem videntur, de jure ſuperioritatis territorialis, de nexu clientelari & feudali, de expeditionibus militaribus, de præſtatione hoſpitationum & orbedarum, & quæ de variis notionibus, generibus, quin & ſymbolis recognitionum horum jurium, in inſtituta prolixiori eorundem tractatione, in medium prolata & curatius excuſſa ſunt: in quibus ſæpe, qui jurisprudentiæ amoenioris ſtudio & amore ducuntur, & ultra trita & vulgaria Juſtiniani placita ſapiunt, ejusmodi dapes inve-

invenient, quæ eorum palato quam maxime arridebunt. Ne dicamus de iis, quæ in applicatione horum jurium ad ſtatum Lubecenſium & Hamburgenſium, a primis ſuis originibus in hunc uſque diem, ſubinde deducta ſunt. In his cum jurisprudentiæ litigioſæ quamplurima argumenta occurrant, & utramque faciant paginam; atque ad rationes Illuſtriſſimi Scriptoris id inprimis pertinuiſſe videatur, ut jura, quæ in iisdem verſantur, ſummorum Principum, curatius explicanda tuendaque ſibi ſumeret: ea tamen æquitate ſimul uſus eſt, ut adverſæ partis rationes & argumenta ſubinde adferret, & parili fide ob oculos poneret; adeo quidem, ut quæ in arduis hujusmodi cauſis ab omni tempore diſceptata, & vel Hamburgenſium intuitu nec in hunc uſque diem ſatis ad liquidum perducta ſunt, ex iis, quæ hic in utramque partem diſputantur, egregiam & majorem omnino lucem accipiant, quam rerum harum avidi lectores aliunde haurire poſſint: propterea quod, quæ in ſcriptis amoebæis utrinque dicta ſunt, & quorum in privatorum ſcriniis rarior copia eſt obvia, poſtquam eorundem ſubinde accuratior recenſus inſtitutus eſt, hic in compendium miſſa leguntur.

In tractatione hucuſque inſtituta, cujus ſumma quædam capita retulimus, cum mentio nonnunquam injecta ſit *inſignium Principalium Holſato-Cimbricorum & Mecklenburgenſium,* quorum ectypi in variis ſubinde locis ſint conſpicui: exinde occaſio ſubnata, & via velut parata eſt Illuſtriſſ. Editori, ut in hoc etiam argumentum paulo curatius inquireret. Fecit id primum in Cimbricis, dein vero etiam in Megapolenſibus; atque cum in illis urticæ folium, quod in terris Holſaticis admodum frequens eſt, & in his caput tauri ſive bubalinum dubiæ omnino ſint originis, opera primum non parum moleſta Auctori devoranda fuit, ut, quæ ſint aliorum diverſiſſimæ & parum ſæpe veriſimiles de ea re opinationes, undique congereret, & ſuum de iis judicium interponeret. In vera autem & genuina utriuſque hujus emblematis origine decernenda, cum haud ſit, quo rem extra omnem dubitationis aleam ponas, & ipſe Noſter etiam, in hoc capite, neque ſibi,

neque aliis forte ſatisfeciſſe videatur: in eo tamen labor ejusdem, in nobile hoc argumentum inſumtus, aliorum ante ſe longe ſuperat, quod ingens figurarum copia & farrago, quas magnis ſumtibus tabulis æneis pluribus inſculpi, iisdemque non modo hunc, ſed & jam priores præſtantiſſimi hujus operis Tomos, paſſim exornari curavit Noſter, nunc compareat, & ubique præſto ſit. In his namque figuris ubi delineationes inſignium Holſato-Mecklenburgenſium ſubjiciuntur, quemadmodum eadem in diverſis ordinibus, locis, & temporibus conſpicienda fuerunt, ab Auctore autem Noſtro picturarum, diplomatum, numiſmatum, & ſigillorum ex omni ævo adductorum fide, abunde ſatis munita ſunt: inde ſatis nobiſcum intelligent, qui heraldicæ & hiſtoricæ artis haud ignari ſunt, quantum incrementi hinc ſcientiæ huic acceſſerit, quoniam hac ratione & methodo, quicquid mutationum in ea parte factum eſt, omnium optime oſtendere & comprobare licebit. Tertium argumentum, quod Illuſtriſſ. Editor in præfatione hac ſibi pertractandum ſumſit, ad jus patrium Cimbro-Holſaticum pertinet. In medii ævi annalibus nonnunquam mentio occurrit *juris Hollici, ſive Hollerici;* ex eo autem quod dudum in deſuetudinem abiit, idem illud aliis adhuc nominibus inſigniri conſuevit a ſcriptoribus quibusdam recentioribus: quorum proinde variæ proſtant opiniones, quodnam juris genus ſub hujusmodi diverſis notionibus comprehenſum ſit? In iisdem igitur partim examinandis & in ordinem redigendis, partim etiam, quod ab omni veri ſpecie alieniſſimæ eſſent, rejiciendis, cum primum aliquam operam poſuit Noſter, mox ſuam in hac cauſa affert conjecturam, qua hocce juris genus, quod in Cimbriæ regionibus præcipue paludoſis olim obtinuit, de jure Hollandico interpretari mavult. Cum enim e Seculo potiſſimum XII habeantur documenta, numeroſæ Batavorum, Flamingorum, Friſiorum, aliorumque multitudinis, in terras haſce paluſtres, ad agros colendos, Slavosque exterminandos, evocatæ; cui, dum huc commigraverit, ut patriis ſuis moribus & inſtitutis viveret, omnino concedi debuit: ex eo ſane de origine

alieni

Digitized by Google

alieni juris in his regionibus conjectura ſit admodum probabilis, quam non parum confirmant tabulæ Ducis Sleſvicenſis & Comitis Holſatiæ Adolphi A. 1438. itemque Regis Daniæ Chriſtiani I. A. 1470. quæ de antiquato jure Hollico, & ſurrogato in ejus locum jure Holſatico, teſtantur. Hæc ſententia Viri Summi, quam hoc loco primum attulit, ex illo tempore jam aliis quoque ſe probavit; & meminimus, Viro Illuſtriſſ. & Conſultiſſ. *Frid. Detl. Car. a Cronhelm*; in Introd. Hiſt. ad Corp. Statut. Provincial. Holſat. Cap. IV. idem, ſed pluribus noviſque ſtabilitum rationibus, (*) placuiſſe.

Notitia Scriptorum & Monumentorum hoc volumine comprehenſorum *recenſio*, quam Illuſtriſſ. Editor quarto loco in præfatione tradere aggreditur, quod non ad ſingula refertur, paucioribus hac vice abſoluta eſt. Si quid in his occurrit, quod omnino ad rem etiam noſtram facere queat, de eo mox infra dicendi locus dabitur, ubi de ſingulis in ipſo volumine exhibitis monumentis exponemus, quod ad litterariam eorundem notitiam cum maxime pertinet; ut adeo id ipſum jam heic prætermittere liceat. Quintum & ultimum argumentum, *de Taurolatria orbis arctei, praecipue Cimbrico-Gothici, Vandalici, Norvegici, Saxonici, Friſici, & Slavici*, cui M. Thomæ Broderi Bircherodii Taurus Sacer, qui & integer hinc ipſi volumini ſub n. VII. ex autographo inſertus eſt, potiſſimum occaſionem dedit, majorem omnino noſtram h. l. attentionem & conſiderationem meretur. Ipſe namque Illuſtriſſ. Editor, integrum hoc doctrinæ

(*) Cum Viri hujus laborioſiſſimi, noviſſimo tempore, in Jurisprudentiam Holſaticam etiamnum vigentem, adeo magna & præclara eſſe cœperint merita, ut vel intra proximos quinque annos totidem ſat ſpiſſa in forma quadripartita volumina prodierint, in quibus tum conſtitutiones Regio-Holſaticas, tum ſtatuta harum terrarum provincialia, magna induſtria collecta, curatius a ſe ordinata, & in unum corpus redacta exhibuit; de hoc tam eximio opere & conatu, qui nec in his porro ſubſiſtet, cum nihil adhuc in his Erud. Actis dictum ſit, ut id propediem fiat, curabimus.

doctrinæ caput ſibi retractandum ſumſit, & ex ampliſſimo, quo inſtructus fuit, apparatu, tantam doctiſſimarum obſervationum farraginem attulit, ut hiſtoriam idololatriæ gentium borealium velut ex integro retexuiſſe, & omnium ſane ſcriptorum, qui in nobiliori hoc argumento ante ſe illuſtrando & exornando verſati ſunt, induſtriam longo poſt ſe intervallo reliquiſſe videatur. Hoc nimirum effeciſſe eundem haut difficulter aut ægre ſibi perſuadebit, quicunque tot & ultra centum aliquot icunculas, Deaſtrorum & cultus eorundem imagines referentes, quæ integris decem tabulis, æri elegantiſſime inſculptis, hic primum exhibentur, intuebitur. Hæ namque, vel ex ipſis monumentis antiquis ad vivum delineatæ, vel ad numiſmatum fidem expreſſæ, vel ex aliorum auctorum, tum rarius obviorum, tum caro nimis pretio venientium, qualia ſunt *Athan. Kircheri*, *Ulyſſ. Aldrovandi*, *Ol. Rudbeckii*, *Bernard. Piccarti* & *Montefalconii*, aliorumque voluminibus repetitæ, quantum ad clariorem oculo animoque ideam ingenerandam valeant, nemini facile obſcurum eſſe poterit. Quid porro de explicationibus, ad ſingulas has imagines allatis, ſtatuendum eſt? Non ſane aliorum duntaxat conjecturis & opinionibus in iisdem nititur Noſter, ſed poſt easdem adductas & expoſitas, mox ſuum fere non ubique interponit judicium, ubi modo ab aliis ſicubi aberratum eſt accurate oſtenditur, modo quid in veriori vel probabili magis ſententia tenendum ſit pronuntiatur: in qua utraque parte, ſi vel hiſtorica argumenta præſto fuerunt, vel ſi his deficientibus ad præſidia etymologica, quæ lingua gentis, a qua numen aliquod cultum eſt, obtulit, recurrendum fuit, ab utriſque ex æquo adeo eundem inſtructum reperire datur, ut nihil omnino videatur ei defuiſſe, quod ad cauſam hanc, ex genuinis ſuis fontibus eruendam & decidendam, liteſque etiam circa eandem obortas finiendas, quomodocunque facere poterat. Hactenus duntaxat de tractandi modo, quem Auctor ad argumentum hocce attulit, aliquid monitum eſt; jam ut de ipſa cauſa pertractata etiam afferamus, quantum ad ſummam rei pertinet, id primum dicendum venit, non eſſe

taurola-

Digitized by Google

taurolatriam tantum, licet ab ejus tractatione initium factum eſt, ſed & quodcunque numinum & deaſtrorum genus, quod populi ſeptentrionales, & eorundem vicini, ſacro quodam cultu & honore proſecuti ſunt, quorum hic ratio ſit habita. Sic etenim occurrunt Frejus, Jutrebochus, Tuiſco ſ. Teuto, Wodan ſ. Othinus, Thorus, Crodo, Prono, Radegaſtus, Suantevitus, Suantiboldus ſ. Suantibochus, Rugevithus, Frea item Hertha, Siva, & plura alia dudum eruditis celebrata idola; ſed proferuntur etiam Cerunnus, Hollerus, Nornerus, Heimdalurius, Krutzmannus, Niordus, Parcunus, Picollo, Protrimpus, Puſcetus, Zuttiberus, Perdogtus, Curchus, Porevithus, & quot non numina alia, quorum vix nomina nota ſunt; de quibus tamen ſingulis, non tantum imagines afferre, ſed & ſua loca adſignare, quin & cultus genus, quod illis tributum eſt, utplurimum Noſter explicatum dare potuit. Si porro vel intuitu figuræ, vel etiam cultus horum numinum ſeptentrionalium, cum aliarum gentium Diis ſive idolis convenientiam quandam animadvertere datum eſt, neque hanc operam detrectavit ingenioſiſſimus Auctor, quin potius hujusmodi comparationes frequenter inſtituit. Sic enim mox Hertha Cimbrorum, & Diana Epheſiorum, atque Cybele Syriaca, inter ſe conferuntur; idem fit cum Slota Baba Ruſſorum, & Iſide atque Oro Aegyptiorum, cum Pogada ſ. Pagoda Ploenenſium & Pagodis Orientalium, Ramenſi, Chinæ & Kiwaſtæ Virginienſium, cum Puckio Suerinenſi & Picollo, Diis Cabiris, Baxturca, Boxitio, Henilo & Lollo, cum Vitzliputzli Doberanenſi, & idolis hujus nominis Americanis atque Mexicanis, cum Zwickio Slavorum, & Puſtero, item Quiocco Virginiæ & Floridæ, cum Perdyoto Slavorum & eodem Quiocco: adeo ut ex imaginibus juxta ſe poſitis, & additis earundem deſcriptionibus, hujusmodi convenientia ubique appareat. Cum denique a tauri cultu ſcriptori noſtro ingreſſus ad tractandum hocce argumentum factus eſt, ut in contemplatione ejusdem id ipſum clauderet, operam dare omnino voluit. Egreſſus autem orbem arctoum, ad antiquiſſimas & remotiores alibi gentes

 cum

Digitized by Google

cum Bircherodio ſuo iterum divertit, & ejus in hanc rem dicta, multis, egregiisque acceſſionibus & ſupplementis auget. E ſacris Hebræorum, de bove in ſacrificiis oblato, de vitulo Aaronis aureo, Molocho, aliisque huc forte facientibus, primum per tranſennam monet. De Aegyptiorum Iſide & Oſiride, de Perſarum Anubi, Serapide, & Mithra, de Japonenſium Toranga & tauri pagoda, de Ixora orientalium Indorum cum Suantevito comparato, & multis aliis, quæ huc commode referri potuerant, ampliorem ſibi dicendi campum indulſit; in quo ipſum per omnia ſequi haud amplius licet, ſed id ſummatim duntaxat indicaſſe ſatis erit, eodem modo, ut in præcedentibus, eundem in repræſentandis & explicandis iis, quæ ad tauri cultum ſacrum pertinent, verſatum eſſe. Si denique ex recenſione hactenus inſtituta id nobis conſecuti videamur, ut lectores noſtri inde intelligant, quam præclaram in eo Illuſtriſſ. Editor operam præſtiterit, ut Syſtema Theologiæ & idololatriæ gentilis, tum univerſim, tum quoad populos boreales ſeorſim, ex acceſſionibus ſuis plenius aliquod & ſuis numeris abſolutius prodiret: non parvam ſimul apud eosdem nos gratiam inituros confidimus, quod noſter, ut in hoc, ita & in præcedentibus præfationis hujus argumentis inſumtus labor, paulo operoſior & prolixior evaſerit; ſiquidem non vulgaria duntaxat & obſoleta, ſed nova potius, & alibi parum obvia fuerunt, quæ ex iisdem afferre neceſſum habuimus.

In ipſo nunc operis recenſu operam dabimus, ut breviores ſimus, & argumentis litterariis potiſſimum inhæreamus. Primum monumentum, quod exhibetur, *Bernhardi Latomi Genealo-Chronicon Megapolitanum* eſt. Id ab Auctore ſuo, idiomate germanico, circa annum 1610. conſignatum, & Principum ſive Ducum Megapoleos, Adolphi Friderici & Joannis Alberti, tum regnantium, nominibus inſcriptum, ab illo tempore in archivo Suerinenſi delituit. Multorum deſideriis illud hucuſque expetitum fuit: poſtquam autem b. Jo. Chriſt. Beſelinus, Conſiliarius intimus Mecklenburg. Editoris avus maternus, illud Ao. 1694.

ex

Digitized by Google

ex avtographo primum deſcripſit, Noſtro id inde demum vulgare datum eſt; qui ſummariis inſtructum, & imaginibus præcipuorum Regum & Ducum Megapolenſium, ex antiquiſſimis picturis & codice membranaceo tabularii Suerinenſis petitis, id ipſum exornatum hoc loco reddidit. Secundum locum occupat ejusdem Bernh. Latomi *Hiſtoria Epiſcopiae Megapolenſis ſeu Suerinenſis*, quæ ex apographo quodam Luploviano, de quo Editor quædam in præfatione monuit, prodit; cum neque autographum, neque exemplum aliud quoddam alibi, ne quidem in archivo Suerinenſi, reperiatur. Ipſe Auctor hocce opuſculum velut additamentum ſ. partem quartam prioris ſui Genealo-Chronici eſſe voluit, in quo, a prima & ultima rerum origine, ad ſua uſque tempora progreſſus, a fide & induſtria, quam pro ævi ſui ratione ubique adhibuit, merito adhuc commendabilis eſt. III. *Erneſti a Kirchberg*, Equitis Megapolitani, *Chronicon Mecklenburgicum* Ao. 1378. rhythmice ſcriptum, hic comparet e codice membranaceo, eoque autographo, quem inter cimelia ſervat archivum ducale Suerinenſe. Hicce Scriptor, qui ante hæc quatuor ſecula floruit, tempore Alberti II. Ducis Megapoleos, qui & Rex Sueciæ fuit, cui ille ſervitia præſtitit, hoc labore ſuo id potiſſimum operam dedit, ut quæ ab Helmoldo, quem nominatim ſub ingreſſu operis ſui laudat, aliisque Slavorum chronographis tradita ſunt, rhythmis germanicis expreſſa redderet; quod ſcribendi genus, cum & ſatis ævi iſtius conditionem atque indolem ſapiat, inde forte ſpecimina capere licebit, quomodo cum arte Germanorum poetica, & orthographica ſcribendi ratione iſtius temporis, comparatum fuerit; cujus non adeo multa documenta proſtant, in quibus genuina antiquitatis criteria, quemadmodum in hoc ectypo factum, ſervata ſint. IV. *Chronicon Coenobii Ribenicenſis*, Ordinis S. Claræ, ab Ao. 1206. uſque ad An. 1540, Auctore Fr. Franciſcano, *Lamberto Slaggert*, Sundenſi, ex autographo hic itidem redditur. Scriptor, Pontificiorum ſacris, quibus diu Abbatiſſæ Principales coenobii præſides faverunt, adhuc addictus fuit, unde & in

in fine de Martiniſtarum, quos nominat, odiis & injuriis queritur. Ex interpretatione, quæ apud Ribnicenſes circumfertur, vernacula, quæque a latino authentico exemplo ſæpe multum differt, ſubjiciuntur quædam, quæ & ad recentiora tempora pertinent. V. *Diplomatarium Mecklenburgicum miſcellum*, inter cætera, quæ hoc volumine exhibentur, monumenta, multum eminere jure credimus. Eſt illud ex authenticis membranis & chartis deſcriptum, e B. Georg. Weſtphalii, Paſt. Primar. Eccleſiæ Cathedralis Suerinenſis, & Editoris parentis, collectione Corporis diplomatici Mecklenburgici ſelectum, continens chartas ineditas adhuc ab Ao. 1171. uſque ad An. 1710. in uſum ac ſupplementum antiquitatum, hiſtoriarum, juriumque Megapolenſium Eccleſiaſticorum, civilium, & territorialium. Ultima, quæ hic adducta ſunt verba, de fine & ſcopo, quem Editor in delectu diplomatum hic a ſe facto ſibi præfixum habuit, potiſſimum teſtantur; ex collectione enim, quæ ultra bis mille hujusmodi chartas ineditas continet, quarumque hoc loco non ultra CL. exhibentur, ille inſtitutus eſt. E tabulario Ducali Suerinenſi, quod inſigni diplomatum ineditorum copia, eaque bene ordinata, refertum ſit, eundem depromtum eſſe, in obſervatione mox ab initio ſubjecta perhibetur, in qua & ſimul monetur, quod ſi pauca quædam documenta hic repetita ſint, quæ alibi forte edita jam reperiantur, id eum in finem eſſe factum, ut curatior eorundem lectio; ad authenticas chartas recognita, hic integritati ſuæ reſtitueretur. Poſtquam autem & hic indicium factum eſt ejusmodi Scriptorum, a quibus alibi hujuſce generis documentorum apparatus aliquis exhibitus ſit; atque in exſcripto hinc typis hujus diplomatarii exemplo, notæ & animadverſiones varii generis, quæ textui ſubjectæ ſunt, paſſim conſpiciuntur: eæ quidem, quæ ex his ad criticum argumentum ſpectant, ex variantibus lectionibus aliarum editionum, quæ collatæ fuerunt, ſubnatæ intelliguntur. At vero e cæteris hujuſmodi animadverſionibus, quæ vel ad geographiam antiquiorem, vel ad ipſa hiſtorica argumenta illuſtranda faciunt, majoris omnino momenti

menti cenſendæ erunt. Tales autem mox ad I. & II. documentum occurrunt, ubi nomina pagorum, villarum, aliorumque locorum, ex antiquitate ſua valde dubia habentur, quibus ut certæ & hodiedum competentes ſedes adſignentur, multa operá impenditur. Ad diploma n. V. in quo fundatio monaſterii campi ſolis, vulgo Sonnencamp, ad An. 1221. refertur, & reliquorum fere omnium, quotquot unquam in Megapoli extiterunt, coenobiorum, origines ſimul indagantur, & quidquid de iis ab aliis fide dignis teſtibus relatum eſt, ſubjicitur. Ad n. IX. in quo habetur ſanctio de bonis ex naufragio ſervatis haud diripiendis, Illuſtriſſ. Editori datur excurſus prolixius adducendi & explicandi, quicquid ab omni tempore, & in hunc fere diem, a Pontificibus, Regibus, Principibus, & Rebuspublicis, circa jura naufragorum *(Strandrecht)*, legibus conſtitutum eſt. Idem fit ad n. XXXVII. ubi obligationis obſtagialis aliquod documentum reperitur, unde occaſio ſubnaſcitur, in hunc locum conferendi, quicquid de origine & ratione iſtius juris, quod vel etiamnum apud ſolos Cimbros vim ſuam retinet, ab aliis paſſim & ambigue ſatis diſputatum eſt. Nec in documentis porro recentioris ævi, ſubjectæ hujuſmodi animadverſiones omnino deſiderantur; quæ licet forte majoris adhuc ſint ponderis, haud tamen de iis in cenſum noſtrum hic amplius referre licebit, ne iterum conſuetos limites opera hæc noſtra egrediatur. Ex iis, quæ hucuſque adducta ſunt, lectores noſtri ſpecimina capient. Id unum addimus, quod, uti ingreſſum hujus diplomatarii b. Georg. Weſtphalii effigies exornat, ita & ad calcem ejuſdem, ille figurarum omnis generis apparatus, qui ad hiſtoriam inſignium, quantum ad res Mecklenburgenſes præcipue facit, ſubjectus ſit. Jam ad præfationem, ubi explicatio eorundem ex parte occurrebat, de eodem monitum eſt; hic ſigilla potiſſimum, quæ diplomatis paſſim appenſa reperta ſunt, eidem occaſionem dediſſe videntur, quæ ſedecim in univerſum tabulas æneas implent. VI. Subjunguntur h. l. *Selecta litteraria Megapolenſia, praecipue Eccleſiaſtica*, ex epiſtolis autographis, numero centum, quas ſervat archivum

Suerinenſe, itidem collecta ab eodem *B. Georg. Weſtphalio.* Hiſce egregiis præſidiis Vir ille laborioſiſſimus, in condendo elaborandoque Suerino Evangelico, quod in MSto delitescit, & vitas, fata, doctrinas, verbi divini miniſtrorum Suerinenſium, in aula & civitate, a tempore reformationis uſque ad An. 1727 complectitur, potiſſimum uſus eſt. Quoniam vero in iis occurrunt, quæ haud anguſtioribus finibus iſtis circumſcribuntur, ſed quorum uſus multo latius patet; ſiquidem controverſiæ ſacramentariæ, interimiſticæ, Flacianæ, Oſiandriſticæ, & quæ cum his conjunctæ, vel easdem porro inſecutæ ſunt, in quibus aula Suerinenſis, tempore Ducis Jo. Alberti I. vel præcipua ſubinde pars extitit, integram fere Eccleſiam Evangelico-Lutheranam affecerunt: præclaram in eo ſane operam iniit Illuſtriſſ. Editor, quod authenticum hunc epiſtolicum apparatum in plurium uſus proferre voluerit: qui & peculiares illi pro eo grates debebunt, quod ſingulorum in eo contentorum ſyllabum, ſive conſpectum, in præfatione ſeorſim p. 195. ſqq. ſubjecit.

Hucuſque in hoc volumine, quæ ſunt exhibita, monumenta, ad res Mecklenburgenſium cummaxime pertinuerunt: quæ nunc porro ſequuntur, ad Cimbros horumque vicinos propius ſpectant. In his occurrit VII. *M. Thomae Broderi Bircherodii*, Prof. quondam in Gymnaſio Othinienſi, *Taurus ſacer*, ſeu cultus & idololatriæ tauri apud plures gentes, præcipue Aegyptios, Phoenices, Græcos, Romanos, Sinenſes, Indos, Septentrionales populos, præcipue Gothos & Cimbros, hiſtoria. VIII. Ejusdem *Bircherodii Annotationes* in libellum, quem *Aelnothus*, monachus Cantuarienſis, *de vita & paſſione S. Canuti*, Regis Daniæ & martyris, conſcripſit. Utrumque hoc opuſculum, ex Auctoris Bircherodii autographo, quod in hunc uſum acquirere Illuſtriſſ. Editori datum fuit, hic comparet. De priori, quod ad parilem in eodem argumento laborem ſubeundum Editoris induſtriam provocavit, quantum pro noſtro inſtituto ſufficit, jam ſupra circa præfationem dictum eſt: ad alterum vero Bircherodii opus quod attinet, cum annotationibus ejusdem & ipſe textus Aelno-

Aelnothi, quem dudum Huitfeldus, Meurſius, & Acta Sanctorum m. Jul. Tom. III. p. 127, notis quibusdam itidem inſtructum vulgarunt, ſimul redditus eſt; in quo ex MSto Codice, quo uſus eſt Bircherodius, variæ lectiones, quæ paſſim occurrerunt, ſubnotatæ hic leguntur. Hos Bircherodii labores dudum celebrarunt Scriptores hiſtoriæ litterariæ Danorum, *Alb. Thura, Nic. Sibbern*, in Biblioth. hiſt. Dano-Norveg. p. 162. *Bernh. Raupach*, de præſent. rei litt. in Dan. ſtatu p. 166. & Biblioth. Danica, per partes non ita pridem vulgata, Sect. IV. p. 366 ſqq. unde & de pluribus ab eodem relictis MSS. quæ adhuc inedita ſunt, notitiam haurire licet. IX. Sequuntur *Jo. Ruſſe*, Lundenſis, *fragmenta XXXV. rerum Dithmarſicarum*, ab An. 1040-1542. quorum ſelectiora argumenta prodeunt ex autographo. Accedunt e codice recentiori Supplementa IV. uſque ad A. 1595. Quæ in Supplementis habentur, majoris momenti eſſe reperiuntur iis, quæ ipſa fragmenta exhibent. Eſt namque & in illis Henrici Zutphanienſis, prope Heidam Dithmarſorum A. 1524. trucidati & combuſti, martyrium, plurium, & noſtri etiam Editoris calamo, alibi celebratum, cujus & hic figura in Tab. ænea XXV. eleganter expreſſa ſubjicitur; quem in modum & inſignia gentilitia Dithmarſica 84. & ſigilla parochiarum Dithmarſiæ borealis Tab. XXVI. & XXVII. hic inſculpta viſuntur. X. *M. Anton. Heimrichii* V. D. M. in Mohre Nordſtrandiæ, *Supplementa ad Chronicon Friſiae Septentrionalis*, A. 1668. editum, ſelecta ex autographo. XI. *Nic. Petr. Sibbern, Supplementa & acceſſiones ad Bibliothecam hiſt. Dano-Norvegicam*, A. 1716. Hamb. ab ipſo editam, ex autographo Auctoris. XII. *Promocondus Scriptorum hiſt. Danicae*, quibus *Andr. Severin. Vellejus*, Hiſtoriographus Regius, in conſcribendis operibus hiſtoricis uſus eſt, una cum recenſione operum ejus hiſtoricorum affectorum, & ex parte conſcriptorum; ex b. Auctoris autographo, apud nob. Chriſt. Wormium exſcripſit Andr. Kellinghuſius. Trium hic dictorum ſcriptorum nomina ſatis in his oris nota ſunt, & operibus eorundem, quæ multorum dudum manibus verſantur,

tur, id ſane conducet, quod ex acceſſionibus & ſupplementis ab ipſismet paratis, auctiora multum & utiliora ſint reddita. Quæ tractato a Sibbernio argumento litterario acceſſerunt, & quæ ille, quoad vixit, exemplo libelli, quo uſus eſt, perinduſtria manu allevit, in his potiora deprehenduntur. XIII. *Schleswig-Holſteiniſche Ritter-Chronic, aus bewährten mehrentheils ungedruckten Uhrkunden, von Brodero Enewald.* Chronicon hoc equeſtre Cimbricum, quod Auctor V. D. M. Neoſaniæ prope Itzehoam collegit, palmam præripere viſum eſt reliquis hujus argumenti MStis Weidemanni, Paſchii, aliorumque; quare & Illuſtr. Editor dignum illud judicavit, quod ex autographo Auctoris publicæ luci exponeretur. Monet alioquin, ſe ejusdem Scriptoris MS. ſervare, de originibus gentis Ranzoviæ, quod elaboratiſſimum itidem nominat.

Quæ jam ſequuntur monumenta, & quæ longo ordine ſe excipiunt, in uno eodemque Themidos Cimbricæ argumento verſantur; quorum hic Inſcriptiones & Titulos primum ſummatim ſubjiciemus. XIV. *Martini Chemnitii, & Jo. Adolph. Kielmanni a Kielmanns-Ek*, Cancellariorum aulæ Ducum Sleſvic. Holſat. *argumenta hiſtorica de Suprematu Ducatus Sleſvicenſis*, ejuſque ab Imperio Germanico & Regno Daniæ exemtione, A. 1624. & 1666. exhibita. XV. *Joan. Meieri*, JCti Flensburgenſ. Compendium Juris Cimbrici, ſeu methodus Juris Danici, quod Germanice *das Jütſche Lowbuch* vocatur, in duos libros diſtincta; ſubjuncta eſt verborum Juris Cimbrici explicatio. XVI. *Juris Danici & Jutici Libri II.* quibus continentur ordinationes, ſanctiones, vulgo receſſus, & Handfeſtninge Regum Daniæ, partim ab Epiſcopo Wiburgenſi, *Canuto Kopſen*, expoſitionibus legum Jutiæ A. 1507. ab illo editis ſubjunctæ, partim corpori Juris Jutici *(Kong Waldemars rette Judske Low)* Hafn. 1642. edito, annexæ, e Danico vel latine vel germanice redditæ. XVII. *Parvi Tordonis*, Diaconi Sorani, & Legiferi Dani, *Explicationes* præcipuorum articulorum Juris Cimbrici, e MS. *Erici Krabbii*, qui illas e Danico germanice reddidit. XVIII. *Blaſii*

Digitized by Google

Blaſii Eckenbergeri, Quæſtoris præfecturæ Flensburgenſis, *Regulae juris Cimbrici ac Danici*, ſpeciatim in explicandis argumentis juramentorum collectæ Ao. 1601. XIX. *Statuta Civitatis Flensburgenſis*, a Waldemaro IV. Rege Dan. & Duce Jutiæ Ao. 1284. confirmata, germanice & latine ſcripta. Collata ſunt cum variis codicibus membranaceis ac authenticis, præcipue Danico, Germanico antiquo Achterupiano A. 1431. Flenopolitano A. 1492. Eckenbergeriano, Wildfangiano, & latinis duobus, ut & antiquiſſimis codicibus ſtatutorum civitatis Apenradenſis; accedunt *Blaſ. Eckenbergeri* Gloſſæ, ex autographo Auctoris, collatio ſtatutorum Flensburgenſium cum ſtatutis Sleſvicenſibus, & libro juris Cimbrici; denique & acceſſiones ſtatutorum Flensburgenſium. XX. *Faſciculus Diplomatum Flensburgenſium*, quibus ſtatuta, immunitates, & jura ſingularia civitatis ſupplentur & explicantur, ex membranis autographis. XXI. *Statuta ruralia* præfecturæ Flensburgenſis, e codice chartaceo A. 1560. XXII. *Statuta Haderslebienſia*, Danice, Hadersleff byrett, a Duce Waldemaro Ao. 1292. promulgata; nunc e Danico germanice reddita: XXIII. *Jura antiqua civitatis Ripenſis* Cimbriæ Septentrionalis, vulgo Ribe Birckeret, ſeu jura Ripenſia territorialia, laude ſeveræ legis & juſtitiæ celebrata, ſub auſpiciis Regis Dan. Chriſtophori I. Ao. 1252. d. VII. Cal. Aug. lata, a Regibus, Erico VI. Ao. 1269. & Chriſtophoro III. Ao. 1443. repetita & aucta, e libro antiquo civitatis. XXIV. *Jura ſtatutaria civitatum Hafniae & Helſingorae*, a Rege Daniæ, Chriſtophoro Bavaro, Ao. 1443. data, germanice reddita, & tranſcripta e codice antiquo Danico, in foliis VIII. membranaceis formæ 4tæ exarato, cui adpendet ſigillum majeſtatis cum contraſigillo, ceræ rubræ impreſſum, & capſulæ ex lamina confectæ incluſum. XXV. *Leges provinciales terrae Scaniae*, a Waldemaro I. Rege Dan. Ao. 1163. ſancitæ, e Danico latine redditæ ab Andrea Sunonis de Knarderup F. Prodeunt e codice Huitfeldiano, accedente collatione cum jure Cimbrico, vulgo Jutiſch Lowbuch, cujus primarii fontes ſunt leges Scaniæ & Seelandiæ. XXVI. *Codex antiquiſſimus juris Ham-*

 burgen-

burgenſis, vulgo Liber Ordaliorum A. 1270. Prodit e codicibus membranaceis Placciano & Reinſtorpiano A. 1270. & Lindenbrogiano A. 1277. exaratis, invicem collatis. In margine notantur conſonantiæ antiquiſſimorum ſtatutorum Lubecenſium A. 1240. in Tom. monum. ined. III. p. 639. Stadenſium, ex codice antiquo MS. A. 1279. & impreſſo alio ap. D. de Senckenberg, in Select. Jur. & hiſt. T. VI. p. 286. & Bremenſium Statutorum A. 1433. apud Oetken in Corp. Conſtitut. Oldenburgenſ. P. IV. p. 284. Accedunt I. Additiones juris Stadenſis, e Cod. Lindenbrog. II. Origines Statutor. Hamburg. e Cod. Gerhard. Schroederi Conſulis Hamburgenſ. III. *Offenes Straſſen-Recht und Hegung des Land-Rechts*, ex eod. codice. XXVII. *Matth. Schluteri D. origo & deſcriptio concordatorum civitatis Hamburg.* quorum fit mentio in Statut. Hamb. P. I. Tit. 17. art. 3. ſpeciatim intuitu Sleſvicenſium, Holſatorum, civitatum Hanſeaticarum, capituli Hamburg. nationis Anglicanæ Hamburgi commorantis, aulæ & ædium Schaumburg. ibid. ex autographo A. 1691. Accedunt I. Concordata regni Daniæ & Ducat. Sleſvici & Holſat. cum Lubec. & Hamburg. Ao. 1470. II. Memoriæ Schaumburgico-Holſaticæ Ao. 1690. delineatæ. III. Transactio inter Capitulum & Senatum Hamburg. 1561. XXVIII. *Skraa antiqua & nova civitatis Suſatenſis*, cum proceſſu antiquo judiciali communi, formaque proceſſus arreſti, *des Hoch-Gerichts*, & ſententiis judicii Vehmici, *des freyen Stuhl-Gerichts*. Hactenus inde a n. XIV. exhibita monumenta, illi potiſſimum ſcopo inſerviunt, quem Illuſtriſſ. Editor, ſicuti in hoc, ita & jam in præcedentibus hujus voluminoſi operis Tomis ſibi præfixum habuit, ut jura Germaniæ antiqua, tum univerſim, tum ſeorſim Cimbriæ, & regionum ſeptentrionalium, ab interitu vindicaret, jurisque adeo patriæ dignitatem & præſtantiam maſcule tueretur, atque ejusdem in foris uſum, a quo per introducta jura aliena dudum excluſum erat, denuo vindicaret & reſtitueret. Huc namque faciunt adducta varia legum & ſtatutorum genera, quæ, ſive ſtatum reipublicæ publicum, ſive privatum reſpicias, ad eundem bene ordi-

ordinandum majorem ſane uſum præſtabunt, quam umquam a legum exterarum præſidio expectaveris. Quæ ſunt reliqua in hoc volumine monumenta, licet ad eundem quoque ſcopum collimant, in hiſtoricis tamen argumentis uſum etiam paulo majorem ſimul præſtare videntur, unde eorum quoque ſyllabum ſubjicimus. XXIX. *Codicillus chartarum Suaveſtadenſium, vulgo Schwabſteder Buch*, h. e. Documenta ad Epiſcopatum Sleſvicenſem pertinentia ab Ao. 1182. uſque A. 1551. in hunc codicillum redacta a Jac. Fabricio, Sen. Superint. Gen. Sleſvic. Holſat. reviſa & aucta ab ejusd. Fil. Jac. Fabricio Ao. 1642. accedunt ſupplementa quædam e collectione E. I. de W. XXX. *Collectio Diplomatum* præcipuorum de receptione & uſu Jur. Lubec. in civitat. Cimbricis ab Ao. 1232-1692. XXXI. *Diplomatarium Kilonienſe* ab Ao. 1257-1666. res ſacras & Eccleſiaſticas potiſſimum complexum. XXXII. *Diplomatarium monaſterii Morkirchenſis* S. Antonii. XXXIII. *Diplomatarium coenobii Reinbeccenſis*, ordinis Ciſtercienſis, ex autographis membranis. XXXIV. *Diplomatarium monaſterii Ciſmarienſis*, ordinis S. Benedicti, ab Ao. 1282. ad An. 1546. accedunt argumenta diplomatum Ciſmarienſium, ab Ao. 1237-1552. XXXV. *Diplomatarium coenobii Uterſen*, ab Ao. 1242. ad An. 1638.

In IVto demum hoc vulgato volumine cum Illuſtriſſ. Editoris labor ſubſtiterit; vaſtiſſimo autem huic operi, quod inter præſtantiora, quæ noviſſimo hoc tempore prodierunt, jure numerare licebit, adhuc index generalis deeſſet, qui lectorum uſibus inſerviret, ut hoc tanto labore uti fruique paulo commodius liberaliuſque poſſent: & hoc demum, quidquid neceſſarii adjumenti fuit, huic volumini acceſſit, in cujus calce hujuſmodi index, qui ad omnes quatuor operis Tomos pertinet, ſubjectus apparet. Laborioſiſſimo huic negotio & inſtituto, manum calamumque commodavit Vir itidem Illuſtris & Conſultiſſimus, *Jo. Carol. Henr. Dreyerus*, Illuſtriſſ. Editoris e ſorore nepos, qui ex illo tempore, in officiis & muneribus ſibi creditis, cultoque inprimis jure patrio & Germanico univerſo, quoad in Academia Cimbrica

 vixit,

vixit, præcipuam quandam celebritatem conſecutus eſt; jam nunc vero etiam, ubi apud Lubecenſes ampliſſimis Syndici partibus fungitur, hoc ſibi partum decus cum inſigni reipublicæ ſuæ emolumento, nec ſine nominis etiam ſui exiſtimatione, maſcule tuetur. Ex quo poſtremo demum indicio noſtro, & de confecti hujus indicis præſtantia, cujus moles ultra alphabetum, in charta minutioribus typis impreſſum, excrevit, lectores noſtri ſimul argumentum aliquod capient.

GOTTLIEB WERNSDORFFII L. O. ET Græcæ in Athenæo Gedanenſi Prof. Publ. Ord. & Societ. Regiæ Berolin. Scientiarum Sodalis, Commentatio Hiſtorico-Critica de fide hiſtorica librorum Maccabaicorum, qua rev. ERASMI FROELICHII, S. J. Sacerd. Annales Syriæ, eorumque Prolegomena, ex inſtituto examinantur, plurima loca librorum Maccab. aut illuſtrantur, aut emendantur, itemque Chronologia Syriaca & Judæa paſſim corrigitur.

Vratislaviæ, ſumtibus Joannis Kornii, A. G. R. 1747. Alphab. 1. plag. 4.

Ediderat Vir Eruditiſſ. *Eraſmus Froelichius*, Vindob. Ao. 1744. *annales Syriae, numis veteribus illuſtratos*, quibus ampla præmiſerat prolegomena, ubi vel maxime divinitatem & auctoritatem librorum Maccabaicorum, eorundemque cum numis & optimæ notæ ſcriptoribus conſenſionem, demonſtrare adniſus eſt. Verum enim vero, cum argumenta ipſius ita comparata eſſent, vt, qui veritatem, partium ſtudio miſſo, unice amant, illis adquieſcere non poſſent; contra illa Vir doctiſſimus, *Erneſtus Fridericus Wernsdorfſius*, Prof. Lipſ. Ao. 1745. proluſionem de *fontibus hiſtoriae Syriae in libris Maccabaeorum*, publicandam curavit, id cumprimis agens, ut diſſenſum narrationum plurimarum, in libris iſtis obviarum, ab aliis bonæ notæ ſcriptoribus, oſtenderet. Ipſo illo anno reſpondit *Froelichius*, divulgato ſcripto *de fontibus hiſtoriae Syriacae in libris Maccabaeorum*, quo proluſionem

iſtam

iſtam ad examen revocavit. Cl. *Wernsdorfii* erat cauſam ſuam agere, quæque a *Froelichio* notata eſſent, accuratius expendere ac diluere: at cum aliis diſtineretur negotiis, ſe interpoſuit Frater, Vir doctrina ſingulari conſpicuus, *Gottlieb Wernsdorfius*, qui conſiliis ac ſubſidiis nonnullis a Fratre adiutus, non ſolum diſquiſitioni ſubjecit ea, quæ inter Fratrem & *Froelichium* diſceptata erant, verum etiam quae veritati minus conſentanea vidit, ſub incudem revocavit, ut hinc commentatio hæc inſtar commentarii in utrumque Maccabæorum librum haberi queat. *Froelichium* preſſo ſequitur pede, cujus opus quidem multis dilaudat verbis, dolet tamen, ipſum in vindicanda librorum Maccabaicorum auctoritate, ſectæ ſtudio abreptum fuiſſe. In duas partes opus ſuum diſpeſcit, quarum prior in prolegomena annalium, poſterior in ipſos annales Syriæ excurrit. Parte priori demonſtrat, libros Maccabæorum ad IV. uſque ſæculum pro divinis agnitos haud eſſe. Provocat ad *Euſebium* H. E. l. III. c. 3. p. 72. ſpeciatim *Melitonis* catalogum, quem idem exhibet p. 85; ad *Origenem*, comm. ab Huetio editorum T. I. p. 41. Philocal. c. 3. p. 24; ad concilium porro *Laodicenum*, habitum Ao. 372. quod approbavit *Trullanum*. Nec defuerunt ſequentibus ſæculis, ad VII. uſque, qui eundem canonem, qualis habetur apud Judæos, fuerint ſecuti. Illud *Σαρβηθ σαρβανε ελ*, *Bochartus* & *Huetius* explicant, שרביט של בני אל *ſceptrum principis*, habet pro titulo, deſumto ex 1 Maccab. XIII, 24. שר בית שר בני אל *princeps templi*, *princeps populi Dei*, h. e. pontifex maximus, & dux *populi Judaici*. *Cyprianus* L. I. ep. 3. libros Maccabæorum tantum excitat, Pag. 1-6.
non divinos declarat. *Auguſtinus* C. D. l. XVIII. c. 36. canonicos quidem adpellat, ſed ſenſu laxiori, quatenus libri ſunt utiles; vel diſtinguit inter canonem *divinum* & *eccleſiaſticum*: ex contextu quippe adparet, ipſum hos libros, canonicis, vere divinis, opponere, qui etiam alibi non unum nævum illorum indicavit. In concilio Carthaginienſi III, habito Ao. 397. libri Maccabæorum referuntur quidem inter canonicos, ſed (1) canon hic ex mente Auguſtini, cujus nutu

 omnia

omnia agebantur, eſt explicandus; (2) ſententia hæc tanquam privata provinciæ eſt ſpectanda, quæ conſenſum reliquarum eccleſiarum exſpectabat. *Innocentius* I. libris his auctoritatem aliquam conciliavit: ſed hæc ipſius ſententia ex cathedra non fuit pronuntiata, nec in illa ſucceſſorem *Gregorium* M. ſibi conſentientem habuit. Decretum Gelaſianum, quo unus horum librorum canonicis accenſetur, in cenſum non venit, cum illud ſit ſuppoſititium. Igitur ante concilium Tridentinum de ipſis illis nil quidquam eſt definitum; quamquam non eadem patrum omnium fuerit mens, nec epiſcopi Ger-
Pag. 6-12. mani ſententiam prævalentem adprobarint. *Froelichius* adſeveraverat, libros hos antiquitate vincere omnes auctores profanos, *Polybio* excepto. Notat Noſter, de ætate horum librorum certi quid ſtatui minime poſſe: id liquere, longe poſt res illas, quas enarrent, conſignatos eſſe; non ſolam ſufficere antiquitatem, ſed ut ſcriptor neceſſariis fuerit munitus præſidiis, ac judicio inſtructus, quod de ſcriptoribus horum librorum dici non poſſit, qui manifeſtos admiſerint errores. Hinc pergit ad excutienda dubia, quæ propoſita
12-18. erant. Auctores horum librorum utuntur epocha Seleucidarum, ſed ita, ut prioris ſcriptor poſteriorem, uno anno antevertat. Dubium hoc cum aliis chronologis tollere ſatagit *Froelichius*, quod prioris libri ſcriptor initium anni a Niſan, poſterioris a Tiſri ducat. Sed obſervat doctiſſimus *Wernsdorfius*, anni eccleſiaſtici rationem in ordinandis feſtis, civilis in negotiis civilibus, habitam fuiſſe; ſed in libris his deſcribi res a Syriæ regibus, itemque heroibus Judaicis geſtas. Adhæc, ſtante hac hypotheſi, annos utriuſque, ſaltim menſibus, qui poſt autumnum proceſſerunt, conſpirare debuiſſe:
18-21. cujus tamen contrarium ex utriuſque collatione adpareat. Ex his conficit, alterutrum erraſſe, poſteriorem maxime, cum prior veram aeram Seleucidarum, initio ab autumno ducto, ſequatur, ille integro anno ab eadem deficiat: hinc nullam conciliationis rationem inter 1 Macc. VI, 20. & 2 Macc. XIII.
22-26. adparere contendit. Adduxerat *Froelichius*, pro ſtabilienda ſententia ſua, 1 Macc. VI, 16. ubi legitur, Antiochum Epiphanem

Digitized by Google

phanem Ao. 149. deceſſiſſe, eique Antiochum Eupatora ſuc-
ceſſiſſe: ſed 2 Macc. XI. exhibentur duæ epiſtolæ, altera Ly-
ſiae, menſe Dioſcuro ultimo Ao. 148. altera Eupatoris jam
regnantis, d. XV. m. Xantici, ſive Martii Ao. 148. datæ;
igitur filius mortuo patri ante ſucceſſit, quam moreretur pa-
ter. Idem urgetur, argumento ducto ab initio regni Antio- Pag. 26-28.
chi Epiphanis, qui Ao. 137. regnum adiiſſe, & quidem
menſe Martio, initio petito more Syro-Macedonum ab au-
tumno, dicitur 1 Macc. I, 10. quique regnavit Ao. 11. quot
cum duobus aut tribus menſibus ipſi dat Euſebius. Idem ex 28-29.
annis, quos Alexander Theopater in regno exegit, quod au-
ſpicatus eſt Ao. medio 151. & ad Majum Ao. 162. admini- 29-30.
ſtravit. Novum argumentum ſtruit ex moliminibus Try-
phonis, qui Jonathanem pontificem, æſtate ſera Ao. 169. Se-
leucid. ſive 170. Juliano cepit, ſequenti 170. & quidem ſub
illius initium, in Judæam irruere eſt conatus, quo ipſo tem-
pore, interfecto puero regio, regnum invaſit: ipſo illo anno
Judæi in libertatem ſunt vindicati, 1 Macc. XIV, 27. Ex quibus
& aliis efficit, priorem ſcriptorem uti vera aera Seleucida-
rum, non confuſa ex anno Judæorum ſacro & Syro-Macedo-
num. Inde inquiritur in tempus ſcriptæ epiſtolæ Lyſiæ, men- 30-31.
ſe Dioſcuro, ubi demonſtratur, legendum eſſe Δίος, & ini-
tium regni Demetrii Soteris 1 Macc. VII, 1. Ao. 151. illiga-
tur, ſed 2 Macc. XIV, 4. An. 150. nominatur, demonſtrans,
in græco codice utroque in loco legi Ao. 151. Idem mone- 31-35.
tur circa dubium, quod nectitur ex 2 Macc. XIII, 1. quod
evanuiſſet, ſi textum græcum conſulere voluiſſet. Ex colla-
tione 1 Macc. I, 54. 59. cum 2 Macc. X, 3. concluſerat *Froe-*
lichius, reſtaurationem templi poſt biennium factam fuiſſe;
ſed triennium interceſſiſſe, docet Noſter. Epiſtolas Arii 35-37.
Lacedæmonii Oniæ pontificis 1 Macc. XII. confictas eſſe, in-
dicat. Progreditur hinc ad dubia hiſtorica & geographica, 37-39.
e. c. quo jure 1 Macc. I, 1. Alexander primus Græciæ impe-
raſſe dici queat, & regna inter amicos diſpertiviſſe: quod
quam falſum ſit, demonſtrat tum a ſilentio ſcriptorum, qui
res illius accuratiſſime ſunt perſecuti; tum quia is non ſuc-
ceſſo-

ceſſorem elegit; tum quoniam illi præfecturas adierunt, poſt
longum autem tempus regiam dignitatem adſumſerunt.
Pag. 39-44. Quod porro 1 Macc. VIII, 7. de Antiocho M. a Romanis
capto memoratur, pariter optimorum ſcriptorum narrationi
44-49. adverſum eſt. Quod dicitur v. 8. Romanos Antiocho devicto
Indiam, Mediam, Lydiam ademiſſe, ac Eumeni dediſſe, nulla
ratione defendi poſſe, id ſolide monſtratur, cum magna harum
terrarum pars ne quidem unquam ab Antiocho fuerit poſſeſ-
ſa, & ab Eumenis regno nimis remotæ eſſent. *Harduinum*,
qui Indiam & Mediam in Aſia cis Taurum quærit, feſtive,
49-57. erudite tamen, depexum dat. In excuſationem Auctoris libri
1 Macc. id tantum dici poteſt, ebræum ſcriptorem poſuiſſe
voces, quæ Phrygiam ac Myſiam deſignarint, quas cum in-
terpres græcus non intelligeret, ſubſtituiſſe Indiam & Mediam.
57-58. Circa mortem funeſtam Antiochi excutiendas proponit quæſti-
ones has: (1) cujus urbis fanum ſpoliare voluerit? (2) ubi loci
fuerit obtruncatus? (3) cui deæ fanum illud fuerit conſecratum?
(4) num Epiphanes fuerit, qui illud expilare ſit auſus? Quod
(α) attinet, *Elymais* nominatur 1 Macc. VI, 1. *Perſepolis*
2 Macc. IX, 2. Prius, locum habere nequit, Elymais quippe
non urbs, ſed provincia fuit; ſed nec poſterius, quia Perſepolis
ab Alexandro igne ita fuit concremata, ut illius nil quidquam
remanſerit; quod contra *Cellarium, & Auctores hiſtoriae uni-
verſalis*, oſtenditur. Fuiſſe autem fanum illud in Elymaide
ſitum, loco ſeparato, extra urbem *Tabas*, provinciæ Para-
58-63. trecenæ, ubi (β) morti ſuccubuit. (γ) Peremtus fuit in tem-
plo Dianæ, quæ barbaris *Anaitis* dicebatur, mendoſe 2 Macc.
I, 13. *Nanaea*. Diſceptaturus (δ), quis Antiochus hic intel-
ligendus? præmittit diſquiſitionem, qua multis iisque gra-
vibus rationibus dat evictum, utramque Epiſtolam 2 Macc. I.
effictam eſſe; Antiochum autem Epiphanem, non Antio-
chum Euergeten, intelligendum eſſe, ex toto orationis nexu
63-76. accurate docet. Numum, qui anni notam ΒΞΡ 162. præ-
fert, & quem Froelichius Antiocho Euergetæ tribuerat, An-
76-77. tiocho VI, Dionyſo adſcribit. Porro, libri Maccabaici an cum
numis

Digitized by Google

numis conſentiant, acquiritur. Quædam de numis, a Syriæ regibus, inde a Judæis a tempore Simonis cuſis, monentur. Pag.77-83.

Hæc ad prolegomena ampliſſ. *Wernsdorfius* notaverat, in annalibus pariter diverſa παροράματα, offendit. Ab Alexandro M. Judæi non αὐτονομίαν, ſed poteſtatem religionem ſuam libere profitendi ſunt conſecuti. Antiochus Soter, morbo ſuperatus, Epheſi deceſſit. Quod de Heliodoro ab 84-88.
equite armato & duobus peditibus angelis caſtigato, 2 Macc. III. narratur, inter fabulas merito refertur. De diverſis Antiochi Epiphanis in Aegyptum expeditionibus exponit, illasque juſto tempori innectit. Antiochus M. occupatis Hieroſolymis, multos internecioni dedit, non tamen 80000. vti 2 Macc. V, 5. ſed 10000. ſecundum narrationem Joſephi. Nec Apollonii ſævitiam fuiſſe tantam, quantam faciant Judæi. 89-94.
Hiſtoriam de ſeptem fratribus, juſſu Antiochi crudeliter trucidatis, veram quidem habet, ſed quædam περιστάσεις, v. c. quod rex ipſe præſens fuerit, & quod ob ſolam carnis ſuillæ detrectatam comeſtionem adeo crudeliter fuerint excruciati, ſuſpectæ ipſi videntur. In prælio etiam cum Nicanore com- 94-95.
miſſo, quod 2 Macc. VIII, 20. memoratur, multa offendit, quæ a fide hiſtorica abeant: nec Auctor prioris libri Maccabæorum, nec Joſephus prodigialis hujus pugnæ ullam faciunt mentionem. In bello, quod Lyſias Judæis intulit, quod- 95-99.
que 1 Macc. IV, 28. & 2 Macc. XI. refertur, multa ſeſe produnt, quæ invicem conſiſtere non poſſunt. Epiſtolam regis 99-101.
Eupatoris ad Lyſiam 2 Macc. XI, 22-26. Ao. 149. ſcriptam fuiſſe, arbitratur, ſed vero ipſa illa ſuſpicionem fraudis movet. Quod ad epiſtolam, quæ ſequitur v. 27 ſeqq. quam pariter alioſum pertinere ſtatuit, ſcriptam circa Ao. 148. quo ipſo Antiochus Epiphanes in vivis adhuc fuerat, a probabili abludit ratione, Eupatorem ſe regem adpellare voluiſſe. Mors Epiphanis, deſcripta 2 Macc. IX. ita comparata eſt, 101-103.
ut probabilitatis nullam præ ſe ferat ſpeciem, nec epiſtola, quæ ſubjicitur, a rege proficiſci potuit. Ubi confert hiſto- 104-109.
riam bellorum, quæ Judas adverſus hoſtes adminiſtravit Ao. 148. vivo adhuc Epiphane 1 Macc. V. & 2 Macc. X. oſtendit,

Ee poſte-

Digitized by Google

poſteriorem vel per negligentiam, vel per ignorantiam turpiter eſſe lapſum. Circa verba 1 Macc. V, 3. καὶ ἐπολέμει Ἰȣδας- ἐν τῇ Ἰδȣμαίᾳ τὴν Ἀκραβάττην notat (1) mendum illis ineſſe, & ſic emendanda ἐπολέμει - ἐν τῃ Ἰδȣμαίᾳ καὶ τȣ̀ς ἐν τῇ Ἀκραβαττήνῃ, vel πρὸς τὴν Ἀκραβαττήνην, aut forſitan ἕως τῆς Ἀκραβαττήνης, (2) male jungi Idu-
Pag. 109- mæam & Acrabatenen, cum hæc fuerit pars Samariæ.
110. Quam minus bene conveniat in reliquis bellis percenſendis, & quam craſſos poſterior committat errores, curate oſtendi-
110-116. tur. Antiochus Eupator ingentem adverſus Judæos exercitum duxiſſe, dicitur, ſed non conſtat ſibi uterque, nec tantæ vires regi tum temporis fuerunt, neque tot numero elephantes Syriæ reges habere potuerunt, cum illis, ne elephantos alerent, ab Romanis eſſet interdictum, nec illi tantum pondus, quod ipſis datur, ſuſtinere potuerunt: denique pugnantia ſibi tum ratione viæ, per quam rex copias duxiſſe fertur, tum ratione eventus, loquuntur. Talis pugna etiam deprehenditur in deſcriptione belli, quo Demetrius Soter Roma-
116-123. nus laceſſivit. Adeo crudeliter in Nicanora ſæviiſſe Judæos, ut caput ac dextra ipſi amputata, ejuſque lingua fruſtatim conciſa, avibus in eſcam fuerint objecta, 2 Macc. XV, 32. 33. ab religione Judæorum, ac inſtitutis gentium, moratiorum certe, abit. Nec veritati convenit, quod v. 37. clauſulæ inſtar ſubjicitur, pugna cum Nicanore decertata feliciter, finem bellorum factum ac quietem reipublicæ judaicæ datam
123-126. fuiſſe. Tota illa hiſtoria de foedere cum Romanis conciliando, quæ 1 Macc. VIII, 1 ſeqq. narratur, inepte eſt conſignata. Judas Maccabæus rerum romanarum nimium imperitus fingitur. Reges, qui ab extremis orbis regionibus bellum iisdem intulerint, indicari non poſſunt. Græcos, quod v. 9. 10. memoratur, unquam in animum induxiſſe, Italiam trans-
126-128. migrare ac Romam exſcindere, ab omni fide abhorret. Foedus quidem illud in dubium non vocat, ſed ultima de Demetrio rege 1 Macc. VIII, 31. in quibus ipſe rex adpellatur, quo tamen titulo poſt demum eſt inſignitus, ipſi ſunt ſuſpecta: denique a Judæis v. 26. poſtulatur, ne hoſtibus dent naves,

quæ

Digitized by Google

quæ tamen Iudæis non erant. De expeditione Bacchidis in Iudæam ubi agit, notamus (1) per Γάλγαλα 1 Macc. IX. Galilæam eſſe intelligendam, (2) prælium cum Iudæis non prope Paneadas, ſed non procul ab Hieroſolymis, habitum fuiſſe, de cujus prælii commiſſi tempore diſceptatio inſtituitur. Alexander quoque 1 Macc. X, 1. minus recte adpellatur Ἀλεξάνδρος ὁ τȣ̃ Αντιόχȣ Ἐπιφανὴς, cum potius ſcribendum ὁ τȣ̃ Αντιόχȣ τȣ̃ Ἐπιφανȣ̃ς, hic quippe nunquam Epiphanis, ſed Euergetæ & Philopatris cognomen geſſit. Adhæc Alexander hic non fuit filius Epiphanis, ſed extremæ ſortis juvenis, regiam ſtirpem fraudulenter mentitus. Epiſtola Demetrii ad Laſthenem 1 Macc. XI, 32-37. inſigni mendo laborat, nullus juſtus ineſt ſenſus, multa ſunt omiſſa. In rebellione Antiochenorum adverſus Demetrium Nicatora, & inde ſecuta horum ingente ſtrage, quæ memoratur 1 Macc. XI, 44-51. non tantam, quanta fertur, Iudæorum operam fuiſſe, in ſubſidium advocatis Diodoro Siculo & Ioſepho, demonſtratur. Num fides adhibenda ſit narrationi c. XI, 70. Ionathanem cum duobus centurionibus tantam hoſtium vim proſtraviſſe, diſceptatur. Orationem ſuam de cognatione Spartanorum & Iudæorum, quam ante id tempus in gymnaſio Gedanenſi habuerat, typis poſt exſcriptam, reſectis nonnullis, repetit, varias virorum doctorum de cognatione iſta in medium adferens, & examini ſubjiciens, inde epiſtolas iſtas ἀμοιβοίας commentitias eſſe pervincens. His generalibus præmiſſis, monet ad epiſtolam *Oniaris* ad *Oniam* ſacerdotem maximum 1 Macc. XII, 20-23. nomen regis diverſimode ſcribi, ille ſolus ſuper tanto negotio ſcripſiſſe dicitur, ac ſi ſuprema poteſtate, quæ tamen penes ephoros erat, gaviſus fuiſſet. Orditur epiſtolam, ἑυρέθη ἐν γραφῆ περὶ τε τῶν Σπαρτιατῶν καὶ Ἰȣδαίων, ὅτι ἐισὶν ἀδελφοὶ, cetera. Litteræ diviniores κατ᾽ ἐξοχὴν, γραφὴ dicuntur, ſed in illis nilquidquam de cognitione hac eſt ſcriptum, & ſi quid in illis ſcriptum fuiſſet, non potuiſſet innoteſcere Ario. Tota illa prodit hominem non græcum, ſed Iudæum. Vocula ὅτι videtur reſpondere ebraico כי; cognati Ebræis dicuntur

Pag. 129. 130. 130-132. 132-134. 134-139. 139-140. 140-149. 149-151.

Digitized by Google

fratres, non Græcis; *ἐιρήνη* notat hic, uti alias Ebræis, complexum qualiscumque proſperitatis, quo ſenſu apud Græ-
Pag. 151 - cos non venit. Vi foederis inituri, Spartani Iudæis offerunt
154. communionem omnium bonorum, quale quid in nullo foedere ullibi deprehenditur. Dicendi genus ubi reſpicitur, ſpirat dialectum vulgarem, ſive Alexandrinam, ſed Spartani Dorica utebantur. Objiciat aliquis, epiſtolam Dorica dialecto exaratam, in patrium converſam ſermonem fuiſſe. Verum hiſtoricus fatetur, ſe non metaphraſin quandam, verum *ἀν-*
154 - 158. *τίγραφον* exhibere. Ebraiſmus eſt in illis: *ἀπαγγέλλειν κατὰ ταῦτα*, reſpondens his עיבו להגיד לכם כאלה. Epiſtolæ non annus, quo ſcripta, eſt additus, & quæ hujus generis alia notat. Ex his illud efficit, epiſtolam hanc ab impoſtore recutito, eoque imperitiſſimo, qui neque elegantiæ græcæ ullum ſenſum habuerit, cui nec ſtatus reipublicæ Lacedæmoniæ perſpectus fuerit, confectam fuiſſe, qui denique ſcientia vulgari ad epiſtolam aliquam componendam præditus
160 - 163. haud fuerit. Nec ſolum epiſtolam hanc ſpuriam reputat, verum etiam totam hiſtoriam foederis inter Arium & Iudæos, & pleraſque res, quæ foedus hoc circumſtant, multis difficultatibus impeditas deprehendit, quod ſpecialius demonſtratur. Ex quibus non ultima hæc eſt, Arius Oniæ P. M. ſcripſiſſe dicitur, in ſerie autem ſacerdotum maximorum ſunt IV. hujus nominis, quos ſingulos ubi percurrit, ne unum quidem invenit, qui cum Ario uno eodemque tempore vi-
166 - 169. xerit, regnumque adminiſtraverit. Aliter judicat de epiſtola Ionathanis ad Spartanos, quæ ſcripta videatur ab homine pio, gravi, prudenti & rerum civilium ſatis perito, qui *τὸ πρέπον* ubique obſervarit, & ſtilum juſte temperaverit, niſi quod in illa crebra mentio foederis inter Arium & Oniam percuſſi, & cognationis, ſive fraternitatis inter utramque gentem commentitiæ recurrat. Iudicium quoque ſuum de precibus & ſacrificiis, quæ pro Spartanis quotidie offerri di-
169. 170. cantur, expromit. In verbis 1 Macc. XIII, 20. *κυκλῶσαι ὁδὸν ἐις Ἄδωρα*, legendum contendit *ἐις Δώρα*, v. 43. ſcribitur *παρενέβαλε Σίμων ἐπὶ Γάζαν*, ſed *Γάζαραν* reſcri-

Digitized by Google

ſcribendum eſſe, contra Froelichium erudite oſtendit, quo modo etiam habeant Syrus & Vulgatus, quod etiamdum *Humfredus Prideaux* docuerat: quam ſuam lectionem & utriuſque urbis ſitum confirmat. Hinc commentatur de mo- Pag. 171 -
nimento, quod honoribus Simonis fuit dicatum, quodque 174.
æneis inſculptum tabulis, in templo, e columnis ſuſpenſum, integrum exhibetur 1 Macc. XIV, 27-45. In hujus initio legitur *ἐν Σαραμὲλ*, quæ ita legenda eſſe judicat: *ἐν σαρ αμ ελ* (שער עם אל) *ἐπὶ συναγωγῆς μεγάλης ἱερέων κ. τ. λ.* *nobis in porta populi congregatis:* moris quippe fuit apud Iudæos, in portis publicos conventus agere. Epiſto- 175 - 176.
lam Lucii, conſulis Romani, quæ exhibetur 1 Macc. XV, 16 ſeqq. ex argumento, ſtilo, totoque orationis habitu falſi convincit, effictam ab homine inepto & ruſtico, forte eodem, qui Spartanorum ad Oniam litteras eſt commentus. Pro 176 - 178.
Κεδρῶν 1 Macc. XV, 39. legendum eſſe monet *τὴν Γεδωρὰν*, quæ urbs erat Idumææ, contermina Phoeniciæ, quæque memoratur Ioſ. XV, 58. prouti etiam vulgatus recte legit. Tandem ad epiſtolam de encæniis templi, Hieroſolymis ce- 178. 179.
lebrandis, accedit, quæ legenda ſiſtitur 2 Macc. I, 11. quam confictam eſſe probat ab homine Aegyptio, quod præter alia inde colligit, quoniam ſummam terræ ignorantiam prodat, & illa tempeſtate Aegyptus locupletiſſima impoſturarum officina fuerit. In qua epiſtola quoniam mentio fit arcæ foederis, itemque ignis ſacri olim in terræ latebris occultati, inde inventi rurſus, totum hoc argumentum ita ſolide diſcutit, ac adverſariis omnia effugia occludit, ut quid patroni hujus figmenti contra dicere queant, non adpareat. 2 Macc. I, 36. reperitur vox *Νεφθαρ*, quæ vertitur *καθαρισμὸς*, quam interpretationem ineptam jure pronuntiat. Quod ſi enim foret a פטר, quod in Niphal facit נפטר, tum *laxatum*, *exemtum*, *emiſſum* ſignificare deberet: interim aliquid veri in adpellatione *Νεφθαεί*, qua vulgus fuerit uſus, latere, cenſet, quæ probabiliter indicet *naphtam Babyloniam*. Hæc ſunt 181 - 204.
potiſſima elegantiſſimæ hujus commentationis momenta, ex quibus cel. Auctoris eruditio, ingenii acies, judicii ſoliditas,

 abunde

Digitized by Google

abunde adparent. Argumentum ſuum ita tractat, ut non facile aliquid prætermittat, quod ad ejuſdem pleniorem excuſſionem facere queat; objectiones, quæ alicujus momenti ſunt, acute ſolvit, leviores & exigui ponderis aliquando feſtive, imo jocoſe diluit & perſtringit, ſententiis poeticis in ſubſidium advocatis. Charta & typi non ſunt contemnendi, mendæ quædam, ſed levioris momenti, quæ a prudenti lectore facile animadverti poſſunt, hinc inde occurrunt.

CASTI INNOCENTIS ANSALDI, ORDINIS Prædicatorum, de forenſi Iudæorum buccina, commentarius.

Excudebat Brixiæ, Iohannes Maria Rizzardi, 1745. Superiorum auctoritate, 4. maj. plag. 18.

Ex titulo hoc non facile aliquis conjiceret, quæ potiſſima intentio cel. Auctoris ſit, & quod præcipuum argumentum eruditæ hujus lucubrationis: ſcil. rationem reddere ἀλεκτοροφωνίας; quæ tempore patientis Chriſti audita eſt Hieroſolymis, quod ex ſeqq. pluribus patebit. Quo igitur viam ſibi muniret, generalia quædam de buccinæ uſu forenſi apud Iudæos præmittit, fundamenti loco ſubſternens locum Num. X, 2 ſeqq. quæ adhibita fuerit, quoties populus, ut de communi re conſuleret, convocandus eſſet. Fatetur, temporibus judicum & regum, multa ex arbitrio geſta et populum raro convocatum fuiſſe: credibile tamen eſſe arbitratur, ſubinde populum ope buccinarum ad Comitia concelebranda convocatum fuiſſe. Quæ vero excitat loca, illa vel tempora turbulenta reſpiciunt, quoties nempe ſubitaneus hoſtium impetus metuendus erat, vel improprie ſunt
Pag. 1-5. accipienda. Nollemus hoc ipſi excidiſſe, *hiſtoriam judicum & regum adeo jejune ſcriptam videri, ut vix ſucceſſionem eorum ac bella geſta quaedam attigerit* p. 2. Cum reſtituta vero poſt captivitatem babylonicam reipublicæ priſca forma, uſum etiam buccinarum reſtitutum fuiſſe ſibi perſuadet. Haſmonæi quidem principes mutationem aliquam reipublicæ induxerunt, dubium tamen vix ipſi eſſe videtur, quin aliquas hic

ſibi

ſibi partes vindicaverit populus, uti ſe olim in rebus publicis Græciæ habuit. Quem ad modum autem Græci, quos æmulati fuerint Iudæi, populi conciones celebrabant; idem etiam feciſſe Iudæos, a probabili non abludere ratione arbitratur, atque illud jus etiam retinuiſſe, ubi in formam provinciæ ipſorum terra fuerit redacta, utpote qui ſub romanis quoque imperatoribus tanquam αὐτοκέφαλοι fuerint ſpectati. Quod ſi igitur Iudæi per id tempus ſuis quodammodo legibus, ſuis magiſtratibus fuerint gaviſi, colligit inde, ſuos etiam adparitores, miniſtros ac buccinatores habuiſſe, et prouti buccinis, diebus feſtis itemque calendis, fuerint uſi, ita etiam easdem ad populi univerſi agmen exciendum adhibuiſſe. Ad hunc morem tum temporis uſitatum, populum judaicum convocandi adludere judicat Chriſtum Matth. XXV, 30. 31. Paullum 1 Cor. XV, 51. 52. 1 Theſſ. IV, 16. quod conſenſu multorum interpretum comprobat. Iudæi tubis clangentes in feſto clangoris ſibi repræſentare voluerunt tubam, qua olim mortui excitandi, in cujus confirmationem adducit illud Paulli 1 Theſſ. V, 2. et Petri II ep. III. 10. qui ubi dicit, *diem domini venturum eſſe inſtar furis in nocte*, digitum intendi exiſtimat Auct. in nocturnas veterum coitiones, buccinæ ope repente convocatas, hominibus metu furum, aut alio quodam ſubitaneo caſu, congregatis. Verba ἐν φωνῇ καὶ ἐν σαλπίγγι 1 Theſſ. IV, 16. reſpiciunt ad morem veterum, quo in ſolemnibus concionibus praeco pariter atque buccinator munere ſuo fungebatur, quorum poſterior ſignum dare, vel ſilentium poſcere, prior, quæ edicenda erant, proferre ſolebat. Ex ſimilitudine igitur formæ regiminis inter Athenienſes et Iudæos judicat, tubam pariter atque vocem præconum in uſu fuiſſe. Iudæi tradunt, antequam Chriſtus cruci fuerit adfixus, præconem per multos dies proclamaſſe, ut, ſi quis in illius defenſionem aliquid dicere poſſet, id libere faciat, quod ipſum omnino cum inſtitutis Græcorum conveniat, in quibus haud raro multi multo cum ſtrepitu ſurgebant, orabant, accuſabant, vindicabant, ad quem morem Chriſtus ſermonem adcommodaſſe videtur Matth. XI, 41. 42.

Marginalia: Pag. 5-8. (beside "Græciæ habuit"); 8-11. (beside "dem ad populi"); 17-22. (beside "lebat. Ex ſimilitudine"); 22-28. (beside "Chriſtus ſermonem").

Idem

Idem adſtruit ex Matth. XIX, 28. XXV, 33. Apoc. VIII. & IX. in quibus quoniam tubarum & vocis fit mentio, ad morem judiciorum Iudaicorum adludi, & ex illo lucis aliquid
Pag. 29-33. accipere poſſe, cenſet. Omnium clariſſime hoc liquere exiſtimat, ex hiſtoria patientis Ieſu. Cum enim ad Pilatum ductus eſſet, præconem populum convocaſſe, quo ita damnationem omnes pronuntiarent, quorſum refert ἀλέκτορα illum, quem Chriſtus prædicit ter canturum eſſe Matth. XXVI, 34. coll. 75. in quam ſententiam ſe occaſione conjecturæ *Altmannianae*, buccinam caſtrenſem inferentis, quæ tamen in ſtativis & urbibus audita non fuerit, ingreſſum fuiſſe, fate-
33. 34. tur. Iudæorum quidem ſententiam de gallis gallinaceis Hieroſolymis non alendis, proprie accipit, proindeque cogitat de gallo extra urbem vocem edente, vel de gallo, qui in ædibus Romanorum fuerit altus, vel ab ipſis Iudæis adſervatus, cum domi ſuæ ſervare & edere, ſed non alere fuerit integrum. Sed objicit (1), ædes pontificis non ita propinquas fuiſſe, ut ſonitus in tanto ſtrepitu audiri potuerit, (2) Chriſti ſermonem fuiſſe familiariſſime conceptum, qui ad gallum apud Iudæos reſpicere non potuerit, cum non alue-
34-36. rint, ad illum autem apud Romanos non debuerit. Gallum autem proprie ſic dictum intelligi non poſſe probat, quia Marcus tantum de bis c. XIV, 30. 72. reliqui Evangeliſtæ de ter repetito cantu galli loquuntur. Diſſenſum hunc quidem tollere adniſi ſunt interpretum multi; quoniam autem in illorum conciliatione adquieſcere non potuerit, in illam de bucci-
36-48. na forenſi ſententiam ſe incidiſſe, adfirmat. Cui ut viam ſterneret, vocem ἀλέκτωρ diverſo ſignificatu accipi, docet (1), apud *Lycophronem* Alex. v. 1094. denotare *Graecos*, apud *Aeſchylum* Eumenid. v. 864. *Athenienſes*, cum hi populi fuerint pugnaciſſimi, (2) *conjugem*, etiam *virginem innuptam*. *Athenaeus* deipnoſ. L. III. c. 20. Palladem adpellat ἀλέκτορα, quam vocem *Caſaubonus* idem ſignificare docet, quod ἀειπαρθένον. De *homine* uſurpatur vox ἀλεκτρυὼν, ita *Zenobio* centur. proverb. VI. n. 34. dicitur Φιλίππυ ἀλεκτρυὼν *miles Philippi*, a Care quodam Athenienſi interfectus. *Upupam* ἀλεκ-

Digitized by Google

ἀλεκτρύονα olim dictitatam fuiſſe, ad *Plinium* obſervat *Hermolaus*. (3) Sumitur pro *numo:* ita in *Platonis* Phædone Pag. 48-52.
circa finem leguntur verba Socratis morituri: Ἀσκληπίῳ ὀφείλομεν ἀλεκτρύονα. Interpretes fere accipiunt de ſacrificio, Aeſculapio offerendo. Enimvero quis credat, hominem, qui deos patrios irridebat, & cui hoc fixum immotumque ſedebat, mortem imperterrito exſpectare animo, voluiſſe ab Aeſculapio opem aliquam petere. Igitur certa pecuniæ ſpecies, ab impreſſo gallo ita dicta, eſt intelligenda, quam ſe homini alicui, cui nomen erat Aeſculapio, debere norat. Moris autem erat apud Græcos, numiſmatibus nomina ab animantibus, quorum figuras præferebant, imponere. Hinc in proverbium apud illos abiit βοῦς ἐπὶ γλώττης, quod de illis dicebatur, qui pecunia corrupti, quod ſentirent, libere proferre non auderent: *Zenob.* cent. II. prov. 70. it. cent. III. prov. 48. Erat autem βοῦς certa numi ſpecies. De numo etiam verba *Sophoclis* apud *Plutarchum* 52-55.
de orac. def. interpretanda eſſe, conjectat: οὑμὸς δὲ ἀλέκτωρ αὐτὸν ἦγε πρὸς μύλην, *hunc gallus molarem ad lapidem duxit meus:* verba ſunt *Admeti*, cui ſe certa mercede in ſervitutem addixerat *Apollo; gallum* igitur nominat pro *numo*, cui gallus erat impreſſus. (4) Denotat *tubicinem*, ſive *buccinatorem*, itemque *buccinam*. Sic *Athenaeus* deipnoſ. L. III. c. 21. 55-57.
Δημάδης ὁ ῥήτωρ ἔλεγε τὸν σαλπιγκτὴν εἶναι κοινὸν Ἀθηναίων ἀλέκτορα. Eodem ſenſu adhibet *Ariſtophanes* in Veſp. 87 ſeqq. *Plutarchus* cum gallis *contra canentibus* comparat illos, qui in publicis concionibus obloquerentur. Apud Athenienſes more erat receptum, ut buccinator ſemel ad Ἐκκλησίας, ordinaria nempe judicia, aut ad conciones ſtatas, ſignum tuba daret: bis autem clangeret ad συγκλήτους ἐκκλησίας, quæ & κατεκκλησίαι, item καταεκλησίαι nuncupabantur, quoties inexſpectatum aliquod ancepsque bellum imminebat, aut civilia quædam negotia citius, quam in ordinariis concionibus fieri id ſolebat, expedienda eſſent. Ex quo more interpretatur ea, quæ *Ariſtophanes* in ἐκκλησιαζούσαις habet, qui perpetuo ad ritus, quibus in areopago ob-

 ſecunda-

Digitized by Google

ſecundabant, adludat: ſed in hac ipſa comoedia adpellatur ἀλεκτρυὼν, de illoque pronuntiat, ſecunda vice ſonitum dediſſe. Utitur comicus hac voce ad buccinatorem fori deſignandum, qui pro forma areopagitici judicii, nocturno tempore buccinare ſolebat; quo ita concilium e ſomno excitaret. Atque hanc
Pag. 57-64. ſimilitudinem aptiſſimam eſſe judicat ad rem, quam intendit, vivide exprimendam. Galli ſummo mane cantant, homines e ſomno excitant: tubicines in Græcorum urbibus matutino tempore ad forum vocabant judices, clientes, cauſſidicos. Eodem ſenſu, quo Demadi, vox ἀλεκτρυὼν eſt apud *Theognidem*, item Auctorem βατραχομυομαχίας, & *Lucianum*. Ne quis autem dicat, Demadem eſſe ſophiſtam, in horum autem ſcriptis poeticas frequentiſſime offendi locutiones, obſervat A. locutiones metaphoricas, a communi maximeque obvio uſu eſſe tranſſumtas. Conſtitutionum apoſtolicarum Auctor, tem-
64-68. pus, quo primi Chriſtiani preces, ſigno edito, fundebant, deſcripturus, ita ait: ἀλεκτρυόνων δὲ κραυγὴ διὰ τὸ τὴν ὥραν εὐαγγελίζεσθαι τὴν παρουσίαν τῆς ἡμέρας, quæ *Fronto* de publico ſigno dato interpretatur. Cum vero tum temporis ſignum aere campano non daretur, nonniſi de ſigno a tubicine, ſive publico præcone facto, qui ratione antelucani ſonitus gallus dicebatur, accipi poſſe pertendit: quale quid hodierno adhuc die, apud populos orientem verſus ſolem ſitos, obtinet, ſacerdotibus ſuper editiores turres clamitantibus, & homines ad orationem convocantibus. Porro præcones
68-70. *conciones populi matutino tempore tubae ſonitu* cogebant, in quem morem digitum intendit βατραχομυομαχίας Auctor. Quæ ratio eſt, quare inſtrumentum muſicum, quo diluculo clangebant, adpellaverint ἀλέκτορα. Ita *Athenaeus* deipnoſ. L. IV. adducit verba *Jonis*: ἐπηῦδ' αὐλὸς ἀλέκτωρ Λύδιον ὕμνον Ἀχαιῶν, *reſonabat tibia e ſomno excitans Lydium hymnum Achivorum*. Ad quem locum notant *Caſaubonus & Dalecampius*, tibiam dici ἀλέκτορα, quod gallorum inſtar dormientes expergefaciat: quem locum Noſter cum alio *Plutarchi* confert. Exiſtimat tamen, hic, non tam *tibiam*, quam

Digitized by Google

quam *buccinam*, ſive *tibiam* ad formam vel ſonitum buccinæ proxime accedentem, indigitari, quod ex *Athenaeo* & aliis firmare adnititur. In verbis illis *Ionis* apud *Athenaeum*, deipnoſ. L. IV. προθεῖ δὲ τοι σύριγξ Ἰδαῖος ἀλέκτωρ, vidit *Iudaeos*; Iudæos quippe *Idaeos* dictitatos fuiſſe, refert *Tacitus* hiſtor L. V. Ἰδαῖος ἀλέκτωρ eſt Iudæorum buccina, ut hinc, ſubſtituta vocula ſimilitudinis ὡς, verba reddi debeant: *praecurrit vero fiſtula tamquam Iudaeorum buccina*. His expoſitis, verbis evangeliſtæ πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, hunc aptat ſenſum: *antequam buccinator ſignum det*, vel *antequam buccinator tuba clangat*, ad concionem videlicet populi convocandam. Porro, ubi rerum a Chriſto geſtarum ſcriptores ſcribunt, καὶ ἐφώνησεν ἀλέκτωρ, interpretatur: *& buccina ſignum dedit Iudicii, & concionem buccina vocavit, & tuba ſua clanxit ad coetum forenſem vocandum buccinator*. Verba Marci πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, judice cel. *Anſaldo*, accurate conveniunt cum loco *Ariſtophanis*, ſuperius excitato, quo dicit ὅτε τὸ δεύτερον ἀλεκτρύων ἐφθέγγετο, pariter κῆρυξ δεύτερον κεκόκκυκεν, ad univerſam populi concionem extra ordinem & ſubitario congregandam. Fundamentum ſuæ ſententiæ ponit hoc, *magnas in republ. adminiſtranda partes, tempore illo Iudaicum ſibi vindicaſſe populum: in rebus maximi momenti, inque judicandis violatae religionis reis, pro graecanicorum forma conventuum, advocari populum debuiſſe; id haud alio quam buccinae, ſive tubae ſigno, fieri ſolitum fuiſſe*. Aliud argumentum ex ſignificatu verbi φωνεῖν & φωνῆς adducit, quod de buccinæ ſonitu ſæpius adhibeatur apud τοὺς ἑβδομήκοντα, item Matth. XXIV, 31. καὶ ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης. Symbolum *Pythagorae*, ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ, de *gallo*, proprie ſic dicto, interpretes vulgo accipiunt, ſc. a gallo albo abſtinendum eſſe, qui Iovi ac lunæ ſacer fuerit, quique habitus ſit nuntius horarum ac diei. Sed quoniam ita etiam prohibere debuiſſet animalia diis ſacra, porro ab eſu nigri ac diverſi coloris galli, quem tamen etiam horas diemque prænuntiare novimus: hic quoque *forenſem gallum*, ſive *praeconis vocem*

Pag. 70-75. 75-77. 77-80. 80. 81.

atque *tubam*, ſibi videre eſt viſus. Quare hunc vult eſſe ſen-
ſum, *conciones, quas forenſis gallus convocabat, eſſe evitandas*,
in quibus major eſſet confuſio ac tumultus, in quibusque
etiam invidia non æque declinari queat. Adpellavit autem
gallum album, quo ita a gallo gallinaceo diſtingueret: *color*
enim *albus* apud Græcos pro *colore nativo* habebatur, unde
illud, *gallinae filius albae;* aut quod *alba veſtis* apud Græcos
Pag. 83-86. fori veſtis eſſet. Argumentatus adhuc erat ex notione ἀλέκ-
τωρ: jam ſententiam ſuam ex ipſo orationis nexu fulcire ad-
laborat. Dixerat Chriſtus Petro, *antequam gallus bis canet,
ter me negabis:* reſpondit Petrus, *ſi vel me tecum oporteat mo-
ri, non tamen te negabo,* Matth. XXVI, 34. 35. Ex familiari
igitur dicendi formula novit Petrus, hoc velle magiſtrum, *an-
tequam forenſis buccinator, concionem, in qua morte damnandus
ſum, tuba ſua cogat, vel antequam judicium de me fiat in con-
cione.* Apte igitur regerit: *etiamſi forenſis illa concio me
quoque morti deſtinatum dixerit, & moriendum mihi tecum
fuerit, nunquam tamen perfidum dicam ſacramentum.* Iudi-
cium quippe illa nocte imminebat adverſus Chriſtum, co-
gendi erant judices atque teſtes, par igitur erat, ut mentio
præconis fieret. Imo audacter provocat A. ad conſenſionem
tum veterum, tum recentiorum populorum, apud quos abs-
que *praecone* ac *tuba* factum nunquam fuerit, aut fieri potue-
rit reorum judicium. Talem quoque apud Iudæos in uſu
fuiſſe ſuſpicatur, & probabile ipſi eſſe videtur, romanum
præſidem reos in concione hieroſolymitana condemnaturum,
Iudæorum buccinatore ad eam convocandam uſum fuiſſe.
Equidem שופר *buccina,* & חצוצרה *tuba,* differunt: ſed magi-
86-89. ſtri diſcrimen non æque obſervant. Neque exiſtimandum eſt,
populum caſu quodam, aut curioſitate actum, triſti ſpecta-
culo interfuiſſe, ſed potius, prouti id in græcorum judiciis
obtinebat, tanquam teſtem præſentem fuiſſe. Delabitur hinc
A. ad quæſtionem, num patiente Chriſto, jus vitæ ac necis ha-
buerint Iudæi. Quod, examinata ante ſententia *Bacchinii*,
adfirmat, dicens, ipſis quidem jus hoc competiiſſe, ſed non plane
liberum, Chriſtum a concione populi damnatum fuiſſe, cui
tamen

Digitized by Google

tamen præfuerit Pilatus. Probat hoc Exemplo Ieremiæ ex antiquioribus temporibus Ier. XXVI, 8 ſeqq. recentioribus, quod de Herode in jus vocato, refert *Ioſephus* A. I. l. XIV.
c. 9. Cum vero in illis conventibus populi multa turbulenter Pag. 89-97.
& ſeditioſe fierent, Romani, maxime ſub Principibus, cavebant, ne in illis ſoli eſſent, ſed ut conciones moderarentur præſides, imperabant. Cædes Iacobi, abſente præſide patrata, Anano gravem iram Albini attraxit. Senatus Iudæorum Chriſtum quidem gravi ſupplicio adficere conſtituerat, ſed exſecutioni dare non poterat: quare cum temporis ſatis datum eſſet populi concionem tubæ ſono convocandi, omnis
multitudo duxit eum ad Pilatum, ubi accuſare coepit. Sed 97-101.
quoniam ſibi obſtare vidit conſilium ſynedrii, ne in feſto interficeretur, ne tumultus in populo oriretur Matth. XXVI, 5. reſpondet, Iudæorum primores, plebis numerum, & ſolitam extra ordinem coactis in concionibus licentiam, nimium extimuiſſe. Igitur noluiſſe univerſum populum Iudaicum, ad feſtum confluentem, congregatum, cum in iſtis *concionibus repente convocatis* ſemper inordinati multum, ac maximi tumultus orirentur, quos compeſcere non ita facile erat. Comprobat hoc ex Pſ. II, 2. in quo loco Iudæorum concio, cui ethnicus proconſul præerat, eſt intelligenda, quod multo-
rum ex patribus interpretum conſenſu A. confirmat. Dubium 101-107.
adverſus *Altmanni* ſententiam, vir aliquis doctus, qui ſe non nominavit, in bibl. Brem. cl. VI. faſc. 6. p. 1071. 1072. moverat, *Chriſtum dominum non uſum eſſe dialecto graeca, ſed Aramaea.* Legit cl. *Anſaldus, Armena,* quod pro mendo aliquo typographico haberi poſſet, ſed repetit vocem, imo, quod miramur, adverſus anonymum eum diſputat, Chriſtum non *Armena*, ſed *Syriaca* dialecto fuiſſe uſum. Eſtne igitur dialectus *aramaea*, quam recte nominat anonymus, eadem cum *armena*? Neminem fugit, Aramæorum nomine venire Syros. Hoccine eſt proprios debellare errores? Sed hæc ἐν παρόδῳ. Ad objectionem reſpondet (α) generatim, cum Matthæi textum habeamus nonniſi græcum,

non aliam ſupereſſe viam eruendi verum ſenſum vocis con-
troverſæ, quam ut diſquiſitio vocis ἀλέκτωρ inſtitua-
tur. (β) Aliquam vocis hujus rationem dari poſſe ex ſcri-
ptis Talmudicis. Verba in cod. *Ioma* קודם קריאת הגבר
denotare poſſunt, *antequam gallus canat*, item *antequam*
praeco vocet, quod idem ſit, ac *antequam buccinator clangat.*
Ipſe enim fatetur *Relandus*, vocem גבר notare & *virum* &
gallum gallinaceum; porro in Gemara locutio קרא הגבר per
illud כרח כרוזא *clamavit praeco*, explanatur. In vocibus ho-
monymis, inquit A. ad alia ſæpe ſubſidia confugiendum eſt; ſic
ὄνος notat & *urnam* & *aſinum*, unde gentiles calumniandi anſam
ſumſerunt, Iudæos caput aſini venerari; quæ ambiguitas quo-
Pag. 107- que ineſt voci huic apud Ebræos. Sollicitat quoque inter-
113. pretem vulgatum, quo illum in partes ſuas trahat. Ille red-
dit, *antequam gallus cantet*, & *gallus cantavit;* ubi *gallus fo-
renſis*, ſive *praeco*, notione apud latinos ſcriptores ſatis uſi-
tata, intelligendus ſit. Ita voce uſus *Cicero* in or. contra
Piſonem n. 26. pro L. *Muraena* n. 9. *Horatius* ſat. I. Significa-
tio hæc, durante adhuc ſermonis latini caſtimonia et maje-
ſtate, intellectu fuit facilis, verum ſequentibus temporibus,
quibus barbaries dominari coepit, vox ἀλέκτωρ, & latina
gallus, pro *gallo gallinaceo* ſumi eſt coepta, cui multi dein varias
114-117. conſiderationes ſpirituales & myſticas ſuperſtruxerunt. Sub
finem hujus commentationis diſſerit A. de loco, ubi forenſis
buccina fuerit audita. Quamdiu in ſolitudine Arabiæ oberra-
bant, ad oſtium tabernaculi fiebat; templo erecto, ad ejus-
dem atrium. Inde lucem aliquam verbis Salomonis Prov. I.
20. 21. inferri poſſe ſibi perſuadet, quibus proponitur, ſa-
pientiam in capite turbarum undique confluentium, vocem in
loco eminentiori edere. A temporibus Maccabæorum, con-
ciones Iudæorum ad exemplar concionum græcarum ſunt
convocatæ. Sequentibus temporibus miniſter ſynagogæ,
quod auctor libri Siphri ad Num. X. notat, tuba ſumta, ſum-
mitatem editiſſimi tecti civitatis conſcendit, ad ſabbathi cele-
brationem homines convocans, ut per urbem, & in ſubur-
biis

biis audiri potuerit. Sic igitur privati αὐτονομίας, uſum tamen tubæ retinuerunt, qua etiam in excommunicationibus utuntur. Prolixiores aliquantulum fuimus, tum quod cel. Pag. 117-
Auctor novam protulit ſententiam, tum quod Libri in Ita- 121.
lia excuſi in Germania noſtra non ita ſunt frequentes. Lex, quam *de gallis gallinaceis Hieroſolymis non alendis*, habemus in *baua kama* c. VII. §. 7. viros eruditos ſollicitos tenuit, qui dici queat, galli cantum tempore Chriſti patientis Hieroſolymis fuiſſe auditum. Non repetemus hic, quæ a *Relando*, aliiisque viris doctis ſunt notata. Hoc tantum obſervamus, cum gallorum gallinarumque comeſtio Iudæis non fuerit interdicta, imo conſtet, gallos gallinaceos Hieroſolymis fuiſſe habitos, (teſtantur quippe cod. עדיות c. I. §. 4. gallum gallinaceum Hieroſolymis ob necem pueri fuiſſe interfectum,) legem hanc non omnes & ſingulos cives, ſed ſacerdotes tantum obligaſſe. Conjecturæ noſtræ has habemus rationes: (α) quia cauſſa interdicti additur מפני הקדשים, *propter conſecrata*, ne ſc: galli, terram effodientes, vermes & inſecta eruerent, quibus res ſacræ polluerentur, ſed illæ ſpectabant maxime ad ſacerdotes. (β) Quia etiam מפני הטהרות, *propter puritates*, ſacerdotibus extra urbem, in terra judaica, integrum non fuiſſe edicitur, alere gallos. Vel ambigi poteſt, num in terris verſante Chriſto, lex hæc jamdum perlata fuerit: neminem quippe fugit, circa tempora Chriſti, vel non ita multo poſt, a Iudæorum doctoribus excogitata eſſe multa, quæ tuendæ externæ puritatis ἀκριβείᾳ tantum inſervierint. His obſervatis, ulteriori diſquiſitioni facile nuntium mittimus. Viſum tamen fuit cl. *Altmanno, buccinatorem*, qui ſono buccinæ excubias nocturnas commiſerit, invehere; quam ſuam conjecturam, ex uſu vocis ἀλέκτωρ & ἀλεκτρυών apud ſcriptores græcos adſtruere eſt conatus. Sed inventi ſunt viri docti, ex quibus præter anonymum, ſuperius nominatum, potiſſimum laudari meretur *Io. Doitsma*, Muſ. Brem. Vol. I. P. III. p. 377-390. qui producta loca ſtudioſe luſtravit, liquidoque demonſtravit, in illis vocem ἀλέκτωρ & ἀλεκτρυών proprio ſenſu

ſumi

ſumi debere. Addatur *Bochartus* hieroz. P. II. L. I. c. 17. p. 119 ſeq. *Altmanno* ſucceſſit doctiſſ. *Anſaldus*, qui buccinatorem non militarem, ſed *civilem* & *forenſem* in ſcenam produxit, iisdem fere locis, quibus *Altmannus*, motus: verum cum ipſum non lateret, quid hujus ſententiæ vitio datum eſſet, ipſius fuiſſet, loca illa ab exceptionibus virorum doctorum vindicare. Maccabæos voluiſſe rempubl. ſuam ad morem rerumpublicarum Græcarum, ſpeciatim Athenienſis, inſtruere, a probabili abludit ratione: illa quippe tempeſtate, ab inſtitutis græcanicis abhorrebant Iudæi, nec novimus tubæ uſum alium fuiſſe, quam *bellicum*, I. Maccab. III, 54. IV, 13. VI, 33. VII, 45. IX, 13. vel *ſacrum* Siracid. L. 16. Tempore Chriſti, buccinam uſum forenſem inter Judæos obtinuiſſe, nullo teſtimonio probari poteſt; habemus tantum in N. T. locutiones emblematicas, ab uſu tubarum mutuatas; nec Romani, rerum domini, permiſiſſent, coitiones populares fieri. Alia miſſa facimus. Stilus Auctoris eſt ſatis emendatus, niſi quod ſingularem ſubinde adfectet orthographiam, & vocum trajectionibus utatur, quæ aliquando ſenſum dubium reddunt; mendæ etiam aliquot typographicæ offendunt. Charta & typi ſe omnino commendant.

JO. CHRISTOPH. STRUCHTMEYERI *Theologia mythica, ſive de Origine Tartari & Elyſii L. V.*

Harderov. ap. Guil. Brinkink, bibliopolam, 1743. 8 maj. Alphab. 2. plag. 10½.

Quem titulum huic ſuo libro dedit cl. Auctor, *de Origine Tartari & Elyſii*, eſt anguſtior eo argumento, quod tractandum ſumſit. Non tantum enim agit de ſtatu hominum fato functorum, qui ex veterum doctrina vel in tartarum tenebricoſum detrudebantur, vel in lucida illa omnique beatitate referta regna evehebantur: verum etiam univerſam fere theologiam mythicam percenſet. Nec conten-

Digitized by Google

contentus eſt, fabulas de diis, deabus, dæmonibus, ſemonibus, ac heroibus retuliſſe, verum etiam in rationes arcaniores inquirit, *Platonem* in pleriſque ſecutus. Equidem, qui fabulas poetarum explanare adhuc ſategerunt, illi eisdem vel *phyſicum*, vel *moralem*, vel *hiſtoricum* ſenſum ſubeſſe, non infeliciter in multis demonſtraverunt. Aliam viam eſt ingreſſus erudit. Auctor, qui, præter ſenſum moralem, plurimas, easdemque graviſſimas doctrinæ revelatæ veritates, fabularum ænigmatibus tectas & obvelatas; quinimo vaticinia de Chriſto, ejus perpeſſionibus ſatisfactoriis, morte, reſurrectione, adſcenſu in cælum, ejusque regno, & illius diverſis fatis, hic ſibi deprehendiſſe eſt viſus. Multæ etiam actiones deorum atque heroum, ritusque, adeo ſingulares ei ſunt viſi, ut tamquam typos rerum ſublimiorum ſpectarit. Ita ipſe contrariam omnino viam, quam olim *Spencerus* calcavit, ingreſſus eſt: uti enim hic ſuis hypotheſibus omnem ſignificatum typicum excluſit, prorſusque ſubvertit; ita ille non ſolum agnoſcit ſenſum arcaniorem in legis ritibus, directe intentum, verum etiam pomoeria theologiæ typicæ tam late protendit, ut jam, ipſo auſpice, typos rerum ſpiritualium & ſublimiorum, in profanarum quoque gentium doctrina fabuloſa invenire poſſis. Enimvero, cum in typis conſtituendis certos nos eſſe oportet, ritum aliquem ea intentione a Deo eſſe inſtitutum, vel actiones cujusquam provida dei cura ita fuiſſe temperatas atque directas, ut ſublimioris alicujus rei umbræ atque effigies eſſe potuerint: noſter, levi quadam, vel etiam longius petita ſimilitudine ac convenientia deprehenſa, nullus dubitat, malefido huic tibicini ſuperſtruere veritates graviſſimi momenti. Quæ demonſtrandi via ſi cognita fuiſſet Chriſti legatis, & primis civitatis chriſtianæ doctoribus, neceſſe non habuiſſent, vanitatem & turpitudinem profani cultus tam operoſe evincere; ſuffeciſſet hoc, ut deorum hiſtoriam & ritus declaraſſent, & quo fine, quave intentione, ab antiquis illa omnia vel conficta, vel inventa eſſent, indicare. Hac via, paganos ſuis armis debellare, illisque myſteria ob animos ponere potuiſſent, quæ primi conditores religionis in oculis habuerant. Cujus

generis demonſtrationes, num hoc tempore expediant, quo religionis veritates, juſtis libratae ponderibus, adunco ſuſpenduntur naſo a plurimis, prudentioribus dijudicandum relinquimus. Illud etiam notandum eſt, ipſum regnum elyſium & tartareum adeo lato ſumere ſenſu, ut illud ſtatum hominum piorum hac in vita, hoc impiorum, ſignificet. Excurrit etiam aliquando in inveſtigationem vocum, atque ad primas illarum origines regreditur, in quibus doctrinam quidem ſuam, & antiquorum ſcriptorum lectionem, ſatis teſtatam facit, ſed & hic ſubinde prudentiores coacti aliquid offendent. Enimvero, ne quid præter jus & fas dixiſſe videamur, quædam ſpeciminis loco in medium proferemus, poſteaquam generalem totius commentationis partitionem exhibuerimus. Diſpeſcitur in V. libros, quorum I. eſt de *natura & indole tartari*, II. de *fatis tartari & elyſii*, III. *de allegoriis ab hominibus ductis ad deſcribendum tartarum & elyſium*, IV. *de animalibus, arboribus, & metallis, quorum in tartaro & elyſio ſit mentio*, V. *de quatuor vulgaribus elementis, terra, aqua, aëre, igne, & hic adſinibus rebus, quibus comparantur tartarus & elyſius.* Ut ordine ſingulas has partes luſtremus, & quid in illis obſervatu dignum occurrat, enotemus, longum foret nimium: quare quædam tantum, quæ præ aliis attentionem merentur, brevi quaſi tabella repræſentabimus.

L. I. c. I. differens de tartaro & campis elyſiis, per hos intelligit felicitatem futuræ vitæ in Chriſto, per illum cruciatus impiorum, itemque proſperum rerum ſucceſſum in hac vita,
Pag. 1-6. & calamitates. Credidiſſe deum *unum & trinum* gentiles autumat; quorum poſterius inde probat, quia numerum *ternarium* habuerunt pro perfecto, *Virgil.* ecl. VIII. 73. & in quolibet deorum genere tria recenſent numina, quæ tamen
17-22. inter ſe natura ſint conjuncta. Sed vero, num inde ratio duci poſſit, ambigimus. Autumabant, deos, maxime ſuperos, *numero impare gaudere,* Virgil. eclog. VIII. v. 75. quod ipſum *Servius* & alii notarunt, hinc numerus non ſolum *ternarius*, verum etiam *ſeptenarius* apud ipſos ſacer habebatur, *Macrobius* in ſomnium Scipionis L. I. c. VI. *Filium dei* invenit in illis, qui

Digitized by Google

qui ex diis geniti fuiſſe dicuntur, ſpeciatim in *Hercule*, qui
deus Fidius, i. e. *deus filius*, l in d, ut ſæpe fit, converſo.
Sancus fidius eſt *ſanctus filius*. Hujus nativitas, qua hominis,
repræſentata eſt per *Palladem*, ex cerebro Iovis ortam. *Ce-*
rebrum Iovis eſt ſumma dei *Sapientia; Vulcanus*, qui aperit
caput, eſt *ſpiritus ſanctus; ſecuris*, qua findebatur caput, eſt
doctrina caeleſtis, quæ eſt acuta; ex aperto capite proſiliit
Pallas, grandis jam & armata, dominus noſter ſimul atque
editus eſt, ſe orbis vindicem demonſtravit, qui armata manu
populum ſuum defendit. Idem inveniſſe ſibi viſus eſt in Bac-
chi natalibus. *Spiritus ſanctus* ipſi in eo obvenit, quia ubi Pag. 22-27.
Iupiter, vel alius aliquis deus adparuit, ſemper illi alius
deus comes datur: ita filius, ad opus ſalutis conſummandum
non ſolus venit, ſed ſpiritum ſanctum ſocium atque adjutorem
accepit. Speciatim uterque latet in fabula *Caſtoris* & *Pollucis*,
quoties adparent naufragia, quo ipſos vindicent ab interitu. Pu- 28-30.
gna, quam ſuſcepit Hercules cum Plutone, Acheloo, aliis, re- 30. 31.
praeſentat luctam filii dei cum diabolo. Tartarus & elyſii campi
delineant ſtatum eccleſiæ, tum in hac, tum in altera vita,
& impiorum hominum conditionem. *Oſiris* eſt filius dei, 33-59 ſeqq.
Iſis populus ab ipſo redemtus. *Tartarus* eſt locus, in quo
impii criminum ſuorum ſupplicia, eaque graviſſima luunt,
quæ tamen gradu ſint diverſa, e quibus nec liberatio aliquan-
do ſit exſpectanda. Illuſtratur locus I Petr. III, 18. Μετεμ- 83-89.
ψυχωσιν explicandam eſſe cenſet de homine vel populo, vel
humano genere, prout in hoc orbe ſe habet, modo felici,
modo infelici, modo pio, modo nequam & calamitoſo.
Errori huic originem dediſſe videtur ei ſententia, fore ut ali-
quando mortui in vitam revocentur. Tartareum regnum eſt 97-105.
antiquiſſimum; impii homines ſunt natura filii diaboli, & in-
colæ tartari, pro quibus filius dei cruciatus tulit inferorum.
Tartarus cum fine mundi eſt delendus, hoc orbe autem du-
rante, modo gens elyſia, modo tartarei prævalent: quo
ſignificatur, pios, antea calamitatibus tartareis oppreſſos,
emergere, & iterum florere incipere; contra impios, qui
uſi fuerint elyſiis voluptatibus, rurſus in miſeriam detrudi.

Digitized by Google

Annus magnus, quem ſequetur ἀποκατάστασις, complectitur totum tempus, quo mundus durat, vel deſcribit tempus,
Pag. 140- quod ante ſervatorem noſtrum, & poſt ipſum fluxit. De
143. numeris ſacris, eorumque ratione, diſſertationem A. inſtituit p. 143-157. quam aliquibus interjectis proſequitur p. 158-203. Exhibet ſententiam Zoroaſtris de duplici deo, alio auctore boni, alio fonte mali, ex *Plutarcho* de Iſide & Oſiride p. 369. *Oramazes* vitæ & lucis auctor, deſignat filium dei, *Arimanius* diabolum, *Mithras*, qui medius intercedit, homines notat ſervandos, qui, licet luci ſunt adſcripti, multis tamen tene-
210-215. bris animum adhuc habeant obſitum. Notat aliquos errores veterum circa converſionem mundi: (1) ſæpe eos confundere ultimam rerum converſionem, cum intermediis; (2) putare, eadem fata ſine fine recurſura, nec mutationibus iſtis terminum futurum eſſe; (3) deum ita cum mundo eos combinare, ut unum cum illo conſtituat; (4) quæ allegoricum habent ſenſum, ea ipſos proprie & litteraliter exponere, v. c. quæ Sibylla Cumana, apud Virgilium, de Ieſu Chriſto ejuſque regno cecinit, explicare deflorente ſtatu imperii ſub Auguſto.
244-249. *Ianus* non eſt ab Ebraico יין, ſed ירח *menſis*, dicitur enim *lunus* & *lu us*; probatur hoc etiam inde, quoniam Diana eſt
267-269. quaſi *dea Iana*, quæ eadem cum luna. *Curia* non eſt dicta a *cura*, quod in illa publicæ curæ invigiletur, ſed a κύριος, ſive filio dei, cui ſe addicebant, & per quem ſe itidem dei
274. filios gloriabantur. Germanorum *God*, qui & *Wod* antiquis dicebatur, reducendum eſt ad nomen *Iovis*: *Hercules* mortuus & redivivus repræſentat filium dei, pro ſuis vita fun-
288-291. ctum, & reſuſcitatum. Caritas electorum in ſe invicem, & in ſervatorem ſuum, mortem, ſi res ita ferat, non recuſantium,
291. occaſionem dedit fabulæ de *Pylade* & *Oreſte*. *Saturnus Caelo* patri genitalia deſecans, ſignificat falſos doctores ſuis mendaciis & calumniis impedientes, quo minus procreatio liberorum ſanctorum fiat, & efficientes, ut pietas atque veritas,
292-299. ejusque defenſores, falce quaſi exſcindantur. *Venus* ex ſpuma maris enata, notat homines, poſt motus concupiſcentia-
299-300. rum & calamitatum ad vitam meliorem redactos. Morituri

de

Digitized by Google

de rebus futuris vaticinantur, quia, quo propius ad mortem accedunt, eo felicitatis & divinitatis magis fiunt participes: *Socrates* apol. p. 39. & ſecundum *Platonem* de leg. L. XI. T. II. p. 931. ſenum & parentum imprecationes non ſunt negligendæ; hinc ratio ἀποθεώσεως eſt petenda. *Platonis* Phædo Pag. 304.
explicatur, de αὐτοχειρίᾳ ſc. de ſejunctione ab adfectibus 308.
& vitiis; quam mortem dicebat: de reditu felicium in hæc corpora, de converſatione & colloquiis in beatorum ſede cum ſapientibus & heroibus: de immortalitate animarum. *Atlas*, eſt typus impurorum hominum, eorumque ducum & 310-327.
anteſignanorum; aut ipſe, tanquam filius dei, cælum ſuſtentat, ne regnum illud divinum labaſcat, & in ſuffulciendo iræ divinæ gravitatem experitur. Adduntur quædam de forma 336-339.
Herculis Gallici, ejusque ſignificatione arcaniori, ex *Luciano*, de Druidum ſapientia, & Bachi ſpecie, in Indos moturi. *Virgilius* Aeneid. VI. 426. infantes in tartari veſtibulo 339-341.
ponit; ſunt hi imago hominum piorum, qui in tartari ſunt poteſtate, & omnibus modis ſine culpa ſua vexantur. Illuſtratur hoc teſtimoniis *Senecae* tragici, & Platonis. Prope hos ponuntur falſo mortis crimine circumventi, virique fortes, qui in bello ceciderunt, aut mortem anticiparunt; qui filium dei adumbrant cum ſui cultoribus. Animæ hominum violenta morte peremtorum, quæ circa ſepulcra vagari dicuntur, deſignant pios, qui in hac vita multam vim perpetiuntur, & ad quietem atque felicitatem nondum pervenerunt. Galli 351-356.
Cybeles genitalia ſibi amputari curarunt, quo ſignificatur, partim homines caſtos ſe iis membris orbare, quibus illorum libido irritetur, partim ferre miſerias, ne felicitatem ſuam amittant, aut deum prodant. Commentatur A. & de feriis atque 368-371.
feſtis diebus, in honorem deorum inſtitutis, item de *Vacuna*, per quam nonnulli intelligunt *Minervam*, quæ fere Chriſtum ſiſtit, qui otium nobis & pacem laborando adquiſivit. Ex feſtis autem diebus, qui inde ab antiquiſſimis temporibus inter gentes obtinuerunt, concludit, ſeptimum quemque diem, ante Moſen, olim otio ſancto celebratum fuiſſe. Quod *Seneca* in 379-384.
Hercule furente v. 760. ſeqq. habet, id *non alio trahi poſſe judicat*,

Digitized by Google

dicat, quam ad Servatorem noſtrum, niſi quis velit vim orationi
Pag. 396- *& parabolis facere.* A ſapientia nomen habet *Minerva*, a
403. *μένος*, quæ eſt ipſa vox latina *mens*, ſive *animus*: quoniam
autem filius dei omnis ſapientiæ fons origo atque præſes eſt,
403-406. ex ipſius perſona hæc dea eſt ſumta. Veteres comminiſcun-
tur, homines aliquando in feras fuiſſe mutatos, ipſosque dei
vindicta ferinam induiſſe figuram. *Lycaon*, a Iove punitus,
refert imaginem Iudæorum, a deo propter necem filii ſui pu-
nitorum. Diluvium Deucalionis, & quidquid priſci finxe-
runt de incendio orbis futuro, repræſentat excidium vrbis
Hieroſolymitanæ. *Minos* eſt Chriſtus orbis Servator, rex po-
puli dei ſanctiſſimus, qui propter filium, i. e. miniſtros & pro-
phetas ſuos ſcelerate & ex invidia interfectos, bellum adver-
427-436. ſariis ſuis intulit. Hercules ſe vivum expediens ventre balæ-
næ, capillis amiſſis, eſt Chriſtus, qui naturam humanam
dedit, & necatus eſt, cum inferorum tyrannum adoriretur
456. 457. & deleret. *Menes*, primus Aegypti rex, qui idem eſt ac
Minos, in Myridis lacum a propriis canibus compulſus, a
crocodilo fuit ſuſceptus, & in litus alterum transvectus. Chri-
ſtum, *proprii* cuſtodes & miniſtri, quibus ſe ſuamque nationem
crediderat, ſed & illos, qui Chriſto adhærebant, *feris*, gentibus,
& morti, & omni calamitatum generi tradiderunt: ſed ab eo-
rum principibus et ductoribus tandem ſuſceptus, omnes dif-
482. 483. ficultates ſuperavit, & de orbe triumphavit. Iupiter, ægos pel-
le & Gorgonis capite armatus, proſtravit Titanes, qui repræ-
ſentat Chriſtum, hoſtes ſuos vincentem, & regnum cæle-
ſte occupantem, perque orbem propagantem. Sphinx, moni-
500-502. tu Iocaſtæ interfecta ab Oedipo, eſt Chriſtus. Magi donan-
521. 522. tes monſtra, ubi in bonum ſumuntur ſenſum, ſunt doctores
piorum, qui rerum naturam mutare poſſunt, ex beſtia for-
mare hominem, & ſic porro. Et hujus generis fuiſſe dicun-
tur Idæi, Dactyli, itemque Telchines, dicti a *θέλγειν, la-*
523-528. *ctare*, etiam *fraude circumvenire, decipere.* Victimæ, quas
diis obtulerunt, de piorum & Chriſti morte, eorumque inter
ſe communione, & deſtructione pravorum doctorum, & ho-
ſtium interitu, & reliquis religionis capitibus atque myſteriis, ex-
plicari

Digitized by Google

plicari debent. Addit quædam A. de cultu animalium apud Ae-
gyptios, de abſtinentia animalium Pythagorica, & de auguriis. Pag. 538-
Quæ priſci tradunt de phoenice, fabuloſa quidem reputat, in 542.
iis tamen animadvertit ſymbolum piarum animarum, veterem
ſpeciem ſuam exuentium, pravisque adfectibus renuntiantium
mortis item, unde reſurgant ad vitam novam: alias ſigni-
ficationes ſymbolicas adfert in ſeqq. De ſerpente, qui He- 543-550.
vam decepit, iudicat, hoc nomine allegorice venire diabolum,
qui adparuerit in ſpecie humana, qua ſe conſpiciendum dede-
rit parentibus noſtris filius dei. In ecloga IV. *Virgilius* pro- 550-557.
ponit patrem ut rectorem & ductorem ſui temporis; filium
ut antiſtitem gentis naſcendæ, & jam cælo demittendæ; Au-
guſtum vero *Apollini*, i. e. Chriſto, comparat. Felicitas au-
tem illa demum dabatur, ubi dii labores & pericula exantla-
verant. Chriſtus, pariterque ipſius miniſtri, mille pericula,
quin mortem etiam, ſuſtinuerunt; ille ad felicitatem promeren-
dam, hi ad promulgandam. *Aureum ramum Proſerpinae* inter- 586-593.
pretatur de ſanctitate, juſtitia, ceterisque donis cæleſtibus,
ſine quibus felicitatem æternam obtinere non poſſumus: quin
ex ipſius ſententia refert ipſum Chriſtum, auctorem horum
bonorum, quod ſpecialius in ſeqq. explicat. Viſco conſtitit,
quod a veteribus pariter teſſera cæleſtis juſtitiæ, ſive ipſius
Chriſti habebatur; quare etiam huic apud Druides multus
honos eſt habitus. Μῆλον accipi poteſt & de *malo*, & de *ove*. 605-610.
Achilles, ſtygiis immerſus undis, invulnerabilis toto corpore
eſt factus, excepta ea parte, qua a matre prehenſus erat:
pii objiciuntur omnis generis calamitatibus, & tartareis mer-
guntur fluminibus, ut immortales evadant. *Orpheus* in mor-
te ſua petitus a dracone, depingit pios, qui ab hoſtibus ſuis vi-
ctimarum inſtar immolantur. Quædam hic A. inſpergit ad illu-
ſtrationem Pſ. XVI, 10. Per *Charontis* cymbam repræſentatur, 617-659.
qua ratione pii æſtuantes vitæ hujus miſeriis, per mortem ad
cæleſtem quietem traducantur. *Pluto* figurat Chriſtum;
Charon miniſtros vulgaris ordinis. Huc etiam trahit he-
roum navigationes, v. c. argonautarum, ad repetendum vel-
lus aureum, græcorum ad Troiam, Aeneæ in Italiam. Fa- 661-667.

bulæ

Digitized by Google

bulæ de *Helle*, *Icaro*, & *Phaëtonte*, ſignificatio allegorica hæc datur: Sol eſt Chriſtus, Phaeton ſuſtinet ſymbolum inferioris ordinis paſtorum ac præceptorum Iudaicorum, a recta via deflectentium, qui tandem juſta dei ira conflagrarunt: obolus inſertus ori mortui, dandus Charonti, eſt honor et obſequium præſtandum doctoribus; quo cum obolo confertur lo-
Pag. 668-671. cus Rom. X, 10. Multas etiam Græcorum voces, & deorum nomina, A. inveſtigat. Inferos igne ardere omnis teſtatur anti-
688-735. quitas, illo indicatur dolor intenſiſſimus, quo adficiuntur qui ibi degunt, ſunt omni vigore, virtute & bonis deſtituti, ira contra, libidine, furore, cupiditatibus flagrant. Quod dicitur de Zona torrida, ob nimium æſtum intolerabili, id veteres pro imagine tartari habuerunt. Ignis apud ſuperos locum habet, qui uſurpatur pro imagine Dei, Chriſti, Spiritus ſancti, & piorum omnium, qui ſe invicem amant & urunt, puri ſunt a vitio, & per orbem celebres, hoſtesque ſuos ut ignis con-
44-758. ſument & perdent. Ex his ſatis adparet, multum intereſſe, quid quis ingenii ac imaginationis impetu abreptus, ob levem aliquam ſimilitudinis umbram, per adluſionem quandam dicere poſſit, & quid ex mente illorum, qui theologiam fabuloſam concinnarunt, dicere debeat. Eſto, quasdam veritates revelatas, oretenus traditas, fabularum involucris fuiſſe obductas: ecquis perſuadebit ſibi, ejus generis veritates ipſis perſpectas fuiſſe, quæ demum per doctrinam evangelii in clariori luce ſunt poſitæ, vel quæ demum multorum ſæculorum lapſu experimento ſunt comprobatæ. Subnectitur auctorum priſcorum, qui vel laudantur, vel explicantur, rerum item atque verborum, index locupletiſſimus.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VIII Sectio VI.

GRATA PRO GRATIIS MEMORIA EORUM, quorum pietate munifica Vallis B. M. V. de Campo liliorum ſacri & exemti Ordinis Ciſtercienſis Auſtriæ inferioris cum initio Seculi XIII. ſurrexit, crevit, & in hunc uſque diem feliciter floruit, ſeu Faſti Campililienſes, conſcripti a P. CHRYSOSTOMO HANTHALER, Profeſſo & Bibliothecario Campililienſi. Tomus I.

Lincii, ſumtibus Franciſci Antonii Ilger, bibliopolæ civici 1747. fol. Alph. 16. pl. 21. cum tab. æn. 3.

Ex quo tempore Reverendus huius libri Auctor, in monaſterio Campililienſi, in Auſtria ſito, ſibi & Muſis vivens, bibliothecæ iſtius coenobii cuſtodiam in ſe ſuſcepit, atque codices MStos inſignis raritatis, ibidem repoſitos, probe excuſſit, omnem dedit operam, ut otium illud literarium, quo fruitur, in eruditi orbis utilitatem converteret. Eo conſilio Campililii ſui faſtos ſummo cum labore contexuit; qui, quantumvis unico, eoque non magnæ molis libro deſcribi facile potuerant, Reverendus Auctor tamen nefas eſſe duxit, memoriam eorum, quorum beneficio ſurrexit atque crevit hæc ipſa monachorum ſedes, tacere, aut monumenta,

Digitized by Google

quæ ipſi ſuppetebant, Auſtriæ res in univerſum illuſtrantia,
abſcondere. Vitas igitur eorum Auſtriæ Principum, quorum
liberalitatem experti ſunt Campililienſes, operoſiſſime non ſo-
lum enarravit; verum, ulterius adhuc progreſſus, e domo
Babenbergica oriundos iſtius regionis moderatores in con-
ſpectum produxit omnes. Cumque monachi Campililium
incolentes, Ciſtercienſis ordinis ſtatuta ſectentur, iſtius etiam
ordinis quæ fuerint inde a condito Campililio fata, expoſuit.
Hac ratione, in maximam, & tantum non inconditam mo-
lem, opus excrevit; & vere dici poteſt, ea, quæ inſcriptio
promittit, minimam eius partem conſtituere. Præfatus ei-
dem eſt verbis admodum multis, & varia hic loci vix quæ-
renda protulit in medium. Hiſtoriæ enim utilitatem maximo-
pere prædicat, rerum vero domi geſtarum cognitionem,
Pag. 4. hiſtoriæ peregrinæ ſtudio præferendam eſſe, indicat. Hiſto-
riæ rite perdiſcendæ præcepta, non quidem ſpernenda, ab
aliis tamen iam dudum tradita, exponit; imo vero, de pru-
dentia in omni literarum ſtudio adhibenda, longius profecto
ac præſentis inſtituti ratio ferre videtur, diſputat: cum præ-
ſertim a tironibus, in quorum gratiam haſce regulas com-
poſitas a ſe Rev. Auctor declarat, vaſtum eiuſmodi li-
brum non legi, nobis perſuaſum ſit. Cum diplomata inſi-
gnem in ſtudio hiſtorico præbeant utilitatem, de illis etiam,
varia, quamvis valde proletaria, & ubique obvia, Rev. Au-
ctor diſputat. Tabulas eiuſmodi ſcriptorum fidem nonnun-
quam confirmare, nonnunquam tamen viciſſim earum pro-
15. bitatem ac fidem a conſenſu ſcriptorum pendere, obſervat.
Autographa plus roboris ac fidei habere, quam quidem exem-
16. pla ab illis deſcripta, monet. Vitia notariorum, in deſcri-
17. bendis diplomatibus nonnunquam commiſſa, detegit. E
monumentis inſuper iſtis nihil probari poſſe, quam quod
18. tempore confecti diplomatis accidiſſe fertur, inculcat. De
fide ſcriptorum coævorum dein verba faciens, ob ſolam vetu-
ſtatem fidem illis habendam coeco aſſenſu non ſtatim eſſe
20. indicat: cum & fabulæ nonnunquam a ſcriptoribus coævis &
antiquis traditæ, ab aliis ſoleant deſcribi, & pro narrationi-
bus

Digitized by Google

bus veris venditari. Scriptores inſuper, qui unius cuiusdam Imperii, Regni, aut provinciæ peculiarem condiderunt hiſtoriam, illis, qui vaſta chronographiæ & hiſtoriæ univerſalis corpora compoſuerunt, utique præferendos eſſe, contendit. Pag. 23.
Hiſce præmiſſis, ſitum monaſterii Campililienſis Auctor deſcribit. Nomen eius, a copia liliorum campeſtrium, propter aquas vivas illic undique ſcaturientes ubertim excreſcentium, derivari commemorat. Primos dein loci iſtius poſſeſſores recenſet, eorumque inſignia deſcribit. A fundatore monaſterii, *Leopoldo* VII. in locum veteris ac primæ compellationis, nomen *Vallis beatae Mariae* ſubſtitutum eſt; quamvis recepta & vulgaris denominatio, *Lilienfeld*, hodiedum adhibeatur. Salubritatem & amoenitatem iſtius loci Rev. Auctor valde prædicat. De ædificiis itidem, quæ monaſterium hoc conſtituunt, diſputat, eorum effigiem æri inciſam exhibet, omniaque memoratu digna illic obvia, lectoribus proponit. Cum omnem rerum, quæ ad hoc monaſterium pertinent, notitiam, ex *Ortilone*, monacho Ciſtercienſi, & primo Campililii incola, adeoque ſcriptore domeſtico, maximam partem hauſerit Rev. Auctor, eius quidem præfationem, notis inſtructam, hic integram exhibet, ipſum Ortilonis librum ad calcem Voluminis editurus. Hoc abſoluto, propylæum faſtorum, quod elogia primorum decem Auſtriæ Marchionum e domo Babenbergica ſiſtit, comparet. Antequam tamen illud inſpicias, ſat longa iterum præfatio Rev. Auctoris tibi perlegenda eſt. Fidem nimirum *Aloldi*, qui capellanus quondam Adalberti Marchionis Babenbergici fuit, nec non *Ortilonis*, qui ſua utplurimum ex Aloldo hauſit, enixe prædicat, virtutes Principum, quorum hiſtoriam ſiſtit, miratur, earumque magnitudine ſe excitatum eſſe, ut faſtis Campililii ſui hoc præfigeret propylæum, fatetur. Cum autem acres, de Marchionum ac Ducum Babenbergico-Auſtriacorum genuina origine, diſceptationes inter hiſtoricos agitentur, Rev. Auctor, earum ſopiendarum cauſa, diſſertationem præliminarem huic propylæo præmiſit, in qua veteres Marchiones ac Duces Babenbergicos, male a nonnullis ad Ducum Ba-

(margin: 1. — beside "tium, derivari commemorat..."; 5. — beside "conſtituunt, diſputat..."; 21 ſeq. — beside "ſtructam, hic integram..."; 26. — beside "Ortilonis, qui ſua...")

Pag. 30. varorum ſtirpem referri, contendit. De parentibus *Leopoldi Illuſtris* fuſe diſputat, variaſque variorum hac de re affert ſententias. Leopoldum Illuſtrem A. 943. ab Ottone M.
53. Marchionem Auſtriæ conſtitutum eſſe, ex Aloldo nos docet; multoſque alios ſcriptores, circa hunc temporis articulum a vero aberrantes, corrigit, fontes errorum, quos commiſerunt, detegens *.) In ipſo propylæo, *Leopoldus Illuſtris,* primus Auſtriæ Marchio Babenbergicus, agmen ducit, cuius maiores, eorumque res geſtas, operoſe ediſſerens Auctor, Albertum decollatum, Leopoldi noſtri avum fuiſſe, pro certo
59. ſumit. Eundem Pechlariæ conſediſſe, coniicit. Errores a
62. Bonfinio circa res iſtius Principis commiſſos, redarguit. Res a Leopoldo contra Hungaros egregie geſtas celebrat; cognomen *Illuſtris* eidem a congratulantibus vicinis inditum
68. fuiſſe, obſervans. Erga Eccleſiam Paſſavienſem paulo duriorem fuiſſe Leopoldum, conqueritur, quamvis ex ignorantia
69. potius quam malitia eum peccaſſe, autumat. Leopoldum adhuc ſuperſtitem, Auſtriam filio Henrico regendam tradidiſſe, narrat: quod tamen non ſine prævio Imperatoris
70. conſenſu factum eſſe, nec fieri potuiſſe, recte monet. Necem Leopoldi quam maxime infauſtam, & tragicam, deſcribit, eundem, Würtzburgi a milite quodam per inſidias ſubla-
71. tum eſſe, narrans. De uxore poſtea, filiis, & fratribus Leopoldi, accuratam ſuppeditat notitiam, variorumque ſcripto-
72. rum errores corrigit. Henrico, Leopoldi filio & heredi, peſſimum *rebellis* cognomen, perperam, & præter veritatem vulgo aſpergi, obſervat, & ſcriptores talia affirmantes, Henricum noſtrum, cum alio, eiusdem nominis, qui in Franconia Orientali ſedit, & contra Cæſarem arma corripuit, con-
78. fundere exiſtimat. Coniugem Henrici *Schwanhildin* fuiſſe, eamque filium & ſucceſſorem Albertum peperiſſe, Rev. Auctor,

*) Ab eo tempore prodiit, *Caroli* Com. *ab Althaun* tentamen hiſtoricum, de Leopoldo illuſtri, quo tempore Auſtriæ marchionatum adiiſſe cenſendus ſit? Viennæ 1754. 4. in quo, Marchionatus Leopoldi illuſtris initia, ſub Ottone III. Imp. ponuntur. Hoc miramur, toto eo tentamine, neque nominatum fuiſſe Hanthalerum.

Digitized by Google

ctor, Aloldi fidem ſecutus, refert, ac diſſentientes, quos inter *Eccardus* & *Hoffmannus*, Profeſſor quondam in Academia Francofurtana celeberrimus, præcipue nominandi ſunt, refellit. De S. *Colomanno*, qui ſub iſto Marchione martyrium Pag. 80.
ſubiit, Auctor admodum fuſe diſputat, plurima ſimul, omnem ſuperantia fidem, ex Aloldo ſuo deſcribens. Henri- 81.
cum Marchionem, Mellicii utplurimum reſediſſe; nonnumquam tamen Ducumburgi commoratum eſſe, obſervat. 84.
Mortem eius A. 1018. contigiſſe, ſcribit, quamvis in die, quo eadem acciderit, ſcriptores diſſentiant. Cum igitur in *hiſtoria fundationis monaſterii Mellicenſis*, legatur, Henricum A. 1032. debitum naturæ ſolviſſe, hunc ipſum errorem Auctor ex merito caſtigat. *Adalberti*, qui in 85.
locum Henrici patris ſucceſſerit, uxorem, fuiſſe *Alhaidem*, *Wilhelmi*, Comitis Pictavienſis, & *Geiſelae*, ſororis *Stephani*, primi Regis Hungariæ, filiam, ex Aloldo nos docet. 88.
Cum autem Viri celeberrimi, *Hoffmannus* & *Ludewigius*, hic diſſentiant; & ille in primis, duas Adalberto coniuges, *Frauram* nempe & *Alhaidem* aſſignet, Rev. Auctor contra hoſce duumviros graviter depugnat, diplomata, quæ Hoffmanno ſubminiſtraverat Ludewigius, nullius eſſe fidei magno opere contendens. Quid in Hungaria, turbis inteſtinis lacerata, 89.
geſſerit hic Marchio, Auctor diſtinctius & meliori ordine, quam alii fecerunt ſcriptores, enarrat, & multa ad hiſtoriam Hungariæ pertinentia, ea occaſione eleganter ediſſerit, haud paucis erroribus, hic committi ſolitis, profligatis. Albertum hunc, uno eodemque anno cum *Henrico* 90.
III. Imperatore mortuum eſſe, confirmat. Excepit illum 102.
Marchionem in Auſtria adminiſtranda *Erneſtus* filius, cuius coniugem *Mathildem* fuiſſe dictam, Auctor evincit, & ad Hofmanni obiectiones, qui coniugem Erneſti *Schwanhildin* nominat, erudite reſpondet, duas habuiſſe Erneſtum coniuges exiſtimans. Fabulas, de filiis Erneſti circumferri ſolitas, 105.
profligat. De filia eius, *Juditha*, & ſorore *Hemma*, quæ a multis ſcriptoribus Erneſto tribuuntur, nihil certi conſtare, dubiumque eſſe, an unquam vixerint, obſervat. Res 107.

Digitized by Google

dein ab hoc Marchione per Hungariam geſtas, a quibus
Pag. 110. *ſtrenui* cognomen apud poſteros meruerit, ediſſerit. De
diplomate *Henrici IV.* Imperatoris, quod varia Marchioni
117. huic tribuit privilegia, Auctor ample diſputat, idque
119. genuinum eſſe contra diſſentientes evincere nititur. Erneſtum
hunc, in acie contra *Henrici* IV. ſubditos rebelles dimi-
121. cantem periiſſe, narrat. *Leopoldum* III. A. 1056. natum eſſe,
quanquam ſcriptores diſertis verbis non tradant, Rev. Au-
ctor tamen, coniecturis hanc in rem uſus, non ſane a vero
123. abhorrentibus, elicit. *Itham*, Leopoldi uxorem fuiſſe, non
quidem negat, de eius tamen genere & familia nihil certi con-
ſtare putat; ſententias quorundam ſcriptorum, de ſtemmate
124. iſtius Principis excogitatas, explodens. Favorem Leopoldi in
monaſteria praedicat. Partes, quas in turbis a Gregorio VII
contra Henricum IV. excitatis Princeps hic ſecutus eſt, de-
139. ſcribit, eiusque erga Cæſarem perfidiam excuſare omni modo
ſatagit. Leopoldum, a Conrado Bohemorum Duce, qui ab
Henrici IV. partibus ſtabat, fugatum, terris ſuis neutiquam
a Cæſare ſpoliatum eſſe, uti quidem Aventinus & alii narrant,
146. Auctor, Ortilonem ſecutus, contendit. Sententiam quo-
que nonnullorum annalium, qui Marchionem hunc expedi-
tionem cruciatam inſtituiſſe, ibique vita functum eſſe, nar-
150. rant, tanquam iuſto fundamento deſtitutam, reiicit. In re-
bus *Leopoldi* IV, quem *pii* & *ſancti* cognomento ornavit
poſteritas, deſcribendis, Auctor ſe, MSto ſeculi XIII
antiquitatem referente, & vitas ſanctorum ſecundum ordinem
calendarii diſpoſitas continente, uſum eſſe, & ex eo varia ab
153. aliis non obſervata didiciſſe, prædicat; quamvis ea, maxi-
mam partem res Leopoldi domeſticas, aut res monaſteriorum,
reſpiciant. De loco nimirum & tempore, quo natus eſſe di-
citur ille Princeps, ſingulari cum cura diſſerit. Eius liberali-
tatem erga exercitum in Palæſtina conſtitutum deſcribit, &
laudat. Eundem, iter in Palæſtinam meditantem, ab *Udal-
rico* Epiſcopo Patavienſi, gladio, ſolenni ritu fuiſſe cinctum,
narrat; de ipſo hoc ritu ea occaſione fuſius diſputans.
163. Henrici IV. partes ab initio quidem ſecutus eſt hic ipſe Mar-
chio,

Digitized by Google

chio, a ſilio tamen Imperatoris perduelli, qui nuptias Agnetis, ſororis ſuæ, Leopoldo offerebat, ad deſerenda Henrici IV. ſigna ſollicitatus eſt. Perfidiam hanc Marchionis, Rev. Auctor, amore in eum plane excoecatus, omnibus modis excuſare nititur, unde quævis eius facta ipſi *ſancta* videntur. Nuptias cum Agnete A. 1106 ipſis Maii Kalendis Leopoldum celebraſſe, cum reliqui ſcriptores taceant, Rev. Auctor primus obſervat. Hodiernam Vindobonam in ruderibus iacentem, eodem tempore Leopoldus Marchio inſtauravit. De familia iſtius Principis accuratam A. ſuppeditat notitiam. Pag. 169.
Ceterum, in eius liberalitate erga clericos extollenda, totus eſt. 170.
Chartam conſecrationis Eccleſiæ Meuslingenſis dum exhibet, teſtes quondam laicos auribus ad notarium attrahi in diplomatibus conficiendis ſueviſſe, ex illa ipſa charta evincit. Origines monaſterii Neoburgenſis, cui condendo velum Agnetis occaſionem præbuiſſe fertur, detegit, primumque eius 172.
lapidem ab ipſo Leopoldo non fuiſſe poſitum, etſi plurimi ſcriptores contendunt, obſervat. In die iſtius cerimoniæ 177.
conſtituendo cum hiſtorici fluctuent, Auctor 12 Iulii A. 1114. ei rei conſtituit. Res a Leopoldo contra 178.
Stephanum Hungariæ Regem geſtas, quem, ſocietate cum Duce Bohemiæ inita, armis petiit, deſcribit. Leopoldum, 180.
mortuo Henrico V. inter candidatos, qui ad faſtigium imperiale deſignabantur, fuiſſe, eundem vero honorem oblatum repudiaſſe, docet. Rogatu *Ottonis* filii, ordi- 185.
nem monachorum Ciſtercienſium ab iſto Principe in Auſtriam fuiſſe introductum, & monaſterium illis exſtructum, narrat. Variis quoque prædiis ordinem illum a Leopoldo fuiſſe 193.
ditatum, ex charta donationis adiecta, declaratur. Prodigia & miracula, quæ Leopoldus poſt mortem perpetraſſe fertur, ad nauſeam uſque enarrat A. de eius in Sanctorum numerum adoptione, nec non templis & aris in eius honorem Vindobonæ exſtructis, admodum fuſe diſputans. Ag- 204.
netis, Leopoldi viduæ, familiam, tabula genealogica, ſatis operoſa, lectoribus ponit ob oculos. Narrationem, 216.
quæ vulgo de Agnetis velo, quod clauſtro Neoburgenſi ædifi-

ædificando occaſionem præbuit, circumfertur, Auctor
propterea, quod in publicis monumentis eius rei nulla fiat
Pag. 220. mentio, inter fabulas relegandam eſſe, negat; cum MStum
ſupra allatum idem diſertis verbis doceat. Illam ipſam quoque Agnetem ſummis laudibus mactat, & in coelum quaſi
extollit Auctor; epochas nativitatis, coniugiorum, ætatis ac mortis eius, maxima cum diligentia conſtituit; &,
MStum ſæpe laudatum, nec non Ortilonem ſecutus, certio-
224. ra ſe inveniſſe, quam alii protulerint, ſibi perſuadet. Ordo
filiorum Leopoldi, in chartis publicis atque chronicis, vehementer perturbatus eſt, ita, ut modo hic, modo ille primo
loco commemoretur: Auctor vero ordinem illum ex
MSto ſuo ita conſtituit, ut primus eorum ſit *Albertus*, alter *Leopoldus*, tertius *Otto*, quartus *Henricus*, quintus
Conradus, ſextus autem *Erneſtus*. De Principibus hiſce,
quantum ad inſtitutum pertinet, deinceps diſputat, exceptis
228. *Leopoldo* & *Henrico*, patris in principatu ſucceſſoribus, quorum quippe vitas, in ſubſequentibus demum, data opera deſcripſit. Eadem vero diligentia memoriam filiarum Leopoldi,
oblivionum tenebris eripit, & MSto laudato facem præferente,
multa ab aliis, & ſigillatim *Hofmanno*, in diſſertatione de *ſtem-*
245. *mate Babenbergico*, minus recte dicta, corrigit. Mortuo
Leopoldo ſancto, filius eiusdem natu ſecundus, ſimilis cum
patre nominis, *largi* elogio inſignis, prævia Pontificis
Innocentii interceſſione, ab Imperatore Lothario in locum parentis ſurrogatus eſt: unde facile apparet, Marchionatum Auſtriacum tunc temporis neutiquam adhuc hereditarium fuiſſe.
Albertum inſuper, Marchionis huius fratrem natu maiorem,
tempore funeris paterni graviſſimo morbo laborantem, adminiſtrandæ Auſtriæ admoveri non potuiſſe, doctiſſ. Auctor obſervat: alios ſcriptores, qui Leopoldum Alberto ſucceſſiſſe,
aut Leopoldum, a patre, Henrico prælatum fuiſſe, ſomnia-
265. runt, corrigens. *Conradum* Imperatorem, Bavariam, *Henrico ſuperbo*, qui perduellionis reum ſe fecerat, ereptam,
Leopoldo Auſtriaco A. 1139. conceſſiſſe, narrat, ac teſti-
269. monia ſcriptorum eo pertinentia, integra exhibet. Turbas

Digitized by Google

bas ideo excitatas, non reticet, easque mortis Leopoldi cau-
ſam fuiſſe, monſtrat. Munificentiam eius in monaſteria
multis encomiis ornat, & *largi* elogium eidem propterea ex
merito tribui, exiſtimat. *Henricum* II. Leopoldi fratrem &
ſucceſſorem, cognomentum *Jaſamirgott*, quod eidem tribuitur,
a formula, quæ ipſi, fidem interponenti, familiaris fuit, tra-
xiſſe, Rev. Auctor, ut iam olim Ludewigius, obſervat. Auſtriam, Pag. 281.
eum, a Cæſare Conrado A. 1141. impetraſſe, evincit. Regnum 282.
Luſitanicum circa annum 1139. ab *Alphonſo*, Comite Portugal-
liæ, fundatum, & a Pontifice confirmatum fuiſſe, Auctor, quan-
quam huius loci non ſit, exponit. Idem Regnum ſedi Roma-
næ tributarium evaſiſſe, quatuor auri marcis annuatim ſolu-
tis, contendit. Imo uſque adeo ſive pium, ſive ſuperſtitio-
ſum fuiſſe primum hunc Luſitaniæ Regem, ut Regnum ſuum
tutelæ monaſterii ordinis Ciſtercienſis in Claravalle commen-
daret, eidemque monaſterio, in modum *feudi & vaſallitii*, quin-
quaginta marabitinos auri annuatim ſolveret, ex *Manriquei*
Annal. Ciſterc. Tom. I. p. 425. quem locum integrum ap-
poſuit, declarat. Acta Henrici Marchionis in Palæſtina, 288.
quorſum ſe cum Imperatore Conrado III. contulerat, de-
ſcribit. Mortuo Conrado, Henricum noſtrum, electioni 306.
Friderici Barbaroſſæ, patrui ſui, interfuiſſe, nos docet. Bo- 316.
ioariæ tunc Ducatum, A. 1154. Marchioni huic per ſenten-
tiam Cæſaris ablatum, & Henrico Leoni reſtitutum fuiſſe,
pauci ignorant. Henricum Auſtriacum, in ejus rei compen- 320.
ſationem, primum Auſtriæ *Ducem* fuiſſe renuntiatum, &
de Bavaria ſupra Anaſin fluvium inſignem partem Auſtriæ
unitam fuiſſe, certum eſt. Diploma Friderici Imperatoris de-
ſuper datum, quale illud in nuperis controverſiis cum domo
Bavarica A. 1742. Vindobonae recuſum eſt, integrum hic
Rev. Auctor exhibuit. Noviter creatum Ducem, Friderico 329.
Imperatori, Mediolanum oppugnanti, præſto fuiſſe, narrat,
eius fortitudinem celebrat, eumque rebellibus civitatis iſtius 341.
incolis gratiam Cæſaris iterum conciliaſſe, docet. Mona- 342.
ſterium Scotenſe, quod Vindobonæ exſtructum eſt, ab eodem
Duce fundatum fuiſſe comprobat; quamvis annus fundationis

Digitized by Google

certo conſtitui nequeat. Ipſa diplomatis ideo evulgati verba,
Pag. 343. unde, hodiernam Vindobonam, tunc temporis *Favianam*
fuiſſe dictam, liquet, variaque, de ſitu iſtius urbis, qualis
tunc fuerit, poſſunt intelligi, Auctor exhibuit. Varia
privilegia monaſterio Neoburgenſi Henricum conceſſiſſe,
353. prædicat. Eundem Principem, auctoritate Imperatoris in-
ductum, relicto Pontifice Alexandro, in Paſchalis Antipapæ
tranſiiſſe partes, ex *chronographo Reicherſpergenſi*, Au-
357. ctori innotuit. Quamvis autem recte & præclare in eo egiſſe
dicendus ſit Henricus, Auctor tamen, eum *in concilio mali-*
gnantium tunc ſtetiſſe, dolet, hocque eius factum, excuſare,
ſupervacuo certe ſtudio, nititur. Henricum Auſtriacum, una
cum Ottone Wittelſpachio, ad aulam Imperatoris Conſtanti-
nopolitani tanquam legatum miſſum eſſe, tradidit *Aventinus*.
Huic vero narrationi, Rev. Auctor, varias, eaſque graviſſi-
362. mas ob rationes, fidem denegat. Privilegia coenobio
369. Zwetlenſi ab Henrico collata, recenſet, & prædicat. Ste-
phano Hungariæ Regi, Henricum ſuppetias adverſus Græ-
371. cos tuliſſe, negat. Henricum Leonem, in Palæſtinam iter
facientem, per Auſtriam tranſiiſſe, & a Duce ſummo cum
honore exceptum eſſe, narrat. Filios Henrici Auſtriaci, *Leo-*
poldum atque *Henricum*, ea occaſione *milites* fuiſſe ab Hen-
376. rico Leone ſolenni ritu creatos, coniicit. *Zobeſlaus Bo-*
hemus A. 1175. in Auſtriam irrupit, maximamque iſti regioni
cladem intulit. Cauſam huius rei neminem præter Ortilo-
380. nem prodidiſſe, Auctor monet; ex eo nimirum intelli-
gitur, Fridericum Imperatorem, qui ſemet Adalberti Archie-
piſcopi Saliſburgenſis exauctorationi oppoſuerat, ira per-
citum, Bohemos ad eam irruptionem ſollicitaſſe. Ipſum
hoc bellum cum Bohemis geſtum Rev. Auctor deſcribit. Hen-
ricum, in prælio cum illis commiſſo, periiſſe, narrat;
383. atque adeo in cauſa Eccleſiæ cecidiſſe putat. De uxo-
ribus deinde ac liberis Henrici, Rev. Auctor, prout ipſi
ſolenne eſt, ſumma cum cura diſputat, varias & notatu di-
384. gniſſimas inſpergens obſervationes. *Leopoldum* VI. Henrici
filium natu maiorem, qui *virtuoſi* elogio nobilitatur, mortuo
patre,

Digitized by Google

patre, Auſtriam, quam vivo adhuc Henrico iamiam de manu Imperatoris acceperat, iterum per imperialem inveſtituram ſuſcepiſſe, Rev. Auctor nos docet. Filium vero eius, *Fridericum*, A. 1187. in curia Erfordienſi, Ducatum Auſtriacum beneficii loco a Cæſare obtinuiſſe, quod Chronicon aliquod Auſtriacum refert, in dubium Auctor vocat: cum neutiquam ipſi videatur veriſimile, Principem, ſepti num ætatis annum vix ingreſſum, Patre adhuc vegeto, has terras accepiſſe. Leopoldum hunc, A. 1182. privilegia coenobii Neoburgenſis confirmaſſe, & circa idem tempus in terram ſanctam profectum eſſe, ac portionem ſanctæ Crucis ſecum aſportaſſe, adnotatur. *Ottocarum*, Styriæ Ducem, Leopoldum terrarum ſuarum heredem ſcripſiſſe, A. narrat, plurimoſque errores, ea in re a nonnullis commiſſos, corrigit. Quid in Palæſtina tunc acciderit, fuſe narratur, geſtis ibi a Leopoldo noſtro non diſſimulatis. De turbis, quæ, *Richardum* Angliæ Regem inter ac Leopoldum intercelſerunt, inſigni cum cura differit, atque Leopoldum recte & præclare egiſſe, quod Angliæ Regem, in patriam reverſurum, ac per Auſtriam tendentem, captivum duxerit, contra ſcriptores Anglicos demonſtrare omni ratione nititur. Regnum Angliæ tunc temporis clientelari nexu Imperatori obſtrictum fuiſſe, negat. Auſtriam, propter Angliæ Regem a Leopoldo captum, *interdicto* a Pontifice fuiſſe mulctatam, non diffitetur. Iterata autem vice illud accidiſſe negat, atque *Baronium*, una cum ſcriptoribus Anglicis, ea propter confutat. Leopoldum, novum iter in terram ſanctam meditantem, iuxta Grætzium in Styria, fracto ex equi lapſu pede, A. 1194. periiſſe, & paulo ante mortem ab excommunicatione Pontificis fuiſſe abſolutum, oſtenditur. Tempore interdicti contra Auſtriam emiſſi, maximis calamitatibus a Deo irato inflictis eam regionem fuiſſe punitam, ſcriptores Anglici, & qui eos preſſe ſequitur, *Baronius*, tradiderunt. Has vero calamitates neutiquam tam atroces fuiſſe, ac iſti ſcriptores fingunt, immo & alias regiones eodem tempore paria ſenſiſſe fata, Rev. Auctor fuſe comprobat. *Fridericus Catholicus*, in locum mortui Patris ſuccedens,

Pag. 396. 405. 406. 414. 417. 433 ſqq. 463. 472. 478. 485.

Auſtriam gubernavit, Styria fratri *Leopoldo* relicta. Quod,
quamvis cum teſtamento Ottocari Styriæ Ducis, qui utramque
regionem ab uno eodemque Principe adminiſtrari voluerat,
pugnare videatur; Rev. Auctor tamen, huic dubio obviam itu-
rus, regimen harum provinciarum inter ſe fratres communi-
Pag. 490. caſſe, obſervat. Res dein a Friderico in Palæſtina geſtas, ediſſerit,
eum, ibi conſtitutum, & annum ætatis vicesimum tertium agen-
494 tem, vitam cum morte commutaſſe, narrans. Et in hoc
quidem temporis articulo propylæum huius operis Rev. Au-
ctor claudit: in eo potiſſimum laudandus, quod de familiis
Principum Auſtriæ tam operoſam ſuppeditaverit notitiam,
ex qua multi alii, qui in hoc campo deſudarunt, forte corrigi,
eorumque errores detegi aliquando poſſint. Quamvis negari
nequeat, eum, more ſcriptoribus quibusdam perfamiliari,
multa ad inſtitutum non pertinentia admiſcuiſſe, inque re-
bus, quæ duntaxat ὡς ἐν παρόδῳ & connexionis cauſa tan-
gendæ erant, iuſto diutius hæſiſſe.

Ipſos iam faſtos Campililienſes texere incipiens, ea,
quæ cum fundatore iſtius monaſterii, *Leopoldo* nimirum
glorioſo, ante fundationem eius acciderunt, commemo-
499. rat: eundem, ſub initium ſtatim regiminis, precibus
monachorum Ciſtercienſium non modo ſe commen-
daſſe; verum etiam in communionem fraternitatis eorum
502. fuiſſe receptum, obſervans. Ordinem in hiſce faſtis
ſecutus eſt talem, ut unusquiſque liber unius ſeculi comple-
ctatur hiſtoriam. Singuli libri in tres decades diviſi ſunt,
quarum unaquæque tria continet capita. Eorum primum, res
Principum per decennium geſtas, exhibet; ſecundum,
res ordinis Ciſtercienſis exponit; tertium denique fata
ipſius monaſterii lectoribus ponit ante oculos. Quid igitur
Leopoldus ſub initium ſeculi decimi tertii geſſerit, eadem
ratione ac modo, uti ſupra in propylæo de vitis Principum
diſputaverat, narrat. Eum, ad peculiarem Epiſcopatum
528 Vindobonæ condendum animum appuliſſe, commemorat;
neque controverſias a Paſſavienſi Præſule ea propter motas,
quæ coepta hæc Leopoldi tandem irrita reddiderunt, tacet.
Eundem Principem, in turbis, quæ poſt *Henrici* VI. fata Ger-
maniam

maniam agitabant, conſilio Pontificis obtemperaſſe, & *Ottonis* partes amplexum eſſe, probatur. Eiusdem quoque inter- Pag. 535.
ventu, *Beatrix*, Philippi obtruncati vidua, *Ottoni* nupſit.
Ciſtercienſes, circa ſeculi decimi tertii initium, ad 537.
ſolvendum quinquageſimum numum, expeditionibus ſacris inſerviturum, a Papa ſollicitati, multis precibus immunitatem ab eo onere tandem obtinuerunt: cui beneficio celebrando, monachos iſtos ſtatis diebus pſalmos poenitentiales recitare, Rev. 543.
Auctor narrat. De variis item viris, Ciſtercienſi ordini adſcriptis, qui ſanctitatis & eruditionis laude floruiſſe ipſi videntur, fuſe diſputat. Hos inter, *Euſtachius*, Abbas Flo- 544.
reſienſis in Anglia, qui *de ſanctificandis dominicis, feſtisque*, conciones ſacras habuiſſe fertur; & *Thomas monachus*, qui longam expoſitionem in canticum canticorum edidit, velut inter ignes luna minores, eminent. Merita Ciſtercienſium in expeditiones ſacras, Auctor mire celebrat. Eosdem, in exſtirpanda Albigenſium, ut vocat, hæreſi, a Pontifice in auxilium fuiſſe vocatos, monet; quamvis, non tam argumentis, quam poenis & perſecutionibus, monachos cum iis egiſſe, non diſſimulet. S. Dominicum, Ciſtercienſibus ſe hoc in negotio ſo- 547.
ciaſſe, narrat. Quas iſte poenas luerit, poteſt Hanthalerus 552.
ex *Puella Aurelianenſi* Voltarii, intelligere. Ad fundationem monaſterii Campililienſis accedens, literas Leopoldi ad ordinem Ciſtercienſem ea propter datas, nec non ordinis ad Leopoldum reſponſorias, ex *Ortilonis* parte poſteriore, *de exordio Campililii*, nondum antea vulgata, integras apponit. Hierarchiam 559.
& regiminis ordinem, in ſingulis monaſteriis huius inſtituti introductum, ſollicite deſcribit. Primum lapidem fabricæ mo- 563.
naſterii inſerviturum, ſuis manibus A. 1202. tempore verno poſuit Leopoldus. Varias variorum ſententias, in epocha 566.
fundationis coenobii conſtituenda, A. correxit. Primos monachos Campililii incolas, *Ortilonem*, unum ex illis, Auctor ſecutus, 568.
nominatim recenſet. Inaugurationem novi monaſterii, præ- 571.
ſente Leopoldo Duce, factam, ex eodem Ortilone, cuius verba integra affert, deſcribit. Bullam quoque *Innocentii* III.
qua noviter exſtructum monaſterium confirmatur, lectoribus 573.
proponit.

Digitized by Google

proponit. Literas denique fundationis Leopoldinæ integras exhibet. Geminam fundationis huius monaſterii chartam Ortilo commemorat, quarum utraque in ſcriniis Campililienſibus aſſervatur. Cum autem prior, quantumvis poſteriore multo brevior, præter exordium diverſum, proximaſque aliquas periodos nihil contineat, quod non in altera iisdem verbis legatur; Auctor
Pag. 591. ſufficere credidit, ſi initium duntaxat prioris adſcriberet,
593. alteram vero integram apponeret. Leopoldum Auſtriacum, in Hiſpaniam ad Maurorum inſultus cohibendos profectum eſſe, narrat. Cum autem ſub adventum eius barbari iſti, a Regibus Arragoniæ victi iamiam fugatique eſſent, Leopoldum Albigenſes e via caſtigaſſe, ut aliquem itineris ſui fructum ca-
607. peret, coniicit. Res in Palæſtina per Leopoldum egregie geſtas, & ab ipſis hoſtibus celebratas, ſummopere præ-
639. dicat, et poema theotiscum incerti Auctoris, hoc de argumento confectum, & ab Eccardo iamiam vulgatum, hic inte-
641. grum exhibet. *Stephanum Langtonum*, electum Academiæ Pariſienſis Cancellarium, Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, & Archiepiſcopum Cantuarienſem, cui ſcripturæ ſacræ diviſio in capita, quam hodienum Eccleſia retinet, ex nonnul-
657. lorum ſententia debetur, Auctor heic loci propterea laudat, quod eum ordini Ciſtercienſi nomen dediſſe, a nonnullis perhibetur ſcriptoribus. Literas *Manegoldi*, Epiſcopi Paſſavienſis, quibus fundatio & privilegia monaſterii Campililienſis
673. confirmantur, de A. 1212. integras apponit; in quibus cum *Pontificatus Paſſavienſis* commemoretur, facile patet, *Pontificis* elogium Romano Præſuli tunc temporis proprium non fuiſſe. A præſtatione decimarum, quæ aliis incumbebat coenobiis, immune fuiſſe Campililium, bulla *Innocentii*
676. III, A. 1214. data, & hic exhibita, declarat. Iurisdictionem uti vocari ſolet altam, a Duce fundatore huic monaſterio collatam, & a vicinis, fundos ibi poſſidentibus, ſubinde
683. turbatam, charta Friderici II. Anni 1217. hic edita, denuo confirmavit. Singularem Leopoldi erga coenobium recens

cens exſtructum liberalitatem, Auctor non ſolum mirifice extollit; verum & hoc, quod coetibus monachorum religioſis frequenter interfuit, eoque pacto illorum devotionem acuit, prædicat. Conventui Veronenſi, A. 1222. pro Pag. 694.
rebus Palæſtinæ ordinandis, per *Fridericum* II. indicto, nec non coronationi Henrici, Romanorum Regis, interfuiſſe Leopoldum, quod nonnulli pro certo aſſirmarunt, Auctor dubitat. Coenobium monachorum, Franciſci regulam 700.
ſequentium, a Leopoldo A. 1224. Vindobonæ fuiſſe fundatum, docemur. *Margaretha*, Leopoldi filia, Henrico 705.
VII Romanorum Regi A. 1225. nupſit: quo loco A. *Abbatem Urſpergenſem*, qui Principi huic *Agnetis* nomen inhæſiſſe refert, corrigit. Neque *Conſtantiam*, Leopoldi filiam alte- 707.
ram, cum *Henrico* Marchione Miſniæ circa idem tempus coniunctam, neglexit. De rebellione *Henrici*, qui filius 708.
Leopoldi natu maior fuit, contra Parentem tentata, quantum ſatis eſt A. diſputat. *Fridericum*, natu minorem fi- 711.
lium, *Gertrudem*, ex domo Brunſvicenſi oriundam, in matrimonium duxiſſe, contra *Eccardum* evincit. Concordiam 714.
inter *Gregorium* IX. atque *Fridericum* II, Leopoldi potiſſimum interventu fuiſſe reſtitutam, docet. Ipſius pacis & concor- 736.
diæ conditiones exhibentur. Inter hos ipſos labores, Leo- 738.
poldus d. 28. Iulii A. 1230. vitam cum morte commutavit. Cum autem in variis chartis, menſe Auguſto iſtius anni confectis, quæ in *Hanſitzii Metrop. Saliſb.* deprehenduntur, Leopoldus adhuc inter teſtes, qui ſubſcripſerunt, compareat: Auctor dubium, quod exinde moveri poterat, remotu- 740.
rus, monet, eiusmodi documenta non illo ipſo die, quo negotium, de quo agitur, geſtum eſt, confici ſueviſſe, mora autem tali intercedente, nihilo minus qui actis interfuiſſent, eos tanquam teſtes fuiſſe adſcriptos, etiamſi nec præſentes, neque ſuperſtites. *Fridericum*, Leopoldi filium natu minorem, ſolum in mortui Parentis locum ſucceſſiſſe, & provincias Auſtriacas adminiſtraſſe, quod fratres ante eum nati debitum naturæ iamiam ſolviſſent, Auctor contra *Haſelbachium*, qui Principem iſtum, una cum fratre

Digitized by Google

Pag. 744. fratre *Henrico de Mödling* ſucceſſiſſe, putaverat, evincit. Sectam Albigenſium A. 1228. penitus fuiſſe deletam, narrat. Cumque Ciſtercienſis ordinis in ea debellanda plurimæ partes fuerint, eum propterea ordinem quatuor marcarum millia doni loco accepiſſe, ex quorum annuis cenſibus, Patres, ad capitulum generale confluentes, reficerentur, commemorat. Tribunal *inquiſitionis*, ideo introductum, ne Albigenſium coetus ſemel depreſſus caput iterum extolleret, inter præcipua huius rei commoda numerat. Literas *Gregorii* IX. ad Archiepiſcopum Salisburgenſem datas, quibus ille monaſterium Campililienſe ab iniuſtis invaſoribus defendere iubetur, integras Auctor appoſuit.

777. Confirmationes privilegiorum iſtius monaſterii, a Friderico Auſtriaco profectas, nec non varias donationum, conſenſu iſtius Principis Campolilio illatarum, tabulas, itidem hic

784. propoſuit. Uſque ad obitum Leopoldi hiſtoriam ſuam pertexuit *Ortilo*, quem Auctor preſſe ſecutus eſt: quare in eius laudes operoſe excurrit; ſe præterea in bibliotheca Campililienſi, ſcriptorem pariter gravem, qui etiam Friderici vitam ediſſeruerit, inveniſſe nuntiat. Hiſtoricum iſtum Fr. *Pernoldum* de ordine prædicatorum eſſe, in ſequentibus declarat, & quanti pretii ſit ille ſcriptor, exponit. Ope illius innumeros aliorum errores, in rebus Friderici deſcribendis commiſſos, profligaſſe ſe gloriatur. Cum vero ille nihil de rebus monaſterii Campililienſis attulerit, omnia ſe, quæ ſequuntur, & Campililium reſpiciunt, e documentis ineditis, quæ

787. monaſterium ſervat, hauſiſſe adfirmat. Ordinis Ciſtercienſis fata uſque ad A. 1236. ſingulari cum ſtudio ediſſeruit, & quatuor tomis comprehendit *Angelus Manriqueus*, ex quo

866. multa ſe hauſiſſe Rev. Auctor fatetur. Quamvis autem ex eiusdem annalibus, ſelectiora ſe, & notatu digniora excerpſiſſe, ſuoque operi inſeruiſſe dicat: ea tamen ipſa, ſatis profecto ſterilia, & maximam partem nemini, quam qui ordinis iſtius voto adſtrictus eſt, proficua eſſe, unuſquiſque facile deprehenderit. Se interim *Manriqueo* duce fideliſſimo deſtitui, Auctor valde dolens, ex appendicibus tamen ad ſingulos

Digitized by Google

los tomos ab eodem annexis, ſe, per annos inſequentes hiſtoriam ordinis enarrantem, uſum eſſe, reliqua autem undiquaque congeſſiſſe, monet. Fridericum Auſtriacum per monachorum preces ad Deum fuſas, honori ſuo, quem amiſerat, reſtitutum fuiſſe, *Chronicon Auſtrale* Auctor ſecutus, gloriatur, hocque officii genus, Campililienſes potiſſimum coenobitas præſtitiſſe, coniicit. Regiam dignitatem Friderico Pag. 875.
Auſtriaco ab Imperatore A. 1245. fuiſſe oblatam, quam tamen ille, ne Pontificem offenderet, recuſaverit, ex *Pernoldo* ſuo
Auctor obſervat. Eundem Principem, equitibus Teutoni- 901.
cis, contra Pruſſos arma moventibus, copias ſubminiſtraſſe, documentis, quæ *Illuſtr. Comes Wurmbrandius* in *collectaneis*
genealogicis evulgavit, hanc in rem uſus, evincit. Chartam 903.
Friderici II. qua ducum Auſtriæ iura confirmantur, integram
appoſuit. Formulam alterius diplomatis, quo Imperator, 906.
Fridericum *Regem* creare ſe velle declarat, in *Tom.* II. *Epi-*
ſtolar. Petri de Vineis Lib. VI. comparere, nos docet; quam- 908.
vis illud ipſum diploma, conſignatum quidem a Cæſare, nunquam tamen ab eo evulgatum fuiſſe, recte monet; quod Regis axioma ſibi oblatum recuſavit Fridericus. Interitum iſtius Principis, qui in prælio cum Hungaris commiſſo accidit, Rev. Auctor, Pernoldum ſecutus ducem, deſcribit; alio-
rum falſis ea de re narrationibus confutatis. Miſerrimum 913.
fuiſſe poſt fata iſtius Principis Auſtriæ ſtatum, ex variorum teſtium narrationibus comprobat; quas inter locus epitaphii, a monacho quodam Ciſtercienſi in honorem iſtius Prin-
cipis confecti, deprehenditur, quo poeta calamitates ac tur- 918.
bas iſtorum temporum hiſce verbis depingit:

In diverſa ſpargitur terrae dominatus,
Principis in ſedibus regnat incolatus;
Agnus ovem devorat, lupus eſt beatus;
Cattis atque muribus par eſt Principatus. rel.

Sententiam eorum, qui Auſtriæ ordines, ſpreta & in dubium vocata feminarum ſucceſſione, ad Fridericum II. legatos miſiſſe, & cum eo de novo Principe eligendo conſilia communi-

Digitized by Google

municaſſe tradiderunt, tanquam veritati contrariam profli-
Pag. 928. gat: quamvis Auſtriam ab Imperatore per rectores ideo
conſtitutos adminiſtratam eſſe, ac Ducem Bavariæ ſigillatim
932. huic muneri fuiſſe admotum, obſervet. *Hermannum*, Mar-
chionem Badenſem, a *Wilhelmo* Romanorum Rege Ducem Au-
ſtriæ conſtitutum fuiſſe, negat, etſi ille pro legitimo
933. iſtius regionis Principe ſe geſſerit. Inter Præſules, ad in-
dictum a *Gregorio* IX concilium Romanum proficiſcentes, &
a Friderico II. captos, plurimos fuiſſe Ciſtercienſis ordinis
ſocios Auctor narrat, eoſque, tanquam martyres mira-
938. tur, & plorat. *Coeleſtinum* IV Gregorii IX. in Pontificatu ſuc-
ceſſorem, ordini Ciſtercienſi fuiſſe adſcriptum, ex *Ughelli Ita-*
939. *lia ſacra* obſervat. Ciſtercienſes in Polonia, Sileſia, & Hun-
garia conſtitutos, per inſultus Tartarorum A. 1241. inſecutos,
plurimum pertuliſſe, luget. Non viros duntaxat, verum &
feminas Ciſtercienſem ordinem illuſtraſſe, A. commemorat: has
inter, *Sanctiam*, ex Arragoniæ Regum ſanguine prognatam,
940. nec non *Conſtantiam*, Regis Legionis filiam, celebrat. Me-
rita ordinis Ciſtercienſis in Papam *Innocentium* IV, & privile-
942. gia viciſſim huic ordini ab eo collata, prædicat. Poſteaquam me-
tus, ex populationibus Tartarorum Auſtriæ incuſſus, evanuerat,
unum ex dominis Campililienſibus, qui tum eum tractum
incolebat, in monaſterium omnia bona, beneficii nomine
949. poſſeſſa, annuente Duce, tranſtuliſſe, gloriatur. *Eberhar-
dum*, Præſulem Salisburgenſem, ut ſingulis annis duæ ſalis
libræ monaſterio Campililienſi, ab officialibus ſuis curam ſalis
habentibus, gratis exhiberentur, præcepiſſe narrat. Ipſam
Eberhardi chartam Auctor exhibuit. Seculo 16. monaſte-
rium hoc beneficio privatum fuiſſe, vehementer dolet. *Ferdi-
nandum* vero II. ex ſalinis Auſtriacis id damni reparaſſe,
950. prædicat. Mortuo Hermanno Badenſi, ordines Auſtriæ legatos
ad Marchionem Miſnicum miſiſſe, ut ſibi unum ex filiis Con-
ſtantiæ Auſtriacæ Ducem expeterent, Pernoldi veſtigia ſecutus,
955. recte omnino adſerit. Turbas a *Wenceslao* Bohemo eapro-
pter motas, itidem deſcribit. Nuptias Ottocari cum Mar-
959. garetha Auſtriaca A. 1252. celebratas fuiſſe, contendit. Mar-
gare-

Digitized by Google

garetham eam votis monaſticis antea fuiſſe adſtrictam, negat; Pontificis autem conſenſum in haſce nuptias ideo fuiſſe neceſſarium, quod Ottocarus cum Margaretha quarto cognationis gradu eſſet coniunctus. Ius in ditiones Auſtriacas Margaretham cum Ottocaro communicaſſe, non vero in eum tranſtuliſſe, urget; indeque eum, cum ſe a Margaretha per divortium ſeiungeret, communione iſtius iuris ſe ipſum ſpoliaſſe, concludit. *Guidonem* III. Archiabbatem Ciſtercii, circa A. 1258. Pag. 960.
primum, lege publica, capituli generalis vetus in ordine interdictum, quo monachis vetitum erat ad veſtes ſacerdotales & ornatum altarium ſericos & holoſericos pannos adhibere, ſuſtuliſſe narrat. Eiusdem Abbatis hortatu, Patres Ciſtercienſes lege publica caviſſe, ne unquam ab iſto ordine, de ulla perſona, quanta etiam ſanctitate fulſiſſet, & prodigiis inclaruiſſet, in album ſanctorum referenda, aliqua apud curiam Romanam mentio fieret, *ne ſancti multitudine vileſcerent*, memorat, ei autem inſtituto ridicule ſuccenſet Rev. Auctor. 989.
Circa hæc tempora, *Adamum* quendam, monachum Ciſtercienſem, floruiſſe, & in monaſterio Alderspacenſi in Bavaria commoratum eſſe, narrat. Eximii Theologi encomio monachum iſtum Auctor mactat, qui omnem Theologiam moralem verſibus hexametris comprehenderit, cuius poematis aliquot exempla in monaſterii Campililienſis bibliotheca aſſerventur. Opus inſuper illud poeticum, in varias partes diviſum, compendium magnæ illius ſummæ *Raymundi de Pennaforti* conſtituere, dicitur. Quantum interim pretium compendio iſti moralis Theologiæ ſtatui debeat, vel initium eius affatim loquitur. Præcipit nimirum illud de officio miſſæ, ubi inter alia ita ſcribit: 990.

In ſummis feſtis ad miſſam dicitur, una
Tantum collecta — — —

Etiamſi vero doctrinam non adeo inſignem in iſto opere deprehendi Rev. Auctor concedat, iis tamen, qui tales ingeniorum foetus flocci habent, acrem dicam ſcribit, voluntatem ad minimum in eorundem Auctoribus laudandam eſſe, inculcans. Fundationem, iura, atque poſſeſſiones mo- 992.

Kk 2 naſterii

Digitized by Google

naſterii Campililienſis omnes, diplomate hanc in rem evul-
Pag. 998. gato, confirmaſſe Ottocarum videmus. Pontificem, divortium iſtius Principis a coniuge Margaretha, neutiquam probaſſe, urget; quamvis eundem, ne potentis iſtius Principis gratiam amitteret, Ottocari conſiliis ſe non oppoſuiſſe conce-
1008. dat. Diploma *Richardi*, Romanorum Regis, quo Ottocaro eiusque heredibus Auſtriæ Stiriæque Ducatus conferuntur, pro ſpurio & confiƈto A. reputat, & argumenta hanc in rem
1011. affert plurima. Sententiam eorum, qui Margaretham ab Ottocaro veneno fuiſſe interemtam contendunt, tanquam ve-
1021. ritati contrariam, profligat. *Ludovicum Severum*, Boioariæ Ducem, coniugem ſuam, propter levem violatæ fidei coniugalis ſuſpicionem, præcipiti conſilio occidiſſe, utque cædem illam expiaret A. 1263. iuxta Monachium Ciſtercienſe monaſterium condidiſſe, narrat, eiusdemque ſimul piam munificentiam
1033. inſigniter prædicat. *Iulianam* quandam, monjalem Ciſtercienſem, ac Prioriſſam in monte S. Cornelii prope Leodium, de feſto corporis Chriſti ſingulis annis celebrando, prima agitaſſe conſilia, eaque tantum habuiſſe roboris, ut per univerſam dioeceſin Leodienſem iſtius feſti ſolennia celebrari præciperentur, Auƈtor loquitur. Poſteaquam A. 1237. vitam cum morte commutavit iſta monialis, alia quædam, *Eva* nomine, Ciſtercio itidem adſcripta, precibus ad Urbanum Pontificem fuſis effecit, ut per univerſam Eccleſiam regnaret hæc ipſa ſolennitas. Epiſtolam ab Urbano ad hanc monialem ideo
1035. perſcriptam, Auƈtor affert integram, & ordini ſuo gratulatur, quod tanti feſti inſtitutio eiusdem ſodalibus debeatur. Monaſterium *Stellae Mariae*, Germanis *Marienſtern* diƈtum, in Luſatia, virginibus Ciſtercienſibus inſerviens, A. 1264. a *Bernhardo Comite de Camentz*, Miſniæ Epiſcopo,
1036. fundatum fuiſſe narrat. *Gregorium* X. ordinibus Germaniæ, ut novum conſtituerent Imperii caput, literis A. 1273. ad eos datis, iniunxiſſe commemorat. Reƈte in eo feciſſe, & iure ſuo uſum eſſe Pontificem, putat, & in eos, qui poteſtatem Romanæ curiæ in eligendis Imperatoribus vellicant, vehementer invehitur; argumentis, defenſore iurium Papalium digniſ-

digniſſimis, hoc eſt inanibus & nullis, eam in rem diſputans. Imperatorem quoque, non admodum pie, gregis Pag. 1057.
dominici *arietem*, Papam contra eius *paſtorem* nominat.
Diem, quo electus ſit Rudolphus Habsburgicus, certo conſtitui 1058.
non poſſe, & ſententiam eorum, qui electionem iſtam d. 29. Septembris accidiſſe contendunt, iuſto fundamento deſtitui, obſervat. Quamplurima inſuper de iſto Principe, no- 1061.
tatu digniſſima, profert in medium. Uſum linguæ vernaculæ, in inſtrumentis ſub Rudolphi imperio ubique introductum & ſtabilitum fuiſſe, negat. *Thomam Aquinatem*, in monaſte- 1075.
rio Foſſæ novæ Ciſtercienſis ordinis in Campania conſtitutum, A. 1274. deceſſiſſe, commemorat, & narrationes complures, vehementer abſonas, atque omni fundamento deſtitutas, de iſto nugatore affert. *Iacobum* I. Arragoniæ Regem, depo- 1115.
ſito diademate, ordini Ciſtercienſi A. 1276. nomen dediſſe, narrat. Chartam *Rudolphi* I. qua privilegia monaſterii Cam- 1117.
pililienſis confirmantur, non tamen integram, proponit; quod 1125.
in ea, maximam partem a Leopoldo & Friderico iamiam ſancita, nonniſi repetuntur. Luctuoſum Ottocari fatum, Campililio valde infauſtum exſtitiſſe, conqueritur, & ab eo tempore ſingulis annis memoriam iſtius Principis recoli, nos docet.
Rudolphum I. terras Auſtriacas familiæ ſuæ tribuendo recte 1128.
egiſſe, cum easdem iure belli acquiſiverit, & ab Ottocari invaſione liberaverit, pronuntiat. Miſenenſes inſuper Marchiones, iuri ſuo tunc temporis renuntiaſſe, audacter ſatis, ſine omni tamen fundamento, lectoribus perſuadere conatur. 1143.
Rudolphi inſignem pietatem, (liberalitatem in monaſteria ſcilicet,) valde probat, & ubique probitatem, prudentiam, fortitudinem, ac clementiam, in eo deprehendit, dum beneficia in primis ordini Ciſtercienſi ab eo collata, recenſet. *Martinum* 1150.
Polonum, notiſſimi illius chronici a Chriſto nato uſque ad *Honorium* IV. compilatorem, ordini Ciſtercienſi adſcriptum fuiſſe, contra *Ughellium* & *Carolum de Viſch* Auctor negat; eundem potius ordinis prædicatorum ſodalem fuiſſe, contendens. *Iohannem* quendam *de Wardo*, monachum Du- 1188.
nenſem in Flandria, primum ex ordine Ciſtercienſi magiſtrum

 Theo-

Digitized by Google

Theologiæ in Academia Pariſienſi renuntiatum eſſe, obſer-
Pag. 1189. vat. *Albertum* I. A. 1298. imperiali dignitate iamiam fuiſſe
exornatum, qua de re nonnulli, ac ſigillatim *Cl. Herrgottus*
dubitaverat, pro certo ſumit; ex diplomate Alberti, eodem an-
1238. no evulgato, eam rem luculenter comprobans. Iubilæum
Romanæ Eccleſiæ A. 1300. a *Bonifacio* VIII. neutiquam pri-
mum, aut noviter inſtitutum fuiſſe, uti vulgo creditur, Rev.
1242. Auctor contendit, cum integro ſeculo antiquior, & A. 1200.
per Innocentium III. introducta iamiam fuerit hæc ipſa ceri-
monia. Privilegia & literas inveſtituræ feudorum, quas *Ru-
dolphus* & *Albertus* I. evulgarunt, maximam partem in ſcri-
niis monaſterii Campilílienſis fuiſſe repoſitas, membrana ve-
tus, adhuc hodie in dicto monaſterio exſtans, indigitat; cuius
1266. contenta Auctor hic integra exhibuit. Seculi primi faſtorum
Campilílienſium decurſus, priori etiam huius operis tomo im-
ponit coronidem. Ut vero fontes, ex quibus inſtituto ſuo
inſervientia Rev. Auctor derivavit, eo facilius adire poſſet le-
ctor, ad calcem huius tomi, *Ortilonis excerpta hiſtorica*, tam
ex *Aloldo Peklarienſi*, quam ex aliis deſumta, nec non eius-
dem *Ortilonis* libellum *de exordio Campilílii*, una cum *Leu-
poldi de Neunburga indiculo chronico actorum & liberorum S.
Leopoldi Auſtriae Marchionis*, & *Fr. Pernoldi de ordine prae-
dicatorum chronicon Friderici bellicoſi*, *ultimi Auſtriae Ducis
Babenbergici*, & *Margarethae Reginae*, *ſororis eius*, monu-
menta hactenus inedita, integra heic evulgavit. Ne autem de
fide Ortilonis aliqua eſſet dubitatio, peculiari commentatio-
ne, quæ per modum dialogi inſtructa eſt, argumenta, ad fi-
dem ipſi conciliandam facientia, collegit. Indices denique
totius voluminis, certas in tabulas, quarum prima res
eccleſiaſticas, altera politicas, tertia denique miſcellanea conti-
net, ſummo cum labore confecit, ita ut ictu fere oculi
contenta poſſint cognoſci. Primum hunc, cuius notitiam iam
dedimus, vaſti huius operis tomum, tres adhuc alii exci-
pient. Et prior quidem eorum, qui operis ſecundus eſt, res
monaſterii inde ab A. 1301. uſque ad A. 1500. complecte-
tur. Excipiet illum tomus operis tertius, qui hiſtoriam dicti
mona-

Digitized by Google

monaſterii ad noſtra uſque tempora pertexet. Quartus denique tomus, *Recenſum genealogico diplomaticum* exhibebit, quo omnia documenta, quibus ad epochas conſtituendas, & perſonas, quarum in ipſo opere mentio fit, cognoſcendas, Rev. Auctor uſus eſt, egregio ordine diſpoſita, lector inveniet. Neutiquam vero chartæ illæ comparebunt integræ, verum, excerpta duntaxat earum breviſſima, & noninſi quæ ad rem probandam pertinent continentia, dabuntur. Pars ultimi iſtius voluminis altera, familias laudabit fere nongentas, quarum hoc in opere fit mentio, ordine cognominum alphabetico diſpoſitas, unaquaque litera ſectionem novam conſtituente. Gemina tandem appendix, quarum altera monumenta ſepulcralia exponet, altera vero excerpta necrologii Campililienſis continebit, totum opus claudet. Hunc tantæ molis laborem ſi Auctor abſolverit, ſummam illum apud ſuos gratiam, & inſignem apud omnes indefeſſæ diligentiæ laudem, reportaturum eſſe certo confidimus.

DISSERTAZIONE FISICO-ANATOMICA SOPRA l'eſcluſione de fermenti ſtomatici, e delle glandole nella Villoſa &c.

i. e.

DISSERTATIO PHYSICO-ANATOMICA de origine fermenti ſtomachici & glandularum tunicæ villoſæ, qua, tam vera origo ipſius membranæ, quam vera chylificationis ratio oſtenduntur, Auctore Doctore CAMILLO BARBELINI, Romano, Phyſico.

Romæ, 1747. apud Gregor. Roiſeum; 8. pl. 2.

Clariſſimus Auctor antiquam ſententiam de fermento ventriculi in dubium vocat, omnemque mutationem alimentorum, liquido nerveo per tunicæ villoſæ ventriculi nerveos fines tranſpiranti, tribuit: quod ut oſtenderet poſſet, ipſam tunicam villoſam experimentis ſubiecit, eamque nullis ad ſenſum foraminulis perviam eſſe, unde aliquis liquor

Digitized by Google

alius, quam qui nervorum, effluere poſſet, comperit. Neque enim armatus oculus in ſuperficie illius tunicæ, quidquam detexit eorum, quæ ceteroquin de lacunis mucoſis glandularum, ſub villoſa deliteſcentium, dici ſolent: neque quidquam aliud, quam reptatus vaſorum omnis generis, deprehenſum fuit, multo minus tunica illa tuberculis elevata viſa eſt, niſi quod plicas ac rugas viſui ſiſteret. Interea, compreſſa aliquantiſper tunica illa, liquidum aliquod comparuit, illi ſimile, quod ex omni membrana cavum inveſtiente exſudat; poſtquam etiam aqua calida tantiſper diluiſſet maceraſſetque prædictam tunicam, glandulæ ſingulares haud comparuerunt, præter illas, quæ foris ad ventriculum ſub eius tunica membranacea iacent. Hæc omnia, ut repetitis experimentis confirmaret, ad examen iterum iterumque revocata tunica villoſa fuit, inciſis *canum* atque *ſuum* ventriculis, in quibus glandulas iſtas rectius quam in homine detegi poſſe Heiſterus notavit.

Sed ſucceſſus voto non reſpondit, nec in boum quidem ventriculis quidquam repertum eſt, quod glandulæ ſpeciem referret. Igitur glandulas ſub cruſta villoſa poſitas, ex quibus fermentitius ventriculi liquor fluere poſſit, in dubium vocat penitus Auctor cl., eaſque maximas eſſe oportere ſtatuit, ſi officio illi, cui deſtinantur, pares eſſe debeant: ſiquidem minorem liquidi gaſtrici quantitatem, quam quæ eſt vel ſalivæ vel liquoris pancreatici, eſſe haud oporteret, cum tanta ſit alimentorum quotidie ingeſtorum copia, quanta liquidis, ex minimo apparatu glanduloſo fluentibus, ſolvi non poſſet. Mirum propterea illi viſum eſt, quod Williſio ſub tunica nervea *glandulae annulatae* viſæ eſſe dicantur, imo & depictæ exhibeantur; quodque *Verheynius*, *Williſii* auctoritate inductus, iſtas glandulas ſimiliter ſtabiliverit, quarum mentionem oculatiſſimus *Bartholomaeus Euſtachius* facturus erat, ſi exiſterent. Si quid tamen tuberculorum eſt, quod imponere glandularum patronis potuit, illud fuiſſe Auctor putat, quod papillæ nerveæ, figuræ conicæ, ſeſe per ſuperficiem cruſtæ villoſæ ubique oſtendant.

Propterea

Digitized by Google

Propterea tamen nec fermentum aliquod eſt, nec ſingularis liquor, cuius auxilio alimenta mutari oporteat. Solo igitur calore vitali, a viſceribus circumiacentibus aucto, cibos intra ventriculum converti, aſſerit. Neque vero calor ille vitalis quicquam aliud eſt, quam ſpiritus nervorum, per plexus gaſtricos allatus. Non ſatis liquet, quid *Clariſſ. Auctor* ſibi velit, dum nova quædam vaſa bilifera proponit, quæ ex hepate progrediantur, plena felle ſubtiliſſimo, calefaciendi corporis cauſa, hiemis maxime tempore; quibus etiam datum ſit, id ipſum in ventriculo efficere, utpote per quem eiuſmodi vaſa ſimiliter diſperſa eſſe perhibentur. Quidquid illius eſt, quod a doctiſſimo Petrioli ſimiliter obſervatum fuiſſe dicitur, meretur ſane clarius oſtendi, quam in parva hac ſcriptione fieri potuit: quæ nihilominus digna eſt, quæ legatur.

ELEMENTI DI FISICA cet.

i. e.

ELEMENTA PHYSICES, EXPOSITA A P. D. IOANNE CRIVELLI, Clerico Regulari, ſecunda hac editione aucta & emendata. Accedunt eiusdem Auctoris duæ diſſertationes, de legibus motus, & de viribus vivis æſtimandis: nec non problemata arithmetica Diophanti Alexandrini, analytice demonſtrata.

Pars I. 1 Alph. 9 pl. Pars II. 2 Alph. 9 pl. Tab. 27. 4. Venet. 1744.

Liber hic, ut moles eius oſtendit, non prima ſaltim phyſices principia, ſed uberiorem paulo in eam introductionem continet. Secundam editionem daturus Auctor, de illuſtrandis augendiſque variis cogitavit, verum morte præventus eſt, die 14. Febr. 1743. Uſus autem eſt ad hanc editionem exornandam iis, quæ Auctor præparaverat, Cl. Simon Occhi. Diſſertationes duæ dynamicæ, ex tomo XXIX. diarii Italici, *Raccolta d'Opuſcoli Scientfici e Filologici*, melius

correctius hic eduntur: Analytica Diophantea ex latino Auctoris Italice verſa, nunc primum prodeunt.

Phyſicæ prima pars poſt præfationem, hiſtoriam eius complexam, quinque libris abſolvitur. Primus eorum de principiis rerum; alter de motu, ſtatica, atque dynamica agit; tertius hydroſtaticam; quartus qualitates ſenſiles; quintus lucem & colores tractat. Ut appareat, quam copioſus ſit Auctor in explicandis iis, quæ ad ſcopum ſuum ſpectant, en capitum 12. quibus liber I. conſtat contenta: de principiis univerſalibus, de natura materiæ, de natura formæ, de primariis materiæ proprietatibus, de diviſibilitate materiæ, obſervationes de ſubtilitate phyſica materiæ, de principiis Democriti & Epicuri, de vacuo, de materia ætherea, de principiis Leibnitianis, de elementis Empedoclis, de elementis Chymicis.

Cupidi cognoſcendi quid Auctor de principiis Leibnitianis, (quæ quo iure ad phyſicam trahat, ipſe viderit,) dicturus ſit, hæc cap. X. reperimus. Principia rerum omnium ſecundum Leibnitium eſſe monades. Monadum nomine ipſi venire naturas ſimplices, quæ compoſitum efficiant. Vocari ei etiam atomos naturæ, formas ſubſtantiales, puncta metaphyſica. Eſſe ingenerabiles atque incorruptibiles, ſola creatione oriri, ſola annihilatione interire. Eſſe ſingulas alteram ab altera diverſas, neque adeo vel duas monades inter ſe, vel duo corpora perfecte convenire. Monadem originariam Deum eſſe, reliquas derivativas & ſecundarias. Hos luxuriantis ingenii foetus, hæc non intelligibilia principia, doceri in Theodicæa Leibnitii & Hanſchii. In quibus cum quid inintelligibile ſit, Auctor non indicaverit, utique reſponderi a Leibnitianis non poteſt. Omnia eum condemnare vix credimus, ſaltim omnia a Deo oriri, an inintelligibile ipſi ſit, neſcimus. In diſſimilitudine rerum omnium, quam phyſicus ex naturæ accuratiore contemplatione diſcere poterat, neminem ſcimus adhuc incomprehenſibilis quidquam reperiſſe. Itaque res redire videtur ad extenſorum ex non extenſis ortum: quem ſi Auctor concipere diſtincte non potuit, poterat ſane totum illud caput de elementis, quod ad ſenſibilium phænomena explicanda Leibnitius

nitius nunquam tranſtulit, e phyſica omittere, neque ſutor ultra crepidam iudicare. Ceterum, ex contentis a nobis enumeratis ſatis iam patebit, Auctorem, quæ ex mathematicis ad phyſicam trahi ſolent, ſatis copioſe adduxiſſe. Nam quæ de virium compoſitione, de machinis, de motu uniformi & variato, de legibus percuſſionis, & ſimilibus tradi ſolent, diſtincte explicat, calculis analyticis uſus. Attractionem Newtonianam a fluido æthereo comprimente deducit; elateris autem explicationem, qua P. Maziera. 1726. præmium Acad. Pariſinæ obtinuit, adoptat. Theoriam colorum Newtonianam palmariis experimentis ſtabilit, additis tamen Rizzetti obiectionibus.

Secunda pars quatuor libros complectitur. Sextus, (eos primæ partis connumerando,) duabus lectionibus, de imaginatione, & de animi motibus agit. Septimus meteora contemplatur. Octavus Sect. I. ſphæram, II. elementa quædam chronologica, III. & IV. Syſtemata mundi, Ptolemaicum & Copernicanum, exhibet. Nonus, Sectione I. planetarum theoriam Keplerianam, ſecunda ſyſtema Tychonicum, tertia rationes phyſicas Newtoni & Carteſii Syſtematis Kepleriani enarrat, quarta de fixis, quinta de Cometis loquitur. Additus eſt appendix, de fluxu & refluxu maris. In his omnibus facile iudicabunt lectores, non multum novi, ut in elementaribus libris fieri ſolet, contineri. Nam & id ſcient morum eius regionis, in qua Auctor ſcripſit, periti, ab eo ſyſtema Copernicanum non tamquam theſin, ſed tamquam hypotheſin defendi. In diſſertatione de legibus motus, nonniſi vulgaria de percuſſione corporum habentur. De virium æſtimatione ita ſentit: militare pro adſertis Leibnitianis multa, eaque robuſtiſſima argumenta, ſed quæ evertendæ penitus menſuræ Carteſianæ non ſufficiant. Id quo perſpiciatur, palmaria Leibnitianorum argumenta recenſet, reſponſionibus additis. Primum eſt ipſius Leibnitii, in his Actis primum publicatum, ex vi, quam grave cadendo acquirit, petitum: quæ vis cum tanta ſit, quacum reflexo motu ad eandem unde deſcendit altitudinem aſcendere ruſus queat, altitudo vero ſit ut quadratum

 velo-

velocitatis, collegit Leibnitius, vim in eadem ratione eſſe. Ei argumento ſatis reſponſum eſſe Auctor adſerit, conſideratione temporis inſtituta. Deinde iis, quæ alius aliquis adduxit, & Bernoullius elaſtris applicavit, rurſus tempora actionum inæqualia opponuntur. Tertium locum occupat conſervatio ſummæ factorum ex maſſis in quadrata celeritatum, in corporibus elaſticis. Monet hic Auctor, ſi vires non ſint contrariæ, æque conſervari motus, methodo Cartheſiana menſuratos: ſi vero contrariæ ſint, non opus eſſe ut differentia eorum ſummæ loco ſumatur, & negativum cum Leibnitianis pro poſitivo habeatur. Vires contrarias ſe mutuo deſtruere: & licet ſententia quod vires ſemper ob immutabilitatem divinam conſerventur, magnam veritatis ſpeciem præ ſe ferat, eam tamen experientiæ non convenire, cum videamus quotidie vires deſtrui, ut in occurſu corporum mollium æqualium æqualibus velocitatibus latorum, in adſcenſu gravis, & ſimilibus accidat. Igitur ad vim percuſſionis menſurandam, elidi debere vires contrarias, & poſitiva tantum colligi, quorum ſumma conſtans ſit futura. Si $M, m,$ ſint maſſæ, $V, u,$ velocitates, & in mollibus, ubi velocitas communis poſt ictum eſt $\frac{MV + mu}{M + m,}$ poſitis $M = 4, V = 3, m = 2, u = 1,$ habebitur ea $= \frac{7}{3}$. At vis Carteſiana ante ictum erat 14 & poſt ictum erit $\frac{7}{3}. (4 + 2) = 10$. Si reliquis manentibus ut ante ſit $u = - 1$, veloc. poſt ictum erit $\frac{5}{3}$ & adeo vis $= \frac{5}{3}. 6 = 10$, & vis ante ictum etiam $= 10$. Pro elaſticis ſi $M = 1, V = 4, m = 3, u = 0$, vis ante ictum $= 4$, velocitas ipſius M poſt ictum $= - 2$, & ipſius $m = 2$, ut vis poſt ictum ſit $6 - 2 = 4$. Si $M = 3, V = 3, m = 2, u = - 1$, vis ante ictum $= 7$, velocitates poſt ictum ipſorum M & m ſunt reſpective $- \frac{1}{5}$ & $\frac{19}{5}$ ut vis poſt ictum ſit $- \frac{3}{5} + \frac{38}{5} = 7$. His ſuccedit quartum argumentum ex conſervatione ſummæ virium Leibnitianarum, etiam in motibus obliquis, petitum; cui regerit, quod iam Mairanus animadverterat, reſolutionem vis alicuius in componentes infinitis

finitis modis fieri poſſe, inter quos futuri quoque ſint, qui Carteſianis favaant. Experimentis Polenianis, s' Graveſandianis, & ſimilibus, diverſitatem a tempore oriundam rurſus obiicit.

De ſex Diophanti libris analytice explicatis, non eſt quod multa dicamus: cum præter calculi algebraici ad problemata hæc applicationem, artificiaque analytica quædam haud adeo abſtruſæ indaginis, nihil novi contineant.

Das Leben Ernſt Salomon Cyprians

h. e.

VITA ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI, S. S. Th. Doctoris, ac Summi Senatus Sacri, qui Gothæ eſt, Præſidis vicarii, ad illuſtrandam divinam providentiam miſerationemque, a ſtudioſo quodam veri, vivo adhuc beato viro, conſcripta, nunc autem, ex beati voluntate foras data, ab ERDMANN. RUDOLPHO FISCHERO, Collegii Socerdotalis Coburgenſis Seniore, Archidiacono ad ædem d. Mauritii, & Sereniſſimo Duci a ſacris confeſſionibus.

Lipſiæ, apud Bernh. Chriſt. Breitkopf. 1749. pl. 12½. in 8.

Quum iam aliquoties Ven. Fiſcherus hanc provinciam obierit, & quum Gerhardi, magni inprimis apud nos Lipſ. 1723. Theologi, tum Verpoortennii, S. S. Theol. quondam Lic. & Profeſſoris in illuſtri gymnaſio Coburgenſi, vitas Coburg. memoriæ prodiderit: dubitandum profecto non eſt, quin tan- 1751. to diligentius in exponenda Cel. *Cypriani* vita verſatus ſit, quanto accuratius ei conſtare de illa potuit. Nam & præceptore olim, & amico deinceps, magno illo viro uſus eſt, & quater eum Gothæ convenit, ubi multa cum eo, remotis arbitris, egit, & uſque ad extremam illius vitam, litteris ultro citroque miſſis, tam veterem tamque ſanctam amicitiam coluit. Quibus etſi præſidiis inſtructus erat, tamen voluntati beati viri parere, &, quæ a morte illius, faſciculo quodam incluſa, acceperat, edere; quam ipſe vel immutare quidquam,

Digitized by Google

vel aliam eius vitam copioſioremque conſcribere, maluit. Neque tamen nihil eſt, quod Fiſchero debeamus. Namque & VI. capita poſteriora, in quibus de ultimis Cypriani fatis, eiuſque libris, quos vel ipſe confecit, vel præfationibus adornavit, vel qui, ab aliis conſcripti, eius in nomine apparuerunt, exponitur, adiecit, & VI. priora variis obſervationibus illuſtravit. Elegans eſt in præfatione comparatio Cypriani noſtri cum priſco illo Carthaginienſium epiſcopo, atque inter duodecim, vel viginti ſex alios eiusdem nominis, (*vid. Cypriani annot. in Hieronymi catal. ſcript. eccleſ. cap. 67. p. 268.*) uno, præcipuo, & clariſſimo doctore. In utroque enim ſingulares prorſus ingenii animique dotes, maxima in omni doctrinarum varietate intelligentia, atque incomparabilis eloquentia, eminuerunt. Antiquus ille, etſi ſatis vel a doctrina inſtructus, vel ab ingenio, tamen νεόφυτος adhuc, primo presbyter, deinde ſummus ſacrorum apud Carthaginienſes antiſtes creabatur, invito licet Feliciſſimo: atque hic noſter iuvenis XXVII. annorum, multis indignantibus, academici gymnaſii Coburgenſis clavo admovebatur. Utriusque in legendis relegendisque libris, ſacris, atque evolvendis perſcrutandisque antiquorum coetus ſacri doctorum monumentis, ſingulare ſtudium fuiſſe fertur: uterque, contra errores, doctrinæ coeleſtis puritatem inquinantes, egregie ſtetit: utrumque diſciplinæ eccleſiaſticæ vindicem acerrimum commendat poſteritas, & porro commendabit, præſertim ſi qua futura eſt, quæ, quanta ſit in ea, quæ divi Erneſti, Ducis Saxonis, legibus inſtitutisque nititur, ſapientia præſtantiaque, probe intelliget. Uterque etiam in exercitatione virtutum totus erat occupatus, in iisque commendandis orationem ſtudiumque conſumebat. Uterque erga pauperes inopesque liberalis fuit; utrique gravis erat vultus, & idem lætus; nec ſeveritas triſtis, nec comitas nimia, ſed admixta utrinque temperies, ut eſſet ambigere, vereri plus, an diligi mereretur; niſi quod & vereri & diligi uterque merebatur. Uterque conviciis hominum, non tam ſibi, quam vero coeleſti inimicorum, proſcindebatur: ab utroque admodum multa conſcripta ſunt, in ſuo genere admiranda: utriusque

Digitized by Google

que denique vita a variis conſignata eſt litteris; ac veteris quidem illius a Pontio, diacono, Prudentioque Marano, e congregatione S. Mauri; huius autem noſtri & ab aliis *), & a *viro hoc, veritatis cum primis ſtudioſo*, conſcripta, deinde beati viri manu emendata, & a Fiſchero continuata eſt. Quæ etſi iam omnium inter nos ſcientia continetur: tamen præcipua eius capita hic etiam replicanda putamus, partim quod vitam tanti viri omnium memoria dignam iudicamus, partim ut eius notitia etiam ad exteros perveniat. In XII. igitur capita vita illius deſcripta eſt; quorum primo agitur de natalibus eius atque educatione. Natus vero eſt 1673. die 22 Sept. Oſthemii, in Franconia, gente quidem, per Germaniam, Italiam, ac Poloniam ſatis celebri, cuius tamen opes apud nos, bello illo Germanico, per triginta annos geſto, vehementer debilitatæ fuerunt. Patre uſus eſt Chriſtiano, φαρμακοποιῷ; matre vero Anna Catharina, e nobiliſſima apud Saxones Schraderorum gente. Ab incunte ætate ſcholarum Oſtheimienſis, Salzungenſis, ac Schleuſingenſis diſciplinæ mandatus eſt, atque in hac quidem Chriſtoph. Sontagium, celeberrimi theologum nominis, atque poſtea academiæ Altorfinæ ornamentum egregium, Io. Erneſtum Schadenium, Martinum Chriſtianum Goeldeln, atque Io. Georgium Hofmannum, præceptores habuit. Duro uſus eſt initio. Schadenio tamen, viro ſevero, ſed in primis διδακτικῷ, debere ſe profeſſus eſt, qua ratione iuventus effrenis coercenda ſit. Tum c. II.
primo Lipſiam, deinde vero Ienam ſe contulit, atque hic, Rectore D. Gunthero Vilelmo Schelhammero, medico, in tabulas civium academicorum relatus, arti ſalutari operam dare coepit. Dulci tamen Dei ductu, aut vi potius amabili, ut ipſe ait, a medicinæ cultura ad theologiæ ſtudia revocatus, *Danzio*,

*) *Ut* Ioanne Fabricio *P. IV. p.* 455. *hiſt. Biblioth. ſuæ:* Gabr. Wilh. Goetten *im itzt lebenden gelehrten Europa P. II. p.* 6. D. Godofr. Ludovici *in der Ehre des Caſimiriani Academici zu Coburg, P. II. p.* 292. Moſerus *in vitis theologorum hodiernorum, p.* 793.

Digitized by Google

Danzio, Weigelio, Hambergero, Io. Andr. Schmidio, Hebenſtreitio, Io. Iac. Mullero, in philoſophia præceptoribus uſus eſt. Interim hunc ſtudii medici fructum ſe tuliſſe faſſus eſt, ut & Græcæ linguæ plurimum temporis tribuerit, eiusque tantam facultatem conſequutus ſit, ut ſuper menſis principum, græce cum Græcis ſæpe numero loqui potuerit: deinde, ut, primo Hippocratis aphoriſmo monitus, per omnem vitam temporis non tam parcus eſſet, quam avarus. Poſtquam vero ad theologiam incumbere coeperat, iuri naturæ & gentium maxime dedit operam, atque, præſide Mullero, non ſolum in univerſam ethicam, ſed etiam de occiſione furis nocturni, ac, ſub præſidio Hebenſtreitii, de theologia naturali plures diſputationes habuit. Sic igitur philoſophia linguarumque intelligentia ſatis imbutus, ad *Bechmanni, Beieri, Velthemii*, ſub quo *de ſudore Chriſti ſanguineo*, 1697. diſputavit, *Philippi Mulleri, cuius annotationes in mille quaeſtiones Bruckneri* publice defendit, theologorum tum celeberrimorum, ſcholas adiit: atque *Lynckerum* quoque, de iure canonico præcipientem, audiit. Tum *Io. Andr. Schmidium*, in academiam Helmſtadienſem evocatum, ſequutus, eiuſque uſus convictu, eumdem in omni theologia, *Hermann. von der Hardt*, in antiquitatibus orientalibus, *Eiſenhardium* in iure civili, *Werlhofium* in iure publico, magiſtros nactus eſt. Diſputavit etiam, præſide *Schmidio, contra Liberium de ſancto amore*, ſeu Io. Clericum, item de *ſudariis Chriſti, de faſciis Chriſti, de omophorio Epiſcoporum Graecorum:* ac poſtea, ipſe præſes, *de figlis veterum, de iure regio* ad Grotii ius B. & P. L. I. c. 4. §. 3. *de fabrica crucis Chriſti, de dicto Tertulliani: Haereticorum patriarchae philoſophi.* His ingenii documentis clarus, 1690. philoſophiæ profeſſor extraordinarius Helmſtadii factus; ſequenti vero anno d. 18. Oct. Coburgum, ad Directoris, quem dicunt, Profeſſorisque Theologi munus evocatus eſt: quo etiam, litteris commeatus ab univerſa Brunſvicenſium Lunæburgicorumque Ducum Sereniſſima domo impetratis, comitatus centum amplius ſtudioſis iuvenibus, diſceſſit. Etſi vero multi erant, qui adoleſcentiam eius primo deſpicerent: tamen ita doctri-

doctrinam prudentiamque ſuam probavit omnibus, ut neque ante, nec poſt eum, illuſtre illud gymnaſium æque floruerit; quippe ad quem audiendum fere centum adoleſcentes, iique bonam partem nobiliſſimo genere, quotidie confluerent. Aperuit etiam, ſtatim ſub adventum ſuum, *noctes Caſimirianas*, hoc eſt, conventus quosdam, die quoque Saturni habendos in muſeo ſuo, in quibus de rebus ad variam doctrinam pertinentibus ageretur: quamobrem non viri tantum docti, ſed Principis etiam amici frequentes comparuere. Diſputavit deinde ibidem de doctrina Tertulliani evangelica: de Clementis Romani, Ignatii, Polycarpi, & Iuſtini M, doctrina evangelica: de officio Principis, circa ſubditorum felicitatem æternam: de vere ſacro: de cæde Mariæ Stuartæ, Scotiæ reginæ: de pictura, teſte veritatis ſub papatu: de mortibus Socinianorum, qui doctrinæ ſuæ virus in Italia, Gallia, Germania, & Polonia primum ſparſerunt: de animadverſionibus amicis, in libellum illo tempore Bambergæ editum, ſub titulo: kurz und gut: de hiſtoria pædobaptiſmi reſtituta: de anulo Gygis: de propagatione hæreſium per cantilenas: de Maximiliano I. Pontificatum M. affectante: de tacitis iudiciis populi. Plures edidit etiam proluſiones, argumenti & rari ſelectique, & ſcitu apprime utilis neceſſariique. A. C. 1703. ſecularem memoriam fundatæ huius inclitæ Scholæ, oratione quadam, de ortu progreſſuque Scholæ Caſimirianæ, celebravit, ac 1706 Vitebergæ honores doctoris theologi, habita prius ſub præſidio D. Caſp. Loeſcheri diſputatione, de legis termino ex Gal. III, 19. conſequutus eſt, Henrico, Duce Roemhildenſi, ſumtus liberaliſſime ſuppeditante. Functus igitur munere ſuo ad annum 13. Gotham a Friderico II. arceſſitur, ut a conſiliis eius eccleſiaſticis eſſet, ac principum iuventutis ſtudia moderaretur, ſimulque bibliothecæ curam in ſe ſuſciperet: quibus muneribus poſtea directorium muſei numiſmatici 1723, ac tabularii Fridenſteinenſis cura, acceſſit. Præterea idem in ſanctiori principis conſilio, de rebus ad religionem evangelicam pertinentibus, referre iuſſus eſt: quo in munere, arduo ſane; & fidem dexteritatemque probavit omnibus, & nunquam ea-

rum rerum, quas pro ſociis fidei, variis in regionibus oppreſſis, deprecatus eſſet, repulſam ſe ab optimo Principe tuliſſe, haud vane gloriatus eſt. His tot tantiſque meritis illuſtris, ſæpius magnis exterorum ſtudiis quærebatur, ac modo Ienam, modo Roemhildam, modo Goettingam, modo Vitembergam, modo Kilonium, honeſtis lautiſque conditionibus propoſitis, evocabatur; fruſtra licet, quod, multis cumulatus a Principibus Sereniſſimis beneficiis, mutare locum recuſabat. Studio hiſtoriæ eccleſiaſticæ mirum in modum deditus fuit ab eo inde tempore, quo ad ſanctiorem ſe diſciplinam contulerat: partim ut hæreſium rationem indolemque penitius inſpiceret; partim ut impacta cum religionis noſtræ caſtitati, tum eius doctoribus, crimina, facilius dilueret. Quam in rem quum longas peregrinationes, ob munera, quæ ei iuveni admodum imponebantur, ſuſcipere non poſſet, Belgium tamen, magnamque Germaniæ partem, peragravit: ac quum animo meditaretur, proficiſci in Galliam, atque ibi præſidia hiſtoriæ eccleſiaſticæ conquirere, eamque ob cauſſam mille numos imperiales a munificentiſſimo Principe accepiſſet, Argentorati, morbo implicitus, propoſito deſtitit, & quod pecuniæ illius reliquum erat retinere iuſſus, ad librum quemdam, rei ſacræ utiliſſimum, arte formularia exſcribendum, & ad principes, purioribus ſacris addictos, dimittendum adhibuit. Quamquam vero leniſſimo erat animo, veri tamen ſtudio litibus nonnullis implicitus eſt, ut cum Cel. P. Echardo, de vita Campanellæ, cum D. Kochio de dialogo Iuſtini M. cum ordine Theologorum Halenſium, ob L. III. comp. hiſt. eccl. Goth. atque antea cum nonnullis Godofr. Arnoldi ſtudioſis, denique cum Cel. Pfaffio, de unione utriuſque Proteſtantium eccleſiæ, quæ res tum magna animorum contentione agebatur. Præterea etiam alios ſibi inimicos ſenſit: partim quia muneris ſacri dignitatem a calumniis atque iniuriis quorumdam hominum ſtrenue defendebat; partim quia diſciplinæ eccleſiaſticæ tenaciſſimus erat; partim quia verbum divinum forti conſtantique animo propugnabat; partim denique quod ſereniſſimæ Walliæ principi auctor fuiſſe credebatur, ut, ſalva

religione

Digitized by Google

religione animi, ad ſacras epulas, eccleſiæ Anglicanæ ritu celebratas, accedere ſe poſſe exiſtimaret. Interim multorum maximorumque Principum gratia floruit, in primis vero incomparabilis Principis Friderici II. Saxonis, atque invictiſſimi Imperatoris Caroli VI. qui per Wurmbrandium Comitem, conſilii aulici imperii præſidem, torquem aureum ei tradidit, centum propemodum gemmis, & clypeata Auguſti imagine, conſpicuum. Sero quidem, bis tamen poſtea, maxime licet cognatis heredipetis indignantibus, matrimonium iniit, primo cum Iægeria virgine; deinde, mortua illa, cum Bachoffia: ex neutra vero prolem ſuſcepit. Ceterum pietas eius, rei ſacræ inter nos conſervandæ tuendæque ſtudium, veri amor, liberalitas erga egenos, in ſervandis amicitiis fides, in perferendo labore conſtantia, aliæque virtutes, ita eius nomen illuſtrarunt, ut nulla umquam ætas memoriam eius deletura ſit. Tum c. VI. occaſio ſcribendi libri, de *origine papatus*, & de *unione eccleſiaſtica Proteſtantium*, copioſius exponitur. Deinde c. VII. de ultima eius voluntate, quam ſeptem capitibus teſtatam reliquit, diſſeritur, qua Principi iuventutis, in ſpem hereditatis adoleſcenti, illud etiam toto animo precatur, ut divinus ſpiritus adulatorum nationem ab eo defendat, qui, commodi ſui ſtudio, perſuadere principibus cupiant, ſimplices fuiſſe maiores, mentiſque politæ expertes; atque his ſe dictis inſinuantes, locupletare ſe damno maximo, & clientium potentiorum, & civium, quærant. Suis autem in ſummo Senatu ſacro ſucceſſoribus ita commendavit leges Erneſtianas, quibus eccleſiarum ſcholarumque diſciplina in terris Gothanis Altenburgiciſque nititur, obſervandas, ut privatam eorum felicitatem aliter duraturam non eſſe interminetur; quia Deus periuros etiam in poſteris puniat. Rebus ita compoſitis, (c. VIII.) die 8. Sept. 1745. animam Deo reddidit, ſub profeſſione, ſe, quicquid libri ſacri, & ii, quibus ſymbolorum loco uteretur eccleſia A. C. toto animo bonaque fide amplecti, omnemque Atheiſmum, Indifferentiſmum, Fanaticiſmum, & Syncretiſmum, ſerio deteſtari. Ad annum pervenerat ſeptuageſimum ſecundum, ac die 22. Sept. præ-

Digitized by Google

lucentibus facibus, nocturno tempore, quod ipſe vivus præceperat, elatus eſt. Bibliotheca eius, cuius duplex editus eſt catalogus, nempe 1726. & 1733. quæque, vivo beato viro, omnibus ſanctioris diſciplinæ cultoribus patuerat, poſt obitum eius, fata tot aliarum bibliothecarum ſequuta eſt, ut nempe divenderetur, &, velut disiecta Abſyrti membra, paſſim diſſiparetur. Nunc ex c. X. commemorandi etiam ſunt libri, quorum ipſe vel Auctor fuit, vel editor. Atque hic primo in maxima forma occurrunt: I) incomparabilis Francorum corona, laudatio funebris, dicta Thungio, Comiti, 1710. II) Hilaria evangelica, ſive theologico-hiſtorica relatio de ſollemni ſeculari Evangelicorum, Gothæ 1719. III) Ratio minime fraterna, qua theologi Reformati in Palatinatu erga eos, quos diſcriminis ergo Lutheranos vocant, utuntur. 1721. IV) Præconium funebre, Io. Friderico Bachoffio, L. B. ab Echt, tributum, Goth. 1726. V) Conſecratio Erneſti Pii, Gothæ 1729. vid. *Acta Er. A. 1729. p. 402.* VI) Adverſaria hiſtorica, quibus Bernardi M. vita illuſtratur, Goth. 1729. VII) Præfatio Bibl. Vinar. ed. rec. VIII) Præf. ad Georgii Groſchii defenſionem eccleſiæ evang. adverſus Gottfr. Arnoldi hiſtoriam hæreſium: in qua tamen & VI. integra capita Cypriano etiam debemus, nempe I. II. III. IV. XIII. & XVI. Deinde in forma, quam quartam dicunt, edidit: 1) Schediaſma de vitiis Paparum, adverſus eorundem infallibilitatem, Colon. 1699. 2) de eccleſia ſubterranea, liber ſingularis, Helmſtad. 1699. 3) S. Hieronymi Catalogus ſcriptorum eccleſiaſticorum, cum notis Eraſmi Roterod. Mariani Victorii, Heinrici Gravii, Auberti Miræi, & Io. Alberti Fabricii, E. S. Cyprianus recenſuit & annotat. illuſtravit, Franc. & Lipſ. 1700. 4) Gennadii Maſſilienſis liber de ſcriptoribus eccl. Ien. 1702. vid. *Act. Er. T. VI. Supplem. S. VII. p. 294.* 5) Animadverſiones generales in Godofr. Arnoldi hiſtor. eccl. & hæreſ. Helmſt. 1700. 6) Ulteriores ſtudii partium, quo abreptus eſt Arnoldus, probationes, Franc. & Lipſ. 1702. 7) Conſpectus theologiæ naturalis, Cob. 1701. 8) Diſſertationum eccleſ. pentas, Ien. 1704.

1704. 9) Laudatio ſunebris, habita Franckio, conſuli, Cob. 1707. 10) Coburgenſium Theod. Gaza, oratio funebris, Erf. 1713. 11) Brevis inſtitutio de Agendis eccleſiaſticis, ex hiſtoria primæ puriſſimæque eccleſiæ, Cob. 1713. 12) Catalogus MSCtorum bibliothecæ Gothanæ, Lipſ. 1714. v. *Act. Er. A. 1714. m. Ian. p. 18.* 13) Clarorum virorum epiſtolæ CXVII, e biblioth. Goth. autographis, Lipſ. 1714. v. *Act. Er. A. 1715. p. 21.* 14) Legitima defenſio rationis, qua uſus eſt E. S. Cyprianus, in hoc uniendorum Proteſtantium ardore, Goth. 1722. 15) Iudicium celeberrimorum Angliæ doctorum de Synodo Dordracena, Goth. 1723. 16) Hiſtoria Auguſtanæ Confeſſionis, Goth. 1730. v. *Act. Er. 1730. p. 436.* 17) Caſp. Sagittarii ſolida & uberior hiſtoria comitatus Gleichenſis, Francof. 1732. 18) Tabularium eccleſiæ Rom. Seculi XVI. Franc. & Lipſ. 1743. Tacemus ſacras aliquot orationes, quas eadem forma foras dedit. In octava autem, ut vocant, hæc eius ſcripta ſunt: 1) Io. Henr. Boecleri cogitationes, qua ratione adoleſcens, in ſpem fortunæ maioris natus, litteris elegantioribus erudiendus ſit, Cob. 1702. 2) Vindiciæ Iuſtinianæ, ſive pro Iuſtini M. dialogo cum Tryphone diſſ. apologetica, Ien. 1705. 3) Vita & philoſophia Thomæ Campanellæ, Amſtelod. 1705. vid. *Act. Er. 1706. p. 141. & 1723. p. 45.* 4) Ethica Chriſti, e monumentis Patrum illuſtrata, Cob. 1707. 5) Programmata ſelecta, cum triga diſſertatt. Cob. 1708. v. *Act. Er. 1708. p. 332.* 6) Hugo Grotius de veritate religionis Chriſtianæ, cum analectis Ern. Sal. Cypriani, Lipſ. 1709. 7) Friderici Myconii hiſt. Reform. ab A. C. 1517-1542. v. *Act. Er. 1715. p. 179.* 8) Wilh. Ern. Tenzelii relatio hiſtorica de principio & progreſſu reformationis Lutheri, v. *Act. Er. 1719. p. 37. 322.* 9) Altera pars utilium documentorum ad hiſtoriam reformationis illuſtrandam, Lipſ. 1718. 10) Georgii Spalatini Annales reformationis, Lipſ. 1718. v. *Act. Er. 1719. p. 40.* 11) Inſtitutio, ad perſuadendum maxime idonea, de origine & incrementis Papatus, Goth. 1719. vid. *Act. Er. 1720. p. 353.* 12) Commonitorium, de eccleſiaſtica Proteſtantium unione,

Digitized by Google

Frf. & Lipſ. 1722. 13) Compend. hiſt. eccleſ. Goth. 1723. v. *Act. Er. 1724. p. 394.* 14) Informatio de iure primogenitorum in familiis illuſtribus, lingua Germanica, v. *Act. Er. 1727. p. 179.* 15) Bibliotheca Cyprianica, Goth. 1726. iterum Lipſ. 1733. 16) Eccleſia domeſtica, ſeu pia ſcripta ad domeſticam pietatis exercitationem cum fructu adhibenda, Goth. 1739. ſermone patrio. 17) Admonitio rationalis de fugiendo religionum indifferentiſmo, 1744. quæ eius cantio cygnea, quam ipſe dixit, Germanico ſermone confecta eſt. 18) Illuſtratio ſimplicis iudicii, quod Chriſtian. Thomaſius, Profeſſor Halenſis, de Arnoldina hæreſiologia tulit, Coburg. 1747. germanice. In forma, quam duodecimam vocant, foras dedit: 1) Io. Canuti Lenæi de veritate & excellentia Chriſt. religionis brevis informatio, Cob. 1701. 2) Centrum papatus, cum amica reſponſione ad libellum pontificium, *Kurz und gut,* Iena 1705. 3) Formula concordiæ, germanice, in uſum eccleſiarum per ducatum Gothanum, Goth. 1714. 4) Animadverſiones neceſſariæ ad epiſtolam viri docti, ſcriptam ad Io. Georg. Roſenbachium, captivum in caſtro Coburgenſi Ehrenburg. Ut de iis taceamus libris, quos ſuis præfationibus commendatos prodire in vulgus iuſſit: quemadmodum quoque plures eius epiſtolæ, ipſo vel invito, vel inſciente, in lucem datæ ſunt; ut illa ad Ven. Pfaffium contra Proteſtantium unionem, atque aliæ nonnullæ, ad Lanciſium ſcriptæ, ab eoque in appendice metallothecæ Vaticanæ editæ, Rom. 1719. Tum c. XI. varia doctiſſimorum hominum iudicia, b. Cypriano perquam honorifica, ſubiiciuntur, inter quos Turretinus, Lanciſius, Cuperus, Burmannus, Thomas Crenius, & Io. Iac. Hottingerus eminent; ut Gundlingium, Ludewigium, Vockerodt, Chriſt. Gottlib Schwartzium, Io. Burkhard. Menckenium, Liebium, Geſnerum, Eccardum, Io. Gottfr. Thomaſium, Fabricios, Wernsdorfium, alios, omittamus. Tandem libri, qui apparuere in eius nomine, afferuntur. Ad extremum varia additamenta, velut per lancem ſaturam, adiecta ſunt, quibus, quæ tradita ſunt in ipſo libro, fides egregie conciliatur: atque ita coronis

vitæ

Digitized by Google

vitæ incomparabilis Theologi imponitur, cuius dum plures ſimillimos eccleſiæ noſtræ precamur, e re ſacra præclare nos agere putamus.

DE CARDINALIS DIGNITATE ET OFFICIO HIERONYMI PLATI, Presbyteri Societ. Ieſu, Tractatus, additionibus, notis, & diſſertationibus opportunis auctus, ac diſtinctis capitibus illuſtratus, a IO. ANDREA TRIA, Archiepiſcopo Tyri. Opus non ſolum S. R. E. Cardinalibus; verum etiam cuiusvis Ordinis Sacri Præſulibus, utile & accommodatum.

Editio quarta, cæteris exactior, cum triplici indice locupletiſſimo, ſanctiſſimo domino Benedicto XIV. Pontif. optimo, maximo, dicata.

Romæ, 1746. ex typographia Ioannis Zempel prope montem Iordanum, 4. Alphab. 3. plag. 4. Superiorum permiſſu.

Opus hoc conditum eſt primum ab *Hieronymo Plato*, in gratiam fratris, *Flaminii Plati*. Is, cum poſt varios honores eccleſiaſticos, tandem in ordinem cardinalium, quos adpellant, adlectus eſſet, a fratre petiit, ut formulam ſibi aliquam præſcriberet, ſecundum quam omnem vitæ ſuæ rationem componeret, quo ita munere tanto ſe dignum præſtaret, eodemque in publicam ſalutem rite fungeretur. Obtemperavit Hieronymus, qui cum aliis ſcriptis ſuam doctrinam probaſſet, hunc etiam de Cardinalis dignitate, (de qua ante id tempus multa cum Flaminio ultro citroque iactaverat), intra duorum menſium ſpatium exaravit. Mens ipſius non fuit, ut aliquando publicaretur; preſſit etiam Flaminius, qui, quæ ſibi dicta eſſent, publicam lucem ferre non poſſe iudicabat; quod non ita conſtituta viderentur, ut eruditorum iudicium ſubire poſſent. Multorum tamen precibus, & inprimis *Michaelis Angeli Calcaroli*, ſe permoveri eſt paſſus, ut operarum formis exſcriberetur liber. Quanti opus hoc fuerit æſtimatum, inde-

inde adparet, quoniam editio, quam in præſentia enarramus, ordine eſt quarta. Prima decem annos a morte Auctoris prodiit Romæ a. 1602. altera Lugduni 1623. tertia Romæ 1723. hæc cum multis ſcateret mendis, plures venerabili Triæ auctores ſuaſoreſque exſtiterunt, ut librum prelo iterum ſubiiceret, a mendis repurgatum, additionibus, auctariis, & diſſertationibus locupletatum. Quæ quoniam in præſentia nobis eſt deſcribenda, non tam illis inhærebimus, quæ a Plato ſunt dicta, ſed ex illis potiſſimum, quæ a Tria de novo adiecta ſunt, quædam notatu digniora enotabimus. Brevis totius operis delineatio hæc eſto. Abſolvitur c. XXXIV. C. I. eſt de eccleſiæ ſanctæ præſtantia, II. de origine Cardinalatus, III. de illius excellentia & dignitate, IV. de primo officio Cardinalium, ratione ordinis, V. de ſecundo illorum officio, nempe eligendi pontificis, VI. de tertio, quod eſt adſiſtere pontifici, VII. ipſos, vi ſtatus, ad perfectionem obligatos eſſe, VIII. in quibus illa conſiſtat? IX. de particularibus illorum virtutibus, & primum quidem prudentia, X. de via adquirendi & augendi illam, XI. de iuſtitia, XII. de fortitudine, XIII. de ſtudio temperantiæ, XIV. de caſtitate, XV. de divitiarum uſu, XVI. quæ vitare debeant in divitiarum uſu, XVII. quo modo honoribus uti debeant, XVIII. de amore dei, XIX. de rectitudine intentionis, XX. de ſtudio orationis, XXI. quæ conveniant ad animi puritatem ſervandam, XXII. quo modo ſe gerere debeant erga proximos, XXIII. quo modo erga familiam ſuam, XXIV. erga propinquos ſuos, XXV. quo modo nimium adfectum ſuum in propinquos temperare poſſint, XXVI. quid obſervare debeat Cardinalis erga alios Cardinales, XXVII. quid erga ſummum pontificem, XXVIII. de ſententia in conſiſtorio dicenda, XXVIIII. & XXX. quid neceſſarium ſit, ut ex animo exſtirpare poſſint deſiderium pontificatus, XXXI. quid ſpectare debeat Cardinalis in eligendo ſummo pontifice, XXXII. quid a Cardinali obſervandum ſit in legationibus, vel in gubernationibus ſibi commiſſis, XXXIII. de profectionibus, quæ Cardinalibus interdum committuntur, XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. de præmio, quod debetur bonis cardinalibus, & de poena, quæ malis.

Cardinalibus titulus eminentiſſimi & eminentiæ, in conſiſtorio ſecreto, adprobante *Urbano* VIII. d. 10. Iun. 1630. eſt conceſſus. Cardinales olim dicti ſunt presbyteri vel diaconi Pag. 1. 2.
urbis Romæ, quales cum Petrus ex mente ſcriptoris noſtri ordinavit, primum ille fundamentum cardinalitiæ dignitatis poſuiſſe Auctori videtur. Numerus horum, neceſſitate urgente, ſucceſſu 27. 28.
temporis eſt auctus, atque inde diſtinctio in cardinales diaconos, presbyteros, & epiſcopos exorta. Cardinalis idem eſt, qui 28-37.
præcipuus & principalis: quo nomine dicti ſunt, qui in clericorum ordine aliis præcellerent. Horum olim 53. fuiſſe 38-40.
perhibet Platus; qui numerus ad Honorium II. uſque A. C. 625. retentus, qui vero poſt, pro ratione temporis, vel imminutus, vel auctus fuit; Sixto V. placuit 70. illorum conſtituere, ad numerum ſc. 70. ſeniorum, qui Moſi adiutores ſunt dati. Cardinales, unum cum pontifice corpus con- 44-48.
ſtituentes, dignitate ipſi ſunt proximi, qua de cauſa etiam pontifex iuramentum fidelitatis, uti dicitur, ab ipſis non poſtulat: cenſentur quippe, uti Sixtus V. loquitur, *pontifici quaſi inviſcerati*, ut ſic a ſe ipſo quaſi iſtiusmodi religionem poſcere videri poſſet. Uti vero pontifex omni mundana poteſtate 48-51.
ſuperior, ita cardinales, recitamus propria Auctoris & Editoris verba, regibus non temere æquiparantur; quod nonnullos regum agnoviſſe, in adnotationibus adſeveratur. Accedit, quod hi Apoſtolorum vicem teneant. Sed Chriſti legati, anne umquam honorem regibus æqualem adfectarunt? Su- 52 54.
periores ſunt Epiſcopis, quibus tamen quædam competunt, quæ non conveniunt cardinalibus, quia pontifici in cura univerſalis eccleſiæ adſunt, illum eligunt, ex iisque idem eligitur. Quo tempore purpura ipſis fuerit data, & galerus ru- 54-60.
ber impoſitus, diſputatur. Rubro colore hæc ornamenta tinguntur, ut perpeſſionum Chriſti ſint memores, ſcilicet nec pro fide, ſi res ita poſtulet, ſanguinem fundere detrectent. In- 60-63.
ſperſit heic quædam doctiſſimus Editor, de promovendorum cardinalium virtutibus neceſſariis, item de ritu & forma creationis illorum, quibus verbis pontifex eos renuntiet, non-

Digitized by Google

nullis in pectore reſervatis, ipſis ingenua provolutis galerum imponat, os claudat, iterumque aperiat, & quomodo inſignia cardinalitia ad abſentes mittantur. Adiungitur cerimoniale
Pag. 64-77. duplex *Clementis* XI. & *Benedicti* XIV. quo, quæ ad deco-
77-81. rum potiſſimum ſpectant, cardinalibus præcipiuntur. De cardinalibus epiſcopis quædam in medium adtulerat Platus, ad quæ aliqua notat Editor, de reſidentia, rotulo, & conſecratione pontificis, a cardinali epiſcopo Oſtienſi, primo cardinalitii Ordinis, adhibito pallio, duobus aliis epiſcopis adſumtis, peragenda. Ex ſubdiaconis etiam aliquando pontifices ſunt
81-93. electi. Pontificem antiquitus a cardinalibus, univerſo clero, præſente populo electum, ſubinde præterea confirmationem regum & Imperatoris requiſitam fuiſſe, certum eſt, quod ad
94-111. Alexandrum III. uſque duraviſſe dicitur. Ab illo tempore in Concilio Lateranenſi conſtitutum fuit, ut ius omne pontificis eligendi penes cardinales eſſet, clero reliquo, ipſo etiam
111-113. Imperatore, excluſis. Subdit Editor deſcriptionem ritus, quo hodierno die electio pontificis fit. Undecim diebus a morte ſuperioris pontificis elapſis, cardinales conclave ingrediuntur. Electio fit vel per inſpirationem, vel per compromiſſum, vel denique per ſcrutinium & acceſſum. Electione facta, ad altare defertur, primam ſalutationem, quam adorationem di-
113-119. cunt, cardinalium accepturus. Olim in more fuit poſitum, ut frequentia epiſcoporum italicorum concilia nationalia haberentur, cum iiſdemque pontifex de re communi conſultaret: quod cum incommodum eſſet, poſt invaluit, ut cardinales pontifici perpetuo adeſſent, & cum ipſo univerſæ eccleſiæ
120-126. curam ſuſciperent. A cardinali poſtulat Auctor virtutem, non qualemcunque, verum perfectam: & quoniam ille ſpectari poteſt qua *chriſtianus*, inde qua *clericus*, denique qua *cardinalis*, demonſtrat, quæ ipſorum virtutes pro triplici iſta relatione eſſe debeant: in quibus, quod inficiandum non eſt,
126-325. multa utiliter præcipiuntur. Subnectit Editor diſſertationem, in qua agit de conſiſtorio, quod initio bis per ſeptimanam eſt celebratum; inde, auctis negotiis, ſemel, pontifice res, quæ graviores non eſſent, in capella, cum voto capellanorum, unde

tribunal

Digitized by Google

tribunal rotae prodiit, tractante. Sixtus V. conſtituit, ut congregationes haberentur, quibus certa negotia cum particularibus facultatibus adſignarentur, difficilioribus ad pontificis deliberationem & diſcuſſionem reiectis. Inde differit A. de conſiſtorio *extraordinario*, eodemque publico, & *ordinario*, ſive ſecreto, indicatis rebus iis, quæ in utroque diſcutiuntur, denique *ſemipublico*. Porro agit de cardinalium convocatione, illorum pompa, ubi accedunt, quæ regia eſt, horum, quoties pontificem compellant, ſubmiſſione; de negotiis, quæ diſceptantur; de modo, quo ſententiam ſuam dicunt; de ſecreto tenendo in iis, quæ in conſiſtorio proponuntur. Ad hæc commentatur de diverſis congregationibus, quæ habentur, quatenus pontifex conſideratur vel tamquam ſupremum caput eccleſiæ, vel tamquam epiſcopus particularis urbis, vel tamquam princeps regionis ad Romanam eccleſiam ſpectantis. Sequitur Epiſtola *Iacobi*, cardinalis Papienſis, ad cardinalem *Gonzagam* Mantuanum, quæ explanat officium papæ & cardinalium, quoties in ſenatum coeunt, qualem ſe is in proponendo, hi in deliberando & ſententiis dicendis, præſtare debeant. Poſt hæc remedia præſcribit, quibus cardinalis deſiderium pontificatus in ſe exſtinguere debeat, & qua intentione illum appetere liceat. Ubi Auctor quæſtionem diſcutit, num liceat pontificatum reſpuere, & omnino recuſare? reſpondet, non licere, quatenus non ſecundum propriam voluntatem, ſed ex alterius diſpoſitione id ipſi eveniat, qui ſi pertinax in propoſito de non acceptando pontificatu perſiſtat, poſſe ipſum a collegio ad eundem acceptandum cogi. Quæ circumſpectio, quæ prudentia a cardinalibus in eligendo pontifice ſit adhibenda, docetur deinceps. Exhibet Editor & epiſtolam cardinalis Papienſis ad *Franciſcum* cardinalem Senenſem. Exponit deinde de legationibus, quæ a pontifice cardinalibus, ad certum aliquod negotium expediendum, committuntur: qua occaſione illos nominat, qui poſteaquam oratorum munere cum laude functi eſſent, ad faſtigium pontificium ſunt evecti, vel qui certæ provinciæ gubernandæ præficiuntur, virtutesque, quæ ab his requiruntur, percenſet. Pergit ad illos, qui religioſarum ſodalitatum, locorum piorum,

326-327. 327-334. 335-337. 338-344. 344-375. 375-398. 399-422.

Digitized by Google

rum, provinciarum & regnorum curam atque tutelam ſuſci-
Pag. 422- piunt, & quod illorum ſit officium, declarat. Coronidem
450. operi imponit diſſertatio venerabilis Editoris, de privilegiis & præeminentiis eccleſiæ romanæ purpuratorum: in ea quoni-
450-888. am illa, quæ in ipſo opere dicta erant, maxima ex parte repetit, amplificat, & novis rationibus atque teſtimoniis confirmat, ex illis aliquid excerpere ſuperſedemus. De opere, ex iis quæ dicta ſunt, facile iudicabunt Lectores.

DISSERTATIONS SUR L'ORIGINE DES FRANCS;

h. e.

DISSERTATIONES DE ORIGINE FRANcorum; de inſtitutione ac primis progreſſibus imperii Francici in Galliis &c. una cum hiſtoria breviore de regibus Franciæ, carmine expoſita.

Pariſiis apud Chaubertum ſub ingreſſum vici Auguſtinorum ad honoris & prudentiæ ſignum 1748. cum approbatione & privilegio regis, 8. min. pl. 14. & tab. figg. æn.

Variæ ſunt de Origine Francorum opiniones & controverſæ, quarum nonnullæ rem ipſam ac veriſimilitudinem, aliæ ſuperbiam ſpirant & adulationem. Auctor noſter, Gallus, ad utram partem inclinet ſententiam, lectoribus iudicandum relinquimus. Iſtud certum eſt, non heri demum aut nudius tertius, immatura temeritate hoc in argumentum incidiſſe ſcriptorem noſtrum, quin iam ante aliquot annos ſpecimina quædam habuiſſe perfecta, publicique iuris feciſſe. Primam Francorum mentionem invenit ille
1. ſeculo tertio medio, ubi Vopiſcus memorat, ab Aureliano, inte[illegible]gallos legioni cuidam præfecto, Francorum ſeptingentos cæſos, captos trecentos: unde concluditur, tunc præ-
2. ſertim eosdem in Gallia fuiſſe diſperſos. Fuit hoc tempus, quo primum in Gallias incurſiones Franci fecerunt, & uſque in Hiſpanias, immo & in Africam penetrarunt. v. *Aur. Victor*
3. in Gallieno c. 33. Eosdem *Eutropius* Germanos vocat IX, 9. *Oroſius*

Oroſius Germanos ulteriores VII, 22: quibuſcum conſentiunt
Procopius de bello Gothico L. I. c. 11. *Agathias* Scholaſti-
cus L. I. & *Fortunatus* de Geleſuintha, item carm. de nuptiis
Sigiberti regis, ad annum 566. Zoſimo L. I. referente,
Probus alterum contra Francos prælium pugnavit, iisque
opera ducum ſtrenue victis, cum Burgundis & Vandalis
dimicavit. Quum Franci ab imperatore ſedes ad Pontum
Euxinum obtinuiſſent, pars eorum quædam defectionem mo-
lita, magnamque navium copiam nacta, totam Græciam con-
turbavit, in Siciliam quoque delata, & urbem Siracuſanam
adorta, magnam in ea cædem edidit. Tandem, cum & in
Africam appuliſſet, ac reiecta fuiſſet, nihilo minus domum re-
dire, nullum paſſa detrimentum, potuit. *Iulianus* Imperator Pag. 4.
orat. I. in Conſtantinum imperatorem, Francos & Saxones
promtiſſimos ſociorum, atque omnium nationum bellicoſiſſi-
mas, ultra Rhenùm atque occidentis mare habitaſſe conten-
dit. Sic & *Eumenius* in paneg. ad Conſtantinum, Franciæ na-
tiones, ab ultimis barbariæ littoribus avulſas, ait, ut in deſertis
Galliæ regionibus collocatæ, & pacem Romani imperii iu-
varent, & arma delectu. Iſtud barbaricum ſolum trans Albim 6.
fluvium, cum antiquioribus, collocat Noſter; conf. *Eutrop.* VII,
5. *Victor* epit. de Decio, *Vopiſc.* in Probo c. 13. & *Am-* 9,
mian. XVIII, 4. ſed nominatim Holſatiam vocat, Sicambros,
Cimbros, Marſos, ad eundem fere populum referens. Alii 12.
ſunt ſcriptores, qui Francos ex Scythia, Pannonia, vel a Tro-
ianis deducunt. Eſt Gallus quidam, ad primam ſenten-
tiam quod attinet, qui Phryges facit, per Pontum Eu-
xinum transductos in Aſiam; unde, per varia rerum diſcri-
mina, in Germaniam penetrarint, nomen adepti populorum, 13.
quos Maximinus imperator vicerit duxeritque captivos. Certe
Herodotus de natione Scythica loquitur, quam Scythas liberos
vocat. Auctor anonymus chronici Alexandrini memorat,
Francos cum Carpis ac Scythis ſociis adverſus Decium pu-
gnaſſe; & *Nicetas* obſervat L. II. quod Manuel Imperator
ingreſſus ſit in terram Francorum, inter Danubium & Savum
ſitam. Ita & *Plinius* IV, 12. contendit, nomen Scytharum 15.

Digitized by Google

Pag. 16. Sarmatis convenire atque Germanis. Neque Noſter negat, Francos dici poſſe Scythas, cum omnes Europæi de boreali plaga venerint, aut fuerint Scythae. Multi præterea tradunt, de Pannonia fuiſſe digreſſos, & primo quidem littora Rheni amnis incoluiſſe, deinceps
21. tranſacto Rheno ulterius veniſſe, vid. *Greg. Turon.* hiſt. Franc. L. II. c. 9. *Tacitus* & *Ptolemeus* de iis non loquuntur, niſi curſim, tamquam de populis trans Albim. Potiorum partem omittunt; re-
22. liquorum nomina corrumpunt. Ad Francorum nominis deſignationem quod attinet, Libanius ſophiſta quaſi vallo circumdatos nominat. Auctor chronici Moiſſiacenſis, ſcripti anno 845. aliique pu-
23. tant, Francos eſſe nomen adeptos de vocabulo Græco, quod indicet ferocem, a Valentiniano ſic dictos, poſteaquam Alanos rebelles ab iisdem paludibus fortiter repuliſſent; cf. *Chronica regum Francorum* apud *rerum Francicarum Scriptores* T. II. p. 663. *Cluverus* Germaniæ L. III. c. 9. 10. & 20. arbitratur, fœderi Francorum nomen deberi, quod Eucteres & Uſipetes, in Sicambrorum terras ſuccedentes, &
24. cum Anſivariis, Attuariis, Bructeris, Chamavis, Chaucis, Saliis, in unum corpus coniuncti, ſibimet tamquam liberis impoſuerint, a Germanorum *Frey* derivandum. Noſter, hanc ſententiam aſpernatus, opinatur, Friſios quidem inde nomen deducere, non autem Francos. Attamen ſi dicendum quod res eſt, ea vocabula propemodum eiusdem ſignificationis ſunt, ſolentque hodie pariter coniungi: *Franc und Frey*: quorum alterum utique Francis, alterum vero Friſiis nomen impoſuiſſe videtur. Inde et D. *Theod. Ruinartus præf.* in Greg. Turon. *hoc unum conſtans invenio, Franci nomine hominem liberum & a qualibet ſervitute immunem deſignari.* Non habuit igitur *Schwarzius* cauſſam, in obſſ. ad geogr. antiquam Cellarii Lipſ. 1732. T. II. p. 6. coniectandi, Fran-
25 corum nomen eſſe quaſi *Frie-rancken*, hoc eſt *libere currentium ac vagantes*: licet utrumque vocabulum agnoſcamus Germani. At tamen Noſter potius ab antiquiſſimo rege derivat illud nomen, præeunte *Iſidoro* origg. L. IX. his verbis: *Franci a quodam proprio duce*
26. *vocari putantur.* Inde coniicitur, quod forſitan ſimilitudo hominis huius cum Troiani cuiusdam principis nomine ſequioribus ſcriptoribus occaſionem dederit, Francis originem Troianam tribuendi. Rediens Noſter a nomine ad rem, iterum quærit ſedes ini-
27. tio ad dextram Rheni partem, ubi collocet ultra Moguntiam tabula Peutingeriana, & *Hieronymus* in vita S. Hilarionis, qui hæc habet: *inter Saxones & Alamannos gens eſt non tam lata, quam valida, apud hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Ducatus Bergenſis, Clivienſis; Comitatus Marchicus, & Weſtphaliæ pars, Franciam illam repræſentarunt, cuius priores habita-
28. tores fuere Bructeri, Anſivarii, Chamavi, Attuarii, Catti. Pertinet huc

huc locus *Sulpicii Alexandri* apud Gregor. Turon. L. II. c. 9. ubi
de Arbogaſto : *Agrippinam rigente maxime hyeme petiit, ratus tu-*
to omnes Franciæ receſſus penetrandos urendoſque, cum decuſſis fo-
liis nudæ atque arentes ſilvæ inſidiantes occulere non poſſent. Col-
lecto ergo exercitu tranſgreſſus Rhenum, Bricteros ripæ proximos,
pagum etiam quem Chamavi incolunt, depopulatus eſt, nullo um-
quam occurſante, niſi quod pauci ex Ampſuariis & Chattis, Marco-
mere duce, in ulterioribus collium iugis apparuere. Sic & *Ammian.* Pag. 29.
L. II. c. 10. *Rhenò exinde transmiſſo, regionem ſubito pervaſit Fran-*
corum, quos Attuarios vocant. Iidem Franci nominabantur Sicam- 30.
bri, Salii, Ripuarii. Proprie loquendo Sicambros in Galliam tranſ- 32.
tulerat Auguſtus, & ad ſiniſtram Rheni partem collocarat. Neque 33.
ſolum habitationes mutarunt, ſed nomina quoque, dicti poſtea *Gu-*
berni, Gugerni, aut *Cugerni.* Salii vocabantur ad *Iſalam* vel *Salam* 34.
habitantes, qui Iulii temporibus inſulam Batavorum tenuerunt: ſic
enim *Ammianus* L. XVII. c. 8. *petit primos omnium Francos, eos*
videlicet, quos conſuetudo Salios appellavit. Zoſimus L. II. hiſt. p.
707. (ed. Francof. 1590. fol.) docet, quod a Quadis inde pulſi,
a Cæſare autem reſtituti, atque Romanis legionibus additi fuerint. 36.
Confirmatio Germanicæ Francorum originis variis argumentis ni-
titur; quæ potiſſimum ſacra, lingua, veſtitus, conſuetudines, atque
alia ſuppeditant. Ad ſacra Francorum quod attinet, *Greg. Turon.*
L. II. c. 10. *ſibique*, ait, *ſilvarum atque aquarum, avium, beſtia-*
rumque, & aliorum quoque elementorum finxere formas, ipſaſque ut
Deum colere, eiſque ſacrificia delibare, conſueti. Lingua fuit 37.
Theodiſca vel *Teudiſca.* Inde *Flodoardus* L. IV. c. 35. *poſt qua-*
rum litterarum recitationem, & earum, propter reges, iuxta Theo-
tiſcam linguam, interpretationem: ubi *Ge. Colvenerus*, commenta-
tor, in ſcholiis obſervat, quod Theotiſca ſeu Teudiſca lingua inter
epiſtolas Hincmari a Coteſio editas, exſtat epiſtola Otfridi monachi
ad Luitbertum archiepiſcopum Moguntiacenſem, & præfatio in li-
brum antiquum lingua Saxonica conſcriptum, quæ ibidem vocatur
Teudiſca, & legitur adverbium theotiſce. Aliud Theodiſcæ lin- 38.
guæ exemplum exſtat L. III. hiſt. Nithardi v. Colvener. ad Flodo-
ardum (Duaci 1617. p.) 155. Veſtes erant ſtrictæ, ac ſingula mem- 40.
bra exprimentes. Rem militarem Germanorum a Tacito deſcriptæ 44.
ſimillimam, *Agathias* proponit de Francis, apud rerum Gall. ſcri-
ptores T. II. p. 65. Omnes denique, ceterarum conſuetudinum 45.
eandem originem confirmant. Paulo longiores fuimus in iſthac
prima commentatione excerpenda; quod præ reliquis nobis com-
memoranda videbatur: tanto ergo in reliquis licebit eſſe brevio- 46.
ribus. Altera igitur ſedes Francorum in Galliis occupatas exponit: 60.
qua occaſione ſimul de Tungia & Thoringia agitur; de lin-
guæ

guæ autem temporis illius Germanorum accuratione, teſtimonium
Pag. 73. egregium adfertur ex *Sidonii Apoll.* L. V. ep. 5. Sequens diſſertatio
77. eſt de ſepulcro Childerici I. in quo præter annulum ſigillarem au-
78. rei ſunt numi reperti, ultra centum, in his non niſi IX. Imperatorum.
104. Additur refutatio ſyſtematis Eccardi, de auctoritate primo-
rum regum Galliæ. Spectat eadem Eccardi origines Au-
113. ſtriacæ domus editas Lipſiæ 1721. ubi ſimul de patriciatu
Clodovæi & patriciis generatim agitur, cui tractationi in-
114. ſerviunt *Octaviani Gentilis*, ex dominis *Rovelloni* Patricii ſeptempe-
dani, de patriciorum origine, varietate, præſtantia ac iuribus, libri
125-145. quatuor &c. Romæ 1736. Maioris momenti eſt de militia vete-
rum Francorum diſſertatio: quæ cum eadem ex parte veterum Ger-
146. manorum ſedulo comparatur. Neque minoris altera, de donis gratui-
155. tis antiquæ Francorum nobilitatis. Hanc excipit diſſertatio de S.
Remigii ad Clodovæum epiſtola quadam. Legitur eadem ſub finem
156. operum Gregorii Turonenſis, a Ruinarto collectorum col. 1326.
158. Indidem hic inſeritur tota, cum Gallica interpretatione, & addi-
160. tis explicationibus. Siſtunt eædem propoſitiones ſequentes: 1.
Senſus epiſtolæ ad res Clodovei regnum circumſtantes accommo-
167. dari nequit: 2. S. Remigius, antiſtes erat eloquentiſſimus, qui-
que, tum libero tum ligato ſermone, perquam eleganter ſcribebat,
168. id quod *Gregorius Turonenſis* L. II. c. 31. atque *Sidonius
Apollinaris* L. VII. ep. 9. teſtantur; & ad poeſin quod attinet, vel
169. epigrammata duo heic inſerta confirmant: 3. epiſtola Remigio tri-
173. buta peccat, dictionem æque ac decorem ſi conſideres. Ex his ar-
175-190. gumentis, ſuppoſita ea Epiſtola videtur. Denique claudit agmen,
hiſtoriæ Francicæ, eiusdem linguæ verſibus elaboratæ compen-
dium, ordine temporum ad marginem cuiuſvis paginæ deſignato,
id quod delectationi poeticæ ſingularem adiun-
git utilitatem.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA

Tomi VIII Sectio VII.

ISTORIA DI TRIVIGI

h. e.

HISTORIA TARVISIENSIS, AUCTORE IOHANNE BONIFACIO.

Editio nova, auctior & emendatior.

Venetiis, apud Iohannem Baptiſtam Albrizzi 1744. 4.

Alph. 1. pl. 15.

Multas ſane grates magiſtratui Rovigenſi orbis litteratus debet, quod, prout ex epiſtola nuncupatoria ad Senatum Venetum directa intelligitur, hanc tractus Tarviſini hiſtoriam, a *Iohanne Bonifacio,* inſigni quondam Italiæ ornamento, conſcriptam, & in eius ſcriniis latentem, cum eruditis communicaverit. Ut vero, quanta fuerint Bonifacii iſtius in rem publicam pariter ac litterariam merita, qualeque pretium hiſtoriæ huic ſtatuendum ſit, eo rectius cognoſcatur, vitæ eius deſcriptionem huic libro præmittere non abs re alienum exiſtimarunt editores clariſſimi. Floruit igitur Bonifacius decimo ſexto & ſeptimo poſt Chriſt. Nat. ſeculis, ex illuſtri admodum ſtirpe oriundus, ita ut, ſi in antiquæ Romæ

tempora eius incidiſſet ætas, ius imaginum conſecuturus fuiſſe videatur. Hunc vero natalium ſplendorem, & propriis meritis adaugere diligentiſſime laboravit. Patavium igitur ſtudiorum cauſa ſe contulit; ubi cum arti Criticæ, Rhetoricæ, atque Iurisprudentiæ operam indefeſſam impenderet, Doctoris honores præmii loco conſecutus eſt. Poſtea, & pietatis & eruditionis ſpecimina edidit quamplurima, variaque in omni litterarum genere ſcripta concinnavit, quæ in fronte huius operis recenſentur. Contigit idcirco, ut in ſocietates litteratas, quæ per ditionem Venetam inſtitutæ ſunt, plurimas, reciperetur. Senatoris etiam munere in variis Venetæ Reipub. civitatibus perfunctus eſt, uſque dum ſenio fractus in patriam reverteretur, ibique honeſtum ſectatus otium, ſibi & Muſis unice vacaret. Inter ſcripta autem a Bonifacio compoſita, hiſtoria hæc Tarviſienſis principem utique locum occupat. Inde ab anno 1575. lares ſuos Tarviſium Noſter transtulerat. Ibi cum primum biennium exegiſſet, manus huic operi conficiendo admovit. Cumque duodecim annos iſti labori impendiſſet, anno 1591. tandem typis excudendum curavit, communi omnium applauſu exceptum. Quia vero eius tempore, hiſtoria artis criticæ miniſterio nondum ſatis erat perpolita, atque ideo faciles nimis ad credendum erant, quotquot rerum geſtarum viciſſitudines litteris mandabant, neque Bonifacium ab eiusmodi nævis immunem dicere licet. Emendavit tamen poſtea quantum potuit hoſce commentarios, ita ut poſterior editio anno 1623. adornata, in qua rerum geſtarum ſeries uſque ad illa ipſa tempora perducitur, emendatior omnino ſit. Imo, curatiorem adhuc poſtea huius hiſtoriæ editionem parare laborabat: eius tamen conſilii, morte præventus, compos fieri non potuit. Magiſtratus autem Rovigenſis, apud quem libri huius exemplar, quo ipſemet Auctor uſus eſt, inde ab ao. 1718. ubi ab heredibus Bonifacii ad Senatum pervenit, delituit, ſtatim quidem, ex quo libri iſtius copia ei facta eſt, de eo typis repetendo cogitavit. Cum autem & variæ difficultates obſtarent, & nonnulla in Bonifacii ſchedis deprehenderentur, ad

iſtius

iſtius operis emendationem & augmentum facientia, ea prius ſuis quæque locis inſerere editores laborarunt, ut adeo præclaram omnino eius libri editionem paraſſe, merito dicendi ſint. In duodecim libros univerſum opus diſtributum eſt. Situm geographicum tractus Tarviſini, primo, Auctor Clariſſimus delineat. Dictus ille poſtea eſt *Marca Tarviſina*, ſex urbibus quondam conſtans, quamvis hodie non niſi quatuor ibi deprehenduntur, duabus ab Attila deſtructis. De origine Tarviſii, varias variorum ſententias affert. Diſcordias incolarum Pag. 2.
cum Patavinis ediſſerit: cumque eam ob cauſam multas illi tur- 7.
res exſtruerent, e quibus hoſtes e longinquo proſpicerent, ſeque ab eorum inſultibus ſecuros præſtarent, quarum turrium rudera adhuc hinc & inde viſuntur, urbs altarum turrium, Tarviſium dictum eſt, quæ & turres eas, in inſignibus ſuis pictas, exhibuit. Exponit poſtea Cl. Auctor origines & fata reipublicæ Romanæ; inde Venetorum tractum, in quo Marca Tarviſina ſita eſt, nunquam a Tuſcis aut Gallis ſubiugatam fuiſſe, immo Gallos Venetorum potiſſimum fortitudine eſſe fugatos, contendit. In bello cum Hannibale geſto, Venetos ſemper in fide Romanorum perſtitiſſe, & eam ob cauſam Romanos viciſſim eos vehementer amaſſe, ita ut ob eam rationem nunquam eorum dominio ſubditi legantur
Veneti, obſervat. Ius Latii eos per L. Pompejum conſecu- 9.
tos eſſe, monet. Cæſarem poſtmodum Tarviſinis, una cum 11.
Veronenſibus, Patavinis, & Ateſtinis, civitatem Romanam conceſſiſſe, & varias urbes per illum tractum ædificaſſe, obſer-
vat, ſimul quamplurimis, quæ amorem Romanorum erga Ve- 12.
netos loquuntur, in medium prolatis. Hac autem occaſione, multus, & fere nimius eſt, citra quam hic decebat, in originibus & fatis reipublicæ Romanæ enarrandis. Cumque Petrum, poſt aſcenſionem Chriſti in coelos, primum Romæ epiſcopum fuiſſe, ex opinione apud Pontificios recepta, tradidiſſet, Proſdocimum quendam ab eo epiſcopum Patavinum conſecratum eſſe, eumque Chriſti doctrinam civibus eius loci prædicaſſe, innumeraque miracula, quæ fidem fere ſuperant, perpetraſſe, idemque in civitate Ta-

Digitized by Google

viſina feciſſe, & quampluri̇mos ibi ſacro baptiſmatis fonte
Pag. 17. abluiſſe, Lectoribus tradit. Ab eo etiam tempore, Tarviſii incolas crucem albam in area rubra inſignibus ſuis inſeruiſſe, obſervat. Fortitudinem horum hominum in repellendo Ma-
22. ximino, qui Romæ pro tyranno habebatur, prædicat. Philippum Arabem, primum Imperatorem Chriſtianum fuiſſe, argumentis magni ponderis, ut videtur, ſtatuit. Fidelitatem Tarviſinorum erga Theodoſium, contra rebelles in vicinia decertantem, deſcribit, quotque urbes continuerit tunc temporis Marca Tarviſina, ediſſerit, tandem & de epiſcopis, qui per huncce tractum floruerunt, nonnulla addit, quæ tamen fabulas vehementer redolent. Calamitates, quas occaſione incurſus barbarorum in Italiam, perpeſſi ſunt
92. iſtius regionis incolæ, deinceps exponit. Patavinos potiſſimum graviſſime eo tempore a barbaris eſſe vexatos, obſervat, qui poſtea, metu barbarorum in ſinum maris Adriatici fugientes, in inſulis ibi repertis nova domicilia conſtituerint. His enim in locis ſatis ſecuros ſe ſperabant fore, cum propter mare circumiacens pedeſtres copiæ eos invadere non poſſent, neque propter fluxum & refluxum navigia hoſtium ea in loca pervenirent. Primis ergo civitatis Tarviſinæ temporibus, Conſules ſummæ rei præfuerunt, quorum etiam nomimina Cl. Auctor recenſet, & poſtea regimen tribunorum ibi invaluiſſe, contendit. Cum dein a. 418. adventum Ataulphi, Alarici ſucceſſoris, metuerent, conſilium, portus in Inſula Rivalta conſtruendi, ceperunt, cuius ope ab inſultibus barbarorum eo tutiores redderentur. Anno igitur 421, Conſulibus ſuis eius rei curam demandaverunt, qui urbem reipublicæ cognominem, Venetias, ædificarunt. Origo eius urbis, quæ hodie cunctis, quibus eam oculis uſurpare contigit, miraculi inſtar eſt, admodum fuit tenuis. Non enim, niſi viginti quatuor domus ligneæ ibi conſtitutæ ſunt; cumque tribus annis elapſis ignis ibi exortus omnes illas domus conſumeret, una duntaxat, quæ ex lapidibus erat conſtructa, ſalva permanſit. Eius aiunt poſſeſſorem voto ſe obſtrinxiſſe, de domo ſua, ſi a flammis ſervaretur, Sto Iacobo conſecranda; ſubito igitur pluviam eſſe ortam, quæ ignem reſtinxerit.

Digitized by Google

xerit. Et hac quidem occaſione, templum Sti Iacobi, quod Venetiis eſt, exſtructum eſſe, idque ex inſcriptione marmori inſculpta, quæ in ſacello iſtius templi viſitur, nec non ex hiſtoricorum Venetorum teſtimoniis, apparere, Cl. Auctor dictitat. Pag. 36.
Quamplurimis deinceps ex vicinia hanc in urbem veluti tutiſſimum portum confugientibus, numerus incolarum in dies eſt auctus, ita ut ſucceſſu temporis, eam amplitudinem & potentiam, quam hodie obtinet, conſequeretur. In obſidione Aquileienſi, ab Attila facta, Patavini, civitatibus ſibi ſubiectis, milites ad ſuppetias Aquileiæ ferendas imperarunt. Calamitates, quas Italiæ hic tractus ab Attila per- 39.
peſſus eſt, fuſe A. ediſſerit. Tarviſium autem meliorem ſortem quam aliæ urbes habuit, poſteaquam ſe Attilæ ſubiecit, ab eodemque in gratiam eſſet recepta. Hoc pacto incolæ vicinarum urbium, quæ deſtructæ erant, Tarviſii ſedes fortunarum fixerunt: quæ res non potuit non permultum ad florem atque incrementum iſtius loci conferre. Hanc vero felicitatem prudenti conſilio epiſcopi ſui Tarviſium debuiſſe, Cl. Auctor oſtendit. Theodoricus ubi urbes ab Attila de- 44.
ſtructas reædificavit, quamplurimi Marcæ Tarviſinæ incolæ, qui relictis ſedibus in inſulas ſeceſſerant, redierunt. Ex eo autem Tarviſium civium numero iterum creviſſe, Cl. Auctor monet. Statum dein reipublicæ Venetæ ſub Theodorici imperio depingit, atque virtutes iſtius principis vehementer celebrat. Tarviſium etiam, ſub eius auſpiciis, ſuos magi- 47.
ſtratus habuiſſe, & libertatis quadam ſpecie gaviſum eſſe, obſervat. In bello quod Gothis intulit per Beliſarium Iuſtinianus, pactum cum Gothis tandem eſt initum, vi cuius Marca Tarviſina eorum dominio tradita fuit. Cum poſtea Beliſarius a Iuſtiniano ex Italia revocaretur, Vitaliano in eius locum ſubſtituto, qui cum Gothis infeliciſſime iuxta Tarviſium depugnavit, Gothorum in Marcam Tarviſinam dominatus, monente Auctore, eo magis ſtabilitus eſt. 51.
Res geſtas Gothorum poſtea amplius ediſſerit. Cum Narſes, a Iuſtiniano in Italiam miſſus, fortiſſime ſe gereret, multaque a Gothis obſeſſa Imperatori reſtitueret, Teia, Gothorum Dux, ad Marcam Tarviſinam ab inſultibus Narſetis

Pag. 60. cuſtodiendam, miſſus eſt. Hac de re certior factus Narſes, exercitu in duas partes diviſo, Longobardos contra Teiam in Marca Tarviſina conſtitutum miſit: hic, cum non tantæ copiæ ſibi ſuppeterent, quot ad reprimendos Longobardorum inſultus requirebantur, facile victus eſt; qua victoria Longobardis iter ſupra Atheſin, Mincium, atque Padum apertum eſt, ita ut iuxta Placentiam atque Ravennam caſtra ponerent. Paulo poſt ab ipſo Totila, Gothorum Rege, cum Longobardis pugnatum eſt, qua in acie Totilas periit. Hunc ipſum Regem, Tarviſium patriam habuiſſe, ex *Olai Magni hiſtoria Gotho-*
61. *rum* oſtenditur. Gothi tandem a Narſete ex univerſa Italia exterminati ſunt. Hoc Italiæ minus feliciter ceſſiſſe, & melius ei conſultum fuiſſe, ſi Gothi, qui moribus barbaris depoſitis, elegantiorem Italorum vivendi rationem iam adoptaverant, eam in poteſtate retinuiſſent, Cl. Auctor Lectori-
62. bus perſuadere omni modo laborat. Qualis eo tempore ſtatus eccleſiæ Romanæ fuerit, deinde exponit. Pontificem R. primum inter omnes epiſcopos fuiſſe, eumque a clero & Populo Romano eligi, atque ab Imperatore confirmari ſueviſſe, can-
63. dide profitetur. Epiſcopum Tarviſinum ſub inſpectione metropolitani Aquileienſis fuiſſe conſtitutum, obſervat. Ubi per Narſetis proditionem Longobardi Italiam, atque adeo Marcam Tarviſinam quoque, invaſerunt, Tarviſium, Epiſcopi illius loci interceſſione & prudentia, ab excidio, quod ipſi Alboinus Rex minitabatur, liberatum, & in gratiam ab eo receptum eſt. Multa de hoc ipſo *Epiſcopo*, *Felice*, notatu digna, dummodo non fabuloſa ſint, Cl. Auctor protulit. Cum Longobardis, maiores Comitum de Collalti in Italiam veniſſe, alios autem eiusdem gentis in Germania remanſiſſe, a quibus Comites de Hohenzollern, hodiernique Marchiones Brandenburgici deſcendant, adſerit. Comites eos inſignia bona circa
68. Tarviſium poſſediſſe, obſervat, aliaſque inſuper de origine iſtius gentis affert coniecturas. Longobardi, Italas terras a ſe occupatas in ſex præfecturas diviſerunt, inter quas Marca Tarviſina fuit, a Marchione, Tarviſii degente, adminiſtrata; unde inſignem huic loco ſplendorem acceſſiſſe, omninoque hunc tractum, barbaris, qui eum inſederant, plus quam Imperato-

ribus

Digitized by Google

ribus debere, Cl. Auctor pronuntiat. De Marchionibus, eorumque potentia, multa notatu digniſſima in medium profert, Pag. 70.
& quomodo diſtinguendi ſint a Ducibus, edifferit. Poſt necem Alboini, Tarviſienſes, principum Eſtenſium auxilio fultos, iu- 71.
gum barbarorum excuſſiſſe, ſeque in libertatem vindicaſſe, evincit. Cum a. 594. Franci in Italiam adventarent, Valſarus Marchio Tarviſienſis ſe illis ſociavit. Circa eadem tempora graviſſimam peſtem per ea loca exſtitiſſe, ita ut homines ſternutando expirarent, ideoque morem bene precandi ſternutantibus introductum fuiſſe, ſibi perſuadet Cl. Auctor: qua tamen in re an conſentientes habiturus ſit hodiernos hiſtoricos, eſt cur dubitemus. Agilulfum, pace cum Francis inita, 73.
omnes, qui iis præterito bello adhæſerant, graviter caſtigaſſe, atque eandem ob cauſam Tarviſium graviſſimis ab eo calamitatibus affectum eſſe, docet. Rotharium, Longobardorum Regem, Tarviſium Longobardis iterum ſubieciſſe, oſtendit. De Venetorum republica deinceps quamplurima legimus; 76.
inter hæc, Venetos, auxilio Erneſti principis Eſtenſis, Longobardos adortos eſſe, atque in acie viciſſe. Finem deinde regni Longobardici A. enarrat. 80.

Carolum M. Italia potitum, Tarviſium per Henricum Prin- 84.
cipem Eſtenſem gubernaſſe, docet. Hunc vero a Tarviſinis, libertatem fruſtra petentibus, e medio eſſe ſublatum, Ateſtia coniuge, & Ottone filio, carceri incluſis. Illud vero facinus a Caro- 86.
lo, aliquot annis poſt in Italiam revertente, atrociſſime punitum eſt. Poſtmodum, ubi Carolus Imperatoris dignitatem conſecutus eſt, filius eiusdem, Pipinus, Italiam, adeoque etiam Tarviſium, rexit; Veneti tamen liberi manſe- 88.
runt. Bellum poſtea iſtius rei publicæ, cum Pipino, Cl. Auctor exponit. Motus Italiæ, qui poſt Arnulphi tempora exſtiterunt, quando Berengarius, Dux Foroiulienſis, Longobardiam ſibi ſubiecit, & Imperatoris nomen aſſumſit, recenſet. Nimirum, cum ea de cauſſa multæ & graviſſimæ lites cum Ludovico III. Arnulphi filio Ipſi intercederent, Hunni ea occaſione utendum rati, cum fortiſſima manu ad Italiam occupandam ſeſe accinxerunt. Itali igitur, Berengarium Ducem elegere, qui, exercitu collecto, illos qui-

dem

Digitized by Google

dem ab aditu Italiæ prohibere laboravit, verum ab iis fuſus fugatusque, Mediolanenſem tractum, in fuga conſtitutus, petiit. Hunni victores, graviſſima inde Italiæ mala intulerunt, agros longe lateque populati ſunt, atque Tarviſium inter alia
Pag. 92. occuparunt. Quæ poſtea ad tempora uſque Ottonis M. ibi geſta ſunt, a Cl. Auctore æque enarrantur. Rambaldum, unum ex maioribus Comitum de Collalti, elogio Comitis Tarvi-
97. ſini ab Ottone III. eſſe decoratum, A. memorat. Eundem Imperatorem, partem Tarviſienſis tractus, a Longobardis quondam occupatam, eccleſiæ patriarchali Aquileienſi, atque eccleſiæ cathedrali Tarviſienſi Aſolum, caſtellum amoeniſſimum, dono dediſſe, eamque donationem poſtea a Friderico Imperatore
98. confirmatam eſſe, contendit. Tarviſienſes cum vicinis gentibus graves lites habuerunt, per Henricum II. Imperatorem tan-
100. dem compoſitas. Idem Imperator regimen Tarviſii in meliorem ſtatum transformavit. Obſervat Cl. Auctor, inter turbas, quæ in illis regionibus per continua bella ortæ erant, Epiſcopos regimen civile ad ſe rapuiſſe. Imperator ergo, ut Tarviſii duo Conſules, ſingulis annis a magiſtratu creandi, atque ab Imperatore confirmandi, de rebus civilibus & criminalibus cognoſcerent, edixit. In aliis etiam tractus Tarviſini civitatibus magiſtratus certos conſtituit, tributa Tarviſii incolis impoſuit, atque rem militarem ordinavit. Henricus IV. Matildem atque Beatricem, Duces Eſtenſes, Marchiones Tarviſienſes creavit. Matildis, quæ matrem vivendo ſuperavit, Dux Ferrariæ, Marchio Tarviſienſis, Comes Canoſſæ, nec non Vicaria eccleſiaſtica & Imperialis per univerſam Italiam facta eſt. Ob diſſidia, quæ inter ſacerdotium & imperium tunc temporis intercedebant, multas turbas exſtitiſſe, Cl. Auctor monet, ipſasque illas lites, quas cum papa Imperator habuit, egregie, & uti decet hiſtoricum fide di-
105. gnum, exponit. Patavini, ope Tarviſienſium & Ravennatenſium freti, arma contra Venetos ceperunt, cum de finibus regendis diſcordia inter eos eſſet exorta. Has vero turbas Henricum IV, in vicinia conſtitutum, ſopiviſſe, Cl. Auctor adfirmat. Henricus V. Tarviſio Adrianum aliquem Ducem

Digitized by Google

cem & gubernatorem præpoſuit, qui tamen Mathildæ fidem & obedientiam polliceri coactus eſt, cum per omnem vitam Marca Tarviſina ipſi conceſſa eſſet. Henricum V. ſæpius Tarviſii commoratum eſſe, multiſque amicorum tractus non- Pag. 110.
nullos in feudum conceſſiſſe, Auctor obſervat. Circa hæc etiam tempora graviſſimus terræ motus per omnem Marcam Tarviſinam exſtitit, & theatrum illud nobiliſſimum Veronenſe, magna ſui parte evertit. Fridericus I. Comitibus de 111.
Manfredo & Schinellæ regalia per Tarviſinum tractum conceſſit, & erga eccleſias illorum locorum valde liberalem ſe præbuit. Supremum tamen ſibi reſervavit dominium Im- 117.
perator, & Mediolano deſtructo, cum per Tarviſium iter faceret, omni honoris genere a civibus exceptus eſt. Tempo- 119.
re motuum Gibellinos inter & Guelphos, varias urbes dominatum Tarviſienſium recuſaſſe, & exinde graviſſimas lites exſtitiſſe, Cl. Auctor egregie oſtendit. Cum autem plurimæ iſtarum urbium intelligerent, ſe Tarviſinorum copiis, quippe qui armata manu eorum conatus reprimere moliebantur, impares futuros, veniam actorum implorantes in gratiam recepti ſunt, atque fidem, interpoſito iureiurando, promiſerunt. Quædam tamen Friderici I. auctoritatem implorarunt. Hic patriarchæ Aquileienſi mandavit, uti diſcordias eas componeret. Is cum Tarviſinis non integræ fidei videretur, & multa illis pernicioſa decerneret, in armis tutius remedium quærebant, atque pugna feliciter pugnata, omnes ſibi iterum feliciter ſubiecerunt. Mediolanenſes interim, cum urbem ſuam reædificaſſent, inſolentia legatorum Cæſaris in vicinia commorantium excitati, & dubio procul a Pontifice etiam ſollicitati, in cuius quippe honorem oppidum aliquod recens exſtructum Alexandriam dixerant, denuo arma contra Fridericum I. cœperunt. Tarviſium Mediolanenſibus ſe ea occaſione ſociaſſe, Cl. Auctor obſervat. Imperator ideo Romam obſidione cin- 121.
xit, & pontifex Venetias, in fuga conſtitutus, petiit, Cæſare necquicquam eius traditionem poſtulante. A Venetis potius ſummo honore affectus eſt Pontifex, pro quo, ut iis ſe gratum præberet, inter quamplurima privilegia, ius, connubi-

um cum mari Adriatico celebrandi, iis indulſit. Tarviſien-
Pag. 127. ſes tamen poſtea, inteſtinis laborantes diſcordiis, Cæſari ſe ite-
130. rum permiſerunt. Mox vero novam regiminis formam ibi
exſtitiſſe, & decem magiſtratus creatos eſſe, qui diſcordias ad-
136. huc ibi regnantes ſopirent, Cl. Auctor docet. In Conſtan-
tienſibus tandem comitiis, a. 1183. habitis, Tarviſium cum
quamplurimis aliis Italiæ civitatibus, Friderico ſemet ſubiecit,
& pacem cum eo iniit, cuius conditiones Cl. Auctor fuſe enar-
137. rat. Cenedenſem civitatem dominio Tarviſienſium tunc tempo-
ris quoque ereptam eſſe, eam tamen ſua ſponte poſtea, iſti rei-
publicæ fidem & obſequium iterum ſpopondiſſe, aſſeverat.
Henricum VI. Friderici Imperatoris filium quoque ſupremum
dominium in Tarviſium obtinuiſſe, & exercuiſſe, exempla a
Cl. Auctore adducta loquuntur; qui etiam pacem Conſtan-
tienſem a patre cum Italis civitatibus initam, confirmavit,
143. omneſque illas urbes in gratiam recepit. Lites etiam, quas
cum vicinorum locorum incolis ſibi ſubiectis agitarunt Tarvi-
ſienſes, Cl. Auctor exponit. Victoriam eorum ab epiſco-
148. po Bellunenſi reportatam, delineat. Hanc ipſam vero ob
cauſam Tarviſienſes a Pontifice excommunicatos eſſe, oſten-
dit. Bellunenſes tamen poſtea obedientiam & fidelitatem
152. Tarviſinis iure iurando promittere ſunt coacti; qua occaſione
Cl. Auctor, fortitudinem pariter ac magnitudinem animi Tar-
viſienſium ſummis extollit laudibus, multasque alias urbes ſe
153. in tutelam & præſidium eorum contuliſſe, obſervat. Cum
patriarcha Aquileienſi, qui id ægerrime ferebat, bellum mox
Tarviſinis interceſſit. Hoc vero patriarchæ iſti luctuoſiſſimum
exſtitit, cum copiæ eius ad internecionem uſque cæderentur,
vexillis ſimul amiſſis omnibus. Ea interim res male ha-
buit Innocentium III. Pontificem, qui litteris admodum
inclementer ſcriptis, excommunicationis fulmine Tarviſien-
ſes percuſſit. Matthæus quidam Cenedenſis Epiſcopus,
& Tarviſienſium ſocius, pacem cum patriarcha reſtituere la-
boravit quidem, ea tamen res adeo Tarviſienſibus diſplicuit,
ut eum ſeditioſi inſtar haberent, eiuſque fundos depopula-
158. rentur. Poſt maximas tandem turbas, hac occaſione
mo-

Digitized by Google

motas, quas Cl. Auctor eleganter ediſſerit, pax eos inter & patriarcham facta eſt, atque ab excommunicatione Tarviſienſes abſoluti ſunt. Ottoni IV. in Italiam advenienti, fidem & obſequium ſub iuris iurandi religione Tarviſienſes promiſiſſe, eique tributa & milites ſubminiſtraſſe, Cl. Auctor memorat. Ab hoc ipſo etiam Imperatore, eorum privilegia egregie ſunt ſtabilita. Quamvis enim nonnulli ex Imperatoris conſiliariis iurisdictionem civitatis imminuendam ſuaderent; tantum tamen abfuit ut hoc conſilium Imperatori placeret, ut potius litteris ad Tarviſinum magiſtratum datis, omnia in antiquo ſtatu relinquenda eſſe conſtitueret non ſolum, verum etiam licentiam urbis muniendæ ipſi indulgeret. Hiſtoriam belli Patavinos inter & Venetos ſeculo XIII enati Cl. Auctor exponit, & Tarviſium primo Patavinorum, poſtea autem Venetorum partes ſecutum eſſe, oſtendit. Pacem quoque cum Iſtriæ in- Pag. 167.
colis factam eſſe, qui in fraudem Tarviſii patriarchæ Aquileienſi adhæſerant, monet. Addit inteſtinos motus, circa 168.
hæc tempora compoſitos. Cum epiſcopatus Tarviſienſis ære alieno laboraret, terras nonnullas ad epiſcopatum pertinentes vendere Antiſtiti permiſit Pontifex. Diſcordias, quæ hanc inter civitatem, atque Epiſcopos Felitrenſem & Bellunenſem interceſſerunt, fuſe exponit Cl. Auctor. Cumque Tarviſini, nonnullos civium, ex partibus hoſtium ſtantes, tanquam rebelles graviſſime punirent, a Patriarcha Gradenſi omnibus ſacerdotibus prohibitum eſt, ſacra Tarviſii celebrare. Bellum inde cum illis Epiſcopis atrociſſimum geſtum 170.
eſt. Cumque apud Imperatorem accuſaretur Tarviſinorum reſpublica, ille, auditis illius reipublicæ legatis, inducias inire Tarviſinos iuſſit. Poſtea a Pontifice Romæ coronatus Cæſar, necquicquam pacem reducere laboravit. Pontifex tamen, miſſis Tarviſium legatis, *interdictum*, (ita enim appellant canones excommunicationis ſententiam contra integras civitates latam,) ſolenni abſolutione iterum ſuſtulit. Cum 173.
deinceps fruſtra de pace ageretur, Pontifex, Tarviſinis per modum legis præſcribere auſus eſt, quibus conditionibus pacem inirent. Male ea res habuit illam rempublicam, quæ

Digitized by Google

cum ſe vehementer hoc pacto læſam ſentiret, ad Imperatorem Fridericum II. quem inter atque Papam novæ iam exſtiterant controverſiæ, provocarunt, cui tamen auſo ſeſe acerrime oppoſuit Pontifex, ſententiamque ſuam confirmavit, Tar-
Pag. 176. viſinis licet neutiquam obedientibus. Graviſſimæ poſtea lites Pontificem inter & Cæſarem agitatæ ſunt. Gregorius X. in primis, qui circa hæc tempora pontificali throno potitus eſt, vehementer Fridericum II. exagitavit. Acceſſit variarum Italiæ urbium contra Imperatorem ſeditio, inter quas & Tarviſium fuit. Quas ſeditiones Imperator compeſcere, & poenas a ſeditioſis ſumere ſtudens, cum fortiſſima manu in Longobardiam advenit. Pontifex autem, qui hiſce motibus vehementer delectabatur, Imperatorem ad expeditionem in Palæſtinam ſuſcipiendam, ſub excommunicationis poena, ſollicitavit. Iratus hac ſuper re, uti par erat, Cæſar, in ipſius Pontificis territorium arma movit, unde excommunicationis fulmen expertus eſt. Civitates novarum rerum cupidæ, hac occaſione utendum exiſtimantes, ſocietatem foederis Lombardici nomine inſignitam contra Imperatorem inierunt. Is vero nonnullas earum vi cepit, Tarviſio fruſtra oppugnato, cuius tamen incolæ ſua ſponte Imperatoris dominio iterum ſe ſubiecerunt, multaque obedientiæ ediderunt
189. ſpecimina. Verum non diu in fide manſerunt. Vix paulo poſt a Papa excommunicato Cæſare, ab Alberico quodam incitati, iterum rebellarunt, neque ab Imperatore, veniam actorum illis pollicente, ſi quidem a coepto deſiſterent, ad meliorem frugem reduci potuerunt. Hac re valde exacerbatus Cæſar, Tarviſium, una cum vicinis civitatibus, Patavinis dono dedit, omnemque iſtius loci agrum igne & ferro devaſtavit. Et quamvis ea res Friderico neutiquam vitio verti poſſe videatur, ſiniſtre tamen de hoc Imperatore Cl. Auctor iudicat, & Tar-
191. viſienſium facta omni modo excuſare ſtudet. Illi interim Pontificis Gregorii IX. auxilium implorarunt, qui, pro more Pontificum, Albericum a iureiurando fidelitatis Imperatori præſtito abſolvit, Patriarcham quoque Gradenſem, atque Venetos, ad auxilium Tarviſinis ferendum ſollicitavit, inſuperque

que

Digitized by Google

que legatum ad res Italiæ componendas ad Imperatorem miſit. Is prius Tarviſium atque Patavium petiit, ibique diſcordias inter utramque civitatem ortas, feliciter ſopivit. Cum Tarviſinis vero graviſſimum bellum vario Marte geſſit Imperator, uſque dum a Pontifice Innocentio IV. in concilio Lugdunenſi deponeretur, quam rem magnum, uti vocant, interregnum ſubſecutum eſt. Circa ea tempora Albericus atque Ezzellinus, qui iam antea ſummam per has terras ſibi auctoritatem arrogare tentaverant, univerſam Longobardiam poteſtati ſuæ ſubiicere conabantur; quod tamen adeo infeliciter ipſis ceſſit, ut cum univerſa familia miſerum in modum trucidarentur, uti Cl. Auctor fuſe ediſſerit. Motus dein, Guelphos inter & Gi- Pag. 216.
bellinos, & quid interregni tempore ab illis geſtum ſit, exponit, Tarviſiumque, a Guelphorum, adeoque Pontificis partibus ſtetiſſe, obſervat. Diſſidia quoque eorum cum vicinis gentibus depingit, & inter hæc narrationem lectu digniſſimam, de Epiſcopo Tarviſino, ob orationem ſacram, qua Pontificis & Cardinalium luxuriam & ſuperbiam reprehendit, Romæ accuſato, exhibet. Cum Conradinus in Italiam venire tenta- 222.
ret, varias civitates, interque eas Tarviſium, ſocietatem contra eum iniisſe, eiusque coeptis pertinaciter reſtitiſſe, obſervat.
Rudolphus I. tandem Imperator conſtitutus, in Italiam veni- 226.
re, & Romæ coronari, veſtigiis anteceſſorum territus, recuſavit; unde cum res Italicas parum curare videretur, & tributorum ſolutione contentus eſſet, haud paucæ civitates liberæ manſerunt, inter quas & Tarviſium fuiſſe Cl. Auctor contendit. 229.
Ut motus inter Guelphos & Gibellinos orti ſopirentur, ſeveriſſime Tarviſienſes civibus ſuis iniunxerunt, ut nullus eorum ſe aut Guelphum aut Gibellinum diceret. Marchionem Obizen- 230.
ſem ab Imperatore præfectum & iudicem Marcæ Tarviſinæ eſſe præpoſitum ad quem provocari poſſet, Cl. Auctor obſervat. Alberti I. etiam tempore, cum neque is in Italiam veni- 231.
ret, inſigni libertate Tarviſium gaudebat. Henricus VII. tan- 242.
dem in Italiam venit, & Vicarios Imperiales in variis civitatibus conſtituit. Tarviſienſes imperium Cæſaris agnoſcere ab initio recuſarunt, quamvis poſtea aliarum civitatum ſeditioſa-

Digitized by Google

rum exemplo perterriti, oratores, veniam ante actorum
imploraturos, ad Cæſarem mitterent, quo facto Legatum
Pag. 246. atque Vicarium eius admiſerunt. Cum autem eorum Legato-
rum nonnulli tyrannos agerent, ad ſeditionem ſollicitatus
populus, libertatis amore, eiecto Cæſaris Legato, quatuor
250. rectores conſtituit, aliquo tamen tempore interiecto, cum
252. Cæſare reconciliatus eſt. Poſtea iterum contra Impera-
torem turbas hæc urbs movit, ſed mox, etſi difficulter,
reſipuit. Cum vero nuntium de Henrici obitu acciperent,
libertatem quovis modo conſervandam ſtatuerunt. Hinc &
vicinis, quorum libertati inſidiæ ſtruebantur, maſcule ſuccur-
276. rerunt, cuius rei illuſtria documenta Cl. Auctor affert. Mo-
277. netæ cudendæ ius Tarviſium habuiſſe, oſtendit, diſcordias
285. inter Tarviſinos & Venetos exponit, & nova defenſæ li-
291-297. bertatis ſpecimina affert. Cumque poſt quamplurimas ſtra-
ges fere in ſervitutem, a *Cane de Scala*, redacti eſ-
ſent, tandem Friderici Auſtriaci Imperatoris protectionem &
implorarunt, & obtinuerunt, qui etiam Academiam Tarvi-
ſii erectam multis exornavit privilegiis, quæ ipſa Academia
298. poſtmodum Patavium translata eſt. Ex eo autem tempore
non amplius præfectos conſtituere Tarviſinis licuit, verum
Vicarios Imperiales admittere, & fidem Imperatori promit-
299. tere coacti ſunt. Poſtmodum Cæſaris Vicarius, Comes de
Gorizia dictus, Tarviſii ſedere coepit, quem incolæ ſummo
honore affecerunt. Hoc iſti civitati admodum feliciter ceſ-
ſiſſe, eamque ab Imperatore ab inſultibus hoſtium fortiſſime
308. defenſam eſſe, Cl. Auctor obſervat. Vicarius hic Cæſaris,
320. nonnullos Tarviſiii cives equites creavit. Inſidiis, per latro-
nem a Marchionibus Eſtenſibus corruptum, parum aberat quin
perierit Comes, niſi opportune comprehenſus latro, de-
323. bitas facinori poenas ſubiiſſet. Tarviſium ipſum per proditio-
nem capere meditabatur *Canis de Scala:* quod tamen conſilium
feralem exitum habuit, miniſtro proditionis miſerum in mo-
dum Tarviſii trucidato. Poſt mortem Comitis de Gorizia,
vidua eius, tanquam tutrix filii, qui Vicarius Imperatoris itidem
dictus, rexit Tarviſium. Variis eo tempore inſidiis ea ci-

vitas

Digitized by Google

vitas petebatur, cum ſupra memoratus *Canis*, nihil non ageret ut ſummæ rei potiretur, cuius tamen artes omnes feliciter detectæ ſunt. Induciæ & pacta dein cum eo ſunt inita, Pag. 324.
quibus tamen non ſtetit, ſed Tarviſii occupandi ſpem conſtanter aluit. Cum Rex Bohemiæ, qui, prout notum eſt, 326.
atrociſſimas contra Ludovicum Bavarum exercuit inimicitias, fratrem ſuum Vicarium generalem conſtitueret, eum agnoſcere Tarviſini recuſarunt; ſuper qua re graviſſimi motus excitati ſunt, a Cl. Auctore ſuccincte expoſiti. Tandem vero Canis 330.
de Scala dominatui ſubiecit ſe Tarviſium, cui adeo urbem ingredienti, eamque occupanti, ſummos exhibuerunt honores. Multa hac occaſione de iſtius Principis virtutibus Cl. Auctor affert, eumque, parvo tempore poſt Tarviſii occupationem interiecto, exſtinctum eſſe commemorat. Poſt eius 343.
mortem, Maſtinus, defuncti patruelis, quantumvis natu minor, ipſi ſucceſſit, maiore natu fratre Alberto in conſortium imperii adoptato. Multæ poſtea lites & bella ipſis cum Io- 347.
hanne Bohemiæ Rege, qui varias Italiæ occupaverat regiones, interceſſerunt, in quibus Tarviſini inſignem opem adflictis tulerunt. Cum autem Scaligeri, poteſtati ſuæ ſubiectas civitates, interque has Tarviſium, gravius premerent, de excutiendo eorum iugo cogitatum eſt. Veneti quoque feliciter contra eos bellarunt, & quamplurima loca eorum poteſtati eripuerunt, uti Cl. Auctor fuſe ediſſerit; Tarviſium tamen fruſtra oppugnarunt. Poſt infinitas tandem ſtrages, pax cum Scaligeris eſt inita, vi cuius Tarviſium Venetis conceſſum 378.
eſt. Mutationes, quas nova hæc regiminis forma Tarviſii introduxit, Cl. Auctor fuſe enarrat, atque diſſidia cum patriarcha 381. ſqq.
Aquileienſi, nec non bellum Genuenſes inter & Venetos ge- 387. ſq.
ſtum, exponit. Ludovicus etiam, Hungariæ Rex, Venetos 389.
bello petiit, varia loca cepit, Tarviſium etiam, quamvis fruſtra, obſidione cinxit. In hoc ipſo bello cum Hungaris geſto, inprimisque in iis quæ cum Tarviſio acta ſunt enarrandis, Cl. Auctor admodum diffuſus eſt. Hiſtoriam quoque 394.
belli inter Leopoldum Archiducem Auſtriæ, qui Tarviſium poteſtati ſuæ ſubiicere meditabatur, atque Venetos, enarrat. In 409.

bello

Digitized by Google

bello deinceps cum Genuenſibus geſto, graviter Veneti afflicti ſunt, & fame profecto interiiſſent, niſi maximam fru-
Pag. 416. menti vim ipſis ſubminiſtraſſet Tarviſium. Immo cum Rex Hungariæ Genuenſibus ſuppetias ferret, conclamatum videbatur cum Venetis, niſi Regis Hungariæ filius, qui exercitui præerat, pecunia a Venetis allectus, pacem illis procuraſſet. Ceterum, in illo bello pulveris pyrii uſum primum in Italia eſſe
417. adhibitum, Cl. Auctor contendit. Tarviſium poſtea a Venetis Leopoldo Archiduci Auſtriæ dono datum eſt, cum id a Franciſci de Carrara, domini Patavini, inſultibus, vindicari &
421. defendi ulterius poſſe deſperarent. Mox tamen Carrara Tar-
427. viſium a Leopoldo obtinuit. Id quod inique ferentes Veneti, ſocietatem cum Scaligeris inierunt, atque Carraræ bellum intu-
430. lerunt. Victor tamen diſceſſit Carrara, atque Scaligeros omni poſſeſſione exuit. Hac occaſione data Cl. Auctor hiſtoriam iſtius familiæ cum lectoribus communicat.
437. Franciſcum de Carrara, ſenio fractum, Tarviſii quietum ſediſſe,
439. obſervat. Cum poſtea Carraræ res in dies in peius ruerent,
442. a Venetis tandem recuperatum eſt Tarviſium. Leges civitati præſcripſiſſe Venetos, easque auctoritate & iuſſu Senatus Veneti in unum volumen a præfecto Tarviſienſi Zenone colle-
446. ctas eſſe, Cl. Auctor obſervat. De advocatia Tarviſienſis eccleſiæ etiam diſputat, atque ea occaſione docet, advocatos a ſede apoſtolica conſtitutos fuiſſe, ut bona epiſcopalia cuſtodirent, & re ita ferente, armis defenderent, ſede etiam epiſcopali vacante, eius commodis invigilarent. Familiis quibusdam nobilibus tale officium in feudum ſolebat concedi, illisque ſimul prædia quædam, ut eo commodius munere advocati perfungerentur, præmii loco tribui; id quod exemplo Altenieri Azzoni, eiuſque poſterorum, Cl. Auctor illuſtrat. In iis quæ ſequuntur, non modo res Tarviſium,
448. verum & univerſum iſtius terræ tractum reſpicientes, A. ediſſerit. Ita de *Franciſco Victorino*, Felitris nato, & ob ſummam in elegantioribus litteris peritiam celeberrimo, diſputat. Artem typographicam ſeculo decimo quinto in Italiam introductam, exponit. De libro quodam, *hipneromachia Poli-*

Digitized by Google

Poliſili dicto, in quo per modum fabulæ antiquitates Tarviſii Pag. 474.
enarrantur, circa hæc tempora typis excuſo, nonnulla memoratu digna affert. Belli Venetorum cum Turcis geſti, in 476.
quo Negropontus capta eſt, hiſtoriam narrat, & Tarviſienſium fidelitatem mirifice extollit. Rovigenſis tractus quomodo in Venetorum poteſtatem pervenerit, oſtendit. Maxi- 477.
miliani I. Imperatoris bella cum Venetis edifferit. Cyprum 483.
quomodo acquiſiverint Veneti, docet. Circa finem iſtius ſeculi Turcorum invaſionem ſenſiſſe Tarviſium, obſervat, & quæ damna dederint iſti barbari, recenſet. Tar- 487.
viſium a Cæſare vehementer in anguſtias eſſe redactum, & eius incolas ad fidelitatem ei iure iurando promittendam adductos eſſe, tradit. Cum vero circa idem fere tempus Regis 498.
Hungariæ legatus, Venetias petens, per Tarviſium proficiſceretur, oratione ad populum habita is effecit, ut ſpretis Germanorum minis, fidem reipublicæ Venetæ conſtanter ſervarent. Fidelitas hæc Tarviſienſium uſque adeo placuit Vene- 499.
tis, ut eos per quindecim annos ab omni tributo & onere immunes declararent. Geſta inter Imperatorem & Vene- 500.
tos per hunc temporis tractum, Cl. Auctor fuſe edifferit, & Tarviſinorum fidelitatem, quam, quavis data occaſione, erga rem publicam illam teſtati ſunt, mire extollit. Fruſtra ea urbs a Cæſare oppugnata eſt, fortiſſimeque hoſtium inſultibus ſeſe oppoſuerunt iſtius loci cives. Immo, cum aliquando pecuniæ inopia Veneti premerentur, atque militibus Tarviſii præſidiariis ſtipendium deeſſet, erant nonnulli, qui de ſuo illis mercedem exſolvere, & hoc pacto eos in fide retinere, æquum putarunt. Pace poſtmodum ſubſecuta, Tarviſium, in præmium tantæ fidelitatis, egregie a republica Veneta eſt munitum: quæ noviter exſtructa munimenta, nec non omnem iſtius tractus ſitum, Cl. Auctor operoſe & fuſe delineat. Bel- 522
lum inde cum Turcis geſtum deſcribitur: adventus item Regis 534
Galliæ Henrici III. in ea loca. Originem Academiæ *ſollicitorum*, uti dicuntur, Tarviſii erectam A. expromit. Controver- 538.
ſias, inter Paulum V. Pontificem & rem publicam Venetorum motas, deinde commemorat. Pontifex nimirum, leges quas-

dam Venetas, ut iuribus curiæ Romanæ adverſas, damnaverat, &, ut quantocyus abrogarentur, ſub excommunicationis poena, iuſſerat. Reſpublica tamen Veneta, cauſam ſuam adeo feliciter Romæ peroravit, ut omnes mox ſopirentur controverſiæ. Academiam *perſeverantium* eo tempore etiam eſſe
Pag. 542. erectam, Cl. Auctor oſtendit. De Bartholomæi Burchielati, Phyſici Tarviſini, opere, cui titulus eſt: Commentariorum memorabilium multiplicis hiſtoriæ Tarviſinæ locuples promtuarium, in libros quatuor diſtributum, a. 1616. typis impreſſo, diſſerit, illiuſque operis auctorem, ſumma diligentia
547. reconditas Tarviſii antiquitates illuſtraſſe, teſtatur. Habes hic, Lector, aliquem hiſtoriæ huius Tarviſienſis conſpectum. Negari quidem nequit, varia Cl. Auctorem attuliſſe, quæ in huiusmodi libro non quæſiveris, & quæ ad inſtitutum utique parum pertinent; omnino etiam verum eſt, eum in miraculis, & eiuſmodi rebus, quæ vix fidem merentur, fuſe recenſendis, vehementer delectari; optandum etiam eſſet, ut maior typographi diligentia in opere excudendo fuiſſet adhibita: nihilo tamen ſecius quamplurima etiam egregia, & bonæ frugis pleniſſima, hoc in libro occurrere, eumque non ſine utilitate a curioſis rerum Italicarum ſcrutatoribus perlectum iri, ex vero iudicamus.

LEXICON CHALDAICO RABBINICUM, CUM Rabbinorum abbreviaturis, in duas patres diſtributum, ab ANTONIO ZANOLINI, I. V. D, in Seminario Patavino linguarum orientalium Profeſſore, collectum: in quo, pro vocabulorum opportunitate, res ad Sacram ſcripturam, rem publicam, & religionem Hebraicam pertinentes, aliæque multæ, exponuntur. Accedit diſputatio de Targumim, ſive paraphraſibus Chaldaicis, Talmude, Cabbala, commentariis Rabbinorum, & lingua Chaldaica. Ad exercendos tyrones, Lexici fini annexa eſt hiſtoria quædam ſatis feſtiva, a Rabbino Abrahamo Maiemonide ex lingua Arabica in Hebraicam Rabbinicam translata, qua admonentur homines, iusiurandum religioſe ſervandum eſſe.

Singula

Digitized by Google

Singula autem, quæ in lexico paſſim occurrunt, exoticis linguis exarata, lingua latina ſtatim explicantur, ut a quolibet intelligi poſſint. Ad uſum eiuſdem Seminarii.

Patavii, 1747. typis Seminarii, Superiorum permiſſu. 4. Alphab. 5. plag. 5½.

Ex titulo quidem operis huius, & illo certe prolixò ſatis, unuſquisque per ſe intelligere poteſt, quid illud contineat, & quid quærere debeat: inſtituti tamen noſtri memores, ex diſputatione præliminari quædam in medium adducemus. Erudit. Auctor, qui lexicon hoc eminentiſſimo *Carolo* Cardinali *Rezzonico*, ſupremo ſacrorum apud Patavinos Antiſtiti, inſcripſit, ultra 40. annos in Seminario Patavino litteras humaniores primum, inde linguas orientales, docuit. Quo igitur iuventutis ſtudioſæ commodis invigilaret, editis ante aliquot annos lexico tum Ebraico, tum Syriaco, præſens cum orbe erudito communicat, quo ſic via ad dialectos, chaldaicam & rabbinicam, penitius pernoſcendas ſterneretur. Chaldaica lingua ab antiquitate ſe commendat, ut cum ebraica de palma certare poſſit. Permultæ partes codicis veteris foederis hoc ipſo idiomate ſunt conſignatæ. Rabbinorum ſcripta, quæ ad ἐξήγησιν N. T. intelligendam, ad ritus atque inſtituta priſca pernoſcenda, faciunt plurimum, abſque notitia linguæ chaldææ legi ac intelligi nequeunt. Et quoniam magiſtri crebris utuntur ſcribendi compendiis, ne lectori horum ignoratione mora quædam iniiceretur, huic etiam incommodo medelam adferre conſtituit, explicationem illorum ſuppeditando. Occaſione vocabulorum, multa ad ſacras litteras, Iudæorum rempublicam, regionem, & alias res pertinentia, paſſim attulit. Diſſertatione præmiſſa agit de *Targumin*, ſive *paraphraſibus Chaldaicis*, *talmude*, *cabbala*, *commentariis rabbinorum*, *& lingua Chaldaica*, & quidem, quo firmius ea iuvenum animis infigerentur, per quæſtiones & reſponſiones proponit. Initium facit a Targumin. תרגום generatim interpretationem denotat qualemcumque, ſpeciatim chaldaicam,

quæ talis κατ' ἐξοχὴν eſt dicta, fuit quippe verſionum omnium prima. Illius neceſſitatem induxit ignorantia linguæ ebrææ poſt captivitatem Babylonicam, eius notitia apud doctiores tantum ſuperſtite. Primæ paraphraſes non ſcripto conſignatæ, ſed ore in Synagogis inter legendum prolatæ. Harum indicium ſibi deprehendiſſe viſus eſt Luc. IV. 18. 19. quæ enim Chriſtus ex Ieſ. LXI adduxit, (quod ad poſtrema v. 18.) neque cum textu Ebræo, nec verſione LXX. ſenum conſentiunt. Quidni vero interpretationis ergo addi potuerunt? Paraphraſes confecerunt *Onkeloſus, Ionathan Uzielides, R. Ioſephus*, cæcus dictus: quorum ille legem, iſte prophetas, hic hagiographa in idioma chaldaicum tranſtulit, exceptis chronicorum libris, Danielis & Eſræ, de quorum ſtilo, eiusdem diverſitate & modo interpretandi, quædam monet. Præter has exiſtit paraphraſis Ionathanis, falſo ita dicti, in legem, & Hieroſolymitana, quæ tamen tantum fragmenta integræ alicuius verſionis referre videtur, vel alio, itemque alio tempore, a diverſis paraphraſtis compoſita, in unum tandem collecta fuiſſe.

Pag. 1-4. Hinc ad Talmudem progreditur, de cuius adpellatione, diſtinctione in Hieroſolymitanum & Babylonicum, utriusque pretio, partitione in miſchnam & gemaram, ſex ordinibus סְדָרִים, eorundemque diverſis codicibus, מסכת, differit. Hunc Iudæi maximi faciunt, ut vel ipſi ſacro codici anteponant. In illo quidem multa ſunt, quæ ad legis ritualis intelligentiam faciunt, multis tamen ineptiis ſcatet fabulis, v. c. de Leviathane, ac tauro mactando, ave ingentis magnitudinis, & huius generis aliis, in vulgus notis. Diverſitatem ſtili repetit a perpetuis ipſorum exiliis, & quod inter gentes barbaras fuerint proiecti: quæ allegorice dicta erant, proprie acceperunt, ac inde ineptas fabulas commenti ſunt. Ubi quæritur, quid utilitatis Talmud adferat, & num abolendus? hiſtoriam litis inter *Reuchlinum* olim & *Pfeffer kornium* agitatæ breviter tangit. Utilem Talmudis lectionem eſſe arbitratur, quod ex illo arma ad Iudæorum pervicaciam expugnandam depromantur, atque ritus iudaici propius cognoſcantur,

tur, & rationem ſtili ſcriptorum N. T. intelligamus. Di- Pag. 4-10.
verſas Talmudis editiones, ſed non plene enarrat, de diverſis legem interpretandi modis commentatur, indeque ad Cabbalam delabitur. Huius explicat adpellationes, indolem declarat, diverſas eiusdem ſpecies recenſet, addens quædam de decem Sephirot, lectorem ablegans ad *Reuchlinum*, & librum italico idiomate conſignatum, editum Venetiis a. 1741. a *Franciſco Maria Ferretti ab Ancona*, Ex-Iudæo. Inde con- 10-15.
vertit ſe ad commentarios rabbinicos in ſcripturam V. T. quorum alii ſunt prolixiores, ut occaſione unius verſus integra efficiant volumina, alii breviores, unice textui, interpretationibus ore tenus propagatis reiectis, inhærentes; alii allegorias, ſenſu litterali prætermiſſo, conſectantur, alii cabbalæ myſteria crepant, ſenſus ridiculos, quorum exempla producit, extundentes, alii ſenſum grammaticum veſtigant, ex quibus præſtant *Aben Eſra, Kimchius, Salomo Iarchi.* De commentariis Iudæorum alii nimis tenuiter & abiecte iudicant, quales ex pontificiis nominat *Riberam, Dominicum Garſiam,* ex proteſtantibus *Io. Forſterum,* cui addere poſſumus *Guſſetium*, omninoque illos, qui hodierna luce defectibus linguæ ebraicæ ex arabiſmo mederi contendunt; alii contra ſunt, qui inſignem ipſis utilitatem adſcribunt, quod ex antiquis fecit *Hieronymus,* ex recentioribus *Munſterus, Fagius*, alii, quibus etiam ipſe cel. Auctor accedit, quia utiles iudicat ad genuinum vocum ebræarum ſenſum determinandum, ad dicendi modos, in V. & N. T. obvios, explanandos, ad ritus plenius cognoſcendos, ad Iudæos ex propria magiſtrorum ſuorum confeſſione refutandos, & quæ id generis ſunt alia. 15-18.
Omnino in conſtituendo vero Rabbinorum pretio medium eſſe tenendum, nos quoque exiſtimamus. Laudaverat in Supp. *Aben-Eſram, Kimchium, Iarchium:* horum igitur notitiam aliquam ſuppeditat, & quid de illorum commentandi ratione iudicandum ſit, ſubiungit. Adhæc 18-20.
quædam de *Onkeloſo, Ionathane, & Ioſepho caeco* in medium adfert: porro de *Targum Hieroſolymitano*, cuius Auctor incertus; oſtendit præterea, quantum alius alio præſtet, & quem uſum adferant, ediſſerit: denique indolem Maſoræ, & quem in finem conſtituta ſit, diverſas editiones paraphraſium

Digitized by Google

chaldaicarum nominat, interque illas etiam utriusque libri chronicorum, quam cl. *Beckius* exſcribendam curavit. Poſtremo de linguæ chaldaicæ antiquitate, præſtantia, utilitate, verba facit, & num illa linguæ Ebrææ dialectus, an lingua ab Ebræa diſtincta, haberi debeat? diſquirit: quod poſterius ob ſequentes rationes, (nobis illæ infirmæ videntur,) adfirmat: (1) quoniam Hieronymus de ſe teſtatur, licet idiomatis ebraici peritus exſtiterit, nihilo tamen minus multa tædia, ut chaldaicam addiſceret, ſe devoraſſe: (2) varia verborum & nominum ſit flexio: (3) voces ſibi habeat privas & peculiares: (4) Ieremias nomine Dei c. V. 15. minitetur, ſe adducturum gentem, (Chaldæam,) cuius linguam non intelligant: (5) Daniel cum ſociis ſuis iuſſu regis Nebucadnezaris illam multo ſtudio addiſcere debuerit. Tandem quæſtionem movet, num, qui linguis his operam navant, aliquid periculi ab heterodoxis metuere debeant, qui omnes artes & techinas adhibent, *omnes dolos nectunt, quo Chriſti fideles* (eccleſiæ romanæ ſocios) *decipiant, ſeducant?* Quam ut ſolvat, de victoria, ab his reportanda, glorioſe ampullatur, cum doctrina ipſorum, induſtria, & eruditione virorum eximiorum ita ſit confirmata, ut nil extimendum ſit. Interim ingenue fatetur: *ipſi* (heterodoxi, quos adpellat) *in cauſſa fuerunt, ut ad tantam magnitudinem* (eccleſia Romana) *eveheretur; ipſi effecerunt, ut deſidentes identidem mores, labensque ſubinde diſciplina, excitaretur; ipſi quodammodo coegerunt, ut ingruentibus vitiis ſtatim opportuna ac praeſentiſſima remedia adhiberentur.* Proteſtantium doctorum eruditio ipſis calcar addidit, ut ad doctrinæ ſtudia acrius colenda animum adiunxerint: ſed vitia doctrinæ & diſciplinæ, horum æmulatione emendata eſſe, non omnino liquet. Id verum eſt, ab emendationis ſacrorum tempore, cautiores fuiſſe factos, & doctrinis ſuis fucum aliquem atque colorem induxiſſe. Quod ad lexicon attinet, ſub radicibus ſuis derivata ponit, & paſſim quædam addit, quæ ad illuſtrationem inſtitutorum tum civilium, tum religioſorum, facere poſſunt. Atque fatemur omnino, illud uſibus iuventutis eſſe accommodatum: ſed ipſius fuerat, vel verbulo indicare, per quos profe-

Digitized by Google

profeciſſet, quod tamen prorſus facere neglexit. In lexico paſſim *Buxtorfii* lexicon chaldaicum, talmudicum, & rabbinicum exſcribit, quæ is habet vel totidem verbis repetitis; vel ordine aliquantulum mutao, vel una atque altera voce converſa: certe exempla omnia, quæ ſubiicit, Buxtorfius ſubminiſtrat. Conferantur modo, quæ p. 4. habet ad אִגֶּרֶת בִּקֹּרֶת, ubi præterea minus recte legit לִימְכַּר, cum debeat eſſe לִימְּכַר; porro ad אוריא, tota quippe explicatio de quatuor angelis, maxima parte etiam quod ad verba, mutuata eſt a Buxtorfio. Idem dicendum de iis, quæ notat ad voces אחראין & אחריות p. 8. אמן p. 15. 16. ארק p. 26. סוּרְיָא, סוּרָה, סוּרָא p. 321. quæ p. 717-719. de Ianne & Iambre in medium profert, e Buxtorfio col. 2515. ad vocem שְׁקַל & col. 945 - 948. ad voces יוחנא יוממרא ſunt contracta. Hæc ſpeciminis loco ſufficiant, plura utriusque laborem conferenti occurrent. Scribendi compendia rabbinis uſitata, quæ abbreviaturas adpellare ſolent, non ſeparatim a lexico, ita ut ſecundum litterarum ſeriem ſe excipiant, exhibet, ſed lexico ipſi immiſcet. Sed vero & in his Buxtorfio fidum comitem ſe adiungit, cuius abbreviaturas ita ſequitur, ut, ſi paucula quædam excipias, ipſas compendiorum notas, illarum explicationes, & exempla exhibeat, ipſa haut raro verba paullulum immutata. Quæ de abbreviaturis generatim diſſerit p. 29. ſeqq. omnino debet Buxtorfio, quæ p. 340. ſ. ad ס״הז profert, partim ex illius abbreviaturis p. 157. edit. Herborn. 1708. partim ex eiusdem bibliotheca rabbinica p. 69-72. ubi notitia libri Sohar datur, ſunt deſumta. Quem ſubiicit apologum, ab *Abrahamo Maimonide* in idioma ebraicum converſum, ut tirones haberent in quo induſtriam ſuam exercerent, ſeque rabbinorum lectioni adſueſcerent, eſt ille quidem ſtilo facili, plano, & ſatis puro conſignatus, argumentum etiam, iusiurandum ſancte ſervandum eſſe, & Deum homines periuros variis iudiciis, in hac etiam vita, perſequi, ſatis eſt grave: multa tamen eidem inſunt, ne quid de continuis prodigiis dicamus, de dæmonum ſocietate, & dominio monarchico in homines, horum notitia legis

mo-

Digitized by Google

moſaicæ, & δευτερώσεων, illorum ſtudio homines ſecundum legem iudicandi, conſuetudine cum feminis & liberorum procreatione, quæ teneriores animos facile offendere poſſunt. Duplex index rerum, & quæ in diſſertatione præliminari, & quæ in lexico continentur, magna ille quidem copia, ſiſtit. Chartæ & typorum nitor lectori ſe facile commendabunt; mendæ operarum a prudenti lectore nullo negotio animadverti & emendari poterunt.

Bibliſch-Exegetiſche Unterſuchungen, ꝛc.

i. e.

IO. DIETERICI WINCKLERI, S. S. THEOL. Doct. Hildeſienſium Eccleſiarum Superint. Conſiſtorii Aſſeſſoris primarii, & Gymnaſii Ephori, Biblico-exegeticae Diſquiſitiones.

Pars II. Lemgoviæ, typis Io. Henr. Meieri, 1748. 8. Plag. 18.

Pars III. una cum appendice & indicibus, ibid. 1749. 8. Alph. 1. plagg. 4.

P*rima* operis huius exegetico-ſacri *pars* indicata fuit in his *Actis* noſtris *A. 1747. pag. 561. ſeqq.* cui ſimiles prorſus eſſe iuſſit S. R. Auctor duas has poſteriores partes; niſi quod & grandiores paulo easdem prodire voluerit, & ſubſidiorum philologico-criticorum plus, quam in prima parte, interſperſerit. Quindecim huius generis obſervationes *pars ſecunda* continet, in enucleandis variis utriuſque foederis ſacri
Pag. 1. eloquiis divinis occupata, quarum nonnullas attingere iuvabit. *Prima,* oraculo graviſſimo Moſaico *Geneſ. XLIX. 11.* lucem adfundit. Poſtquam Iudæorum depravationes, aliaſque interpretum explicationes, accuratius pro more Auctor commemoravit atque refutavit, hoc loco de paſſione & morte Meſſiæ vaticinium luculentum contineri probat, ita ut *indumentum & velamen* ipſius humanam naturam, inprimis vero illud animam, hoc corpus Chriſti denotet, per *lavare* autem *in vino*

&

Digitized by Google

& uvarum ſanguine paſſio cruenta eiusdem deſignetur; cuius quidem interpretationis larga adiecta eſt confirmatio. *Secunda* obſervatio effatum divinum *Ieſa. XLV. 19.* pulchre enucleat, docetque, non de liberando a Babyloniorum iugo populo Iudaico, cum Iudæorum doctore *Aben Eſra*, itemque *Campegio Vitringa, & Io. Iac. Rambachio*, accipiendam eſſe prædictionem eam; ſed ſpiritualem heic loci, per Meſſiam præſtandam humani generis redemtionem, promitti. Senſum vero oraculi genuinum ita Auctor determinat: *Non dixi, fruſtra quaerite me:* quod quidem ex mente ſupremi Numinis ſequentem in modum explicandum: *Quaerite me ita, ut videatis, non fruſtraneum eſſe.* Quæ *quarto* loco eſt, de *Magis* agit, ad cunas Servatoris nati Bethlehemum adventantibus, *Matth. II. 1. 2.* commemoratis, *Hermanno von der Hardt* & Venerab. *Io. Chr. Harenbergio* oppoſita, qui pro Iudæis Magos iſtos habuerunt. Perſas fuiſſe, Auctor docet, qui ſacrorum veteris teſtamenti voluminum haud ignari, tempore nati Chriſti, ex immediata divina revelatione rem eam hauſerint, ex *Zoroaſtris* vaticiniis id profecto nunquam edocti. De *ſtella* magorum iſtorum enarrantur variæ recentiorum æque ac veterum interpretum ſententiæ: eandem vero pro vera, quamvis præternaturali & extraordinaria ſtella, Auctor habendam eſſe cenſet, cuius quippe apparitio, cum ſingulari divina inſtructione fuerit coniuncta. Diſquiſitio *ſeptima* in exponendo loco *Apocal. II. 1-4.* occupatur. Quæritur hic primo loco: num ſeptem illæ epiſtolæ Apocalypticæ, ſenſu literali & hiſtorico, an vero myſtico & prophetico gaudeant? Prior ab A. ſententia poſteriori præfertur. Sequitur ipſius ad epiſcopum Epheſinum datæ epiſtolæ Ioanneæ enodatio. *Octava* animadverſio ad locum *Ieſa. LXVI. 23.* illuſtrandum ſpectat, quem inepte quosdam interpretes de eccleſiæ feliciori ſtatu exſpectando explicaſſe, Auctor probat, & de triumphante eccleſia ipſe intelligit. Ordine *nona* verba *Apocal. V. 9. 10.* dilucide exponit, in quibus laudem Servatori a quatuor animalibus & XXIV. ſenioribus tributam, ſanctus Dei vir deſcripſit perquam emphatice. *Accipere librum &*

[Margin: Pag. 29. (beside "da obſervatio…"); 66. (beside "videatis…"); 84. (beside "ex Zoroaſtris…"); 90. (beside "vera, quamvis…"); 110. (beside "divina inſtructione…"); 146. (beside "ad epiſcopum…"); 177. (beside "triumphante…")]

& aperire eius ſigilla idem Auctori eſt, ac futura eccleſiæ fa-
Pag. 198. ta revelare. Ex *decima* patet, *Actor. XIV. 16.* non *vitae*
ſed *religionis vias* indigitari, quas ad ſummi Numinis fruitio-
230. nem conſequendam homines ſibi elegerint ſequendas. *Duodecima* docet *Cant. I. 3.* per *nomen* Chriſti *doctrinam* de ipſo in-
236. dicari, quæ per univerſam eccleſiam diſſipata, amoeniſſimi odoris fuit. Locum *decimum tertium* tenet *Pſalm. CXI. 2.* illuſtratio, quem de operibus regni gratiæ, non naturæ agere, contra *Io. Thomam Haupt*, eccleſiarum inſpectorem Templinenſem, confirmat Auctor.

Pars tertia quindecim pariter diſquiſitiones biblicas Lectori exhibet, quarum nos æque aliquas, ſed paucis, recenſi-
1. tas dabimus. Prima in *Pſalm. L. 16-20.* conſcripta, de argumento huius Pſalmi ſub initium agens, contra *Bernh. Walth. Marpergerum*, & cl. *Geo. Lud. Oederum*, eum non de peccato filiorum Eli, nec de Davidis cum Bathſeba commiſſo adulterio, ſed cum b. *Sebaſt. Schmidio* de ſtatu eccleſiæ Iudaicæ tempore Chriſti & Apoſtolorum, accipiendum eſſe probat. Huic ſcopo Pſalmi generali accommodantur ab Auctore commata 16-20. quibus, ex ipſius mente, altera cauſa, cur non poſſint non populo Iudæorum divina iudicia imminere, indicatur, hypocritica nimirum populi vita, & fucata
38. pietas. *Secunda*, in *Ioann. II, 4.* Servatoris iſta verba increpationem Mariæ ſeriam continere demonſtrat, contra Rev. *Io. Henr. Pratje*, alioſque, mitiorem illis ſenſum tribuentes. Refutatur & cl. *Geo. Ludov. Oederus*, cui iam beatus *Car. Lud. Hoheiſelius*, Gedanenſium philologus, contradixerat,
53. ſingulari diſſertatione anno 1732. habita. *Tertia* quæ ordine ſequitur, evictum dat, *Rom. I. 17.* non *iuſtitiam Dei* eſſentialem innui, ſed *iuſtitiam fidei*, Chriſti merito debitam. Verba autem *ex fide in fidem* perfectionem huius fidei declarant, modo Hebræis familiari, ex *Pſalm. LXXXIV. 8. CXLIV. 13.*
62. cognoſcendo. *Quarta* obſervatio in explicandis Pauli verbis *1. Corinth. IX, 26.* verſatur, beato *Io. Laurentio Moſhemio* inprimis oppoſita, contra quem divi *Lutheri*, verbum
110. ἀδήλως *incerto eventu* interpretantis, verſio vindicatur. *Sexta*

ta pericopæ ſancti *Lucae* evangelicæ, *cap. XIII. 1-5.* compre-
henſæ, inſervit illuſtrandæ, quam Auctor de Galilæis intelli-
git a Pilato inter ſacrificandum crudeliſſime oppreſſis. Simul
quæſtio ventilatur, num pro iudicii divini punitivi exemplo ha-
benda ſit hiſtoria iſta. Immediate ſequens hiſtoricæ narrationis
pars *cap. XIII. 6-9.* obſervatione *ſeptima* explicatur, ſingu-
lis ſermonis Servatoris circumſtantiis ita enucleatis, ut, quanta
uſus erga Iudæos peccatores Deus fuerit patientia & longa-
nimitate, doceatur. *Octava* diſquiſitio arduo loco *Zach.*
VI. 1-8. cum cura enucleando dicata ab Auctore eſt. Poſt
enarratas ac refutatas varias aliorum interpretum ſententias,
de miniſterio eccleſiaſtico in eodem agi probatur, ad quod &
ſingulæ viſionis propheticæ partes applicantur. *Decima* lu-
cem loco prophetico *Ieſa. XL, 10.* accendit, eumque de ever-
ſione regni diaboli, per Meſſiam præſtanda, vaticinium con-
tinere demonſtrat. *Undecima* itidem *Ieſaianum* vaticinium Pag. 217.
cap. LVI. 6. 7. illuſtrat, oſtenditque, de divino cultu a con-
verſis gentilibus, tempore novi foederis die dominica præ-
ſtando, agere divinum vatem. Verba *Pſalm. CX. 3.* ſequen- 248.
ti *duodecima* obſervatione uberius declarantur, & in illis mul-
tiplicationem eccleſiæ, eiusque membrorum, nuntiari proba-
tur, ita, ut quid ſingulæ ſibi velint locutiones propheticæ, di-
lucide monſtretur. Nec diſſimili ratione in reliquis diſquiſi-
tionibus illuſtrata deprehenduntur oracula divina, quæ nova
luce donare in animum induxit Auctor.

Quintuplex *Mantiſſa,* ad calcem tertiæ huius Partis, adiecta 315.
ab Auctore eſt, quorundam locorum biblicorum explicationi-
bus, beati *Hermanni von der Hardt,* Helmſtadienſis quondam
percelebris, at heterodoxis variis opinionibus indulgentis phi-
lologi, oppoſita. Depromſit eas *Wincklerus* ex opere quo-
dam viri iſtius, quod ipſe poſſidet, anecdoto, *explica-
tione difficiliorum quatuor evangeliſtarum locorum,* totasque
Lectori exhibuit excerptas, ac ſimul refutatas. Mantiſſa
prima ad locum *Ieſa. XL. 1-11.* ſpectat, quem pro ſermone
vatis conſolatorio ad Hiskiam regem, & populum Iudaicum,
ob Hieroſolymam a Syriæ rege Sennacheribo obſeſſam valde
afflictos, venditare *Hardtius* non dubitavit, ab Aucto-

Digitized by Google

Pag. 334. re reprehenſus. *Secunda* in *Ieſa. LXVI. 22-24* coll. *Marc. IX. 49. 50.* commentatur, quorum locorum priorem *Hardtius* de eadem obſidione urbis Hieroſolymitanæ, & inprimis de Aſſyriorum clade, interpretatus eſt, ita ut commemoratum novum coelum & nova terra, ex ipſius mente, feliciora inſtantia Iudaicæ gentis fata indicent. Auctori noſtro aliter videtur.
342. *Tertia* appendix de loco *Matth. III. 2.* agit, in quo quidem per *coelorum regnum* concedit *Hardtius* ſpirituale Dei regnum intelligi, at Ioannem Baptiſtam cenſet, æque ac Iudæos, de
356. mundano Meſſiæ regno futuro cogitaſſe. *Quarta* ad *Luc. XVII. 20. 21.* vindicandum genuinum ſenſum pertinet, contra *Hardtium* directa, qui una cum *Vulgato* interprete, & *Elsnero*, in verbis μετὰ παρατηρήσεως, Servatorem perſtringere voluiſſe putavit Iudæorum negligentiam, tempore adven-
362. tus ſui teſtatam. *Quinta* deinceps in *Matth. XVIII, 6.* docet, male *Hardtium* per *parvulos* intelligere *Chriſti diſcipulos*, per *ſcandalum* autem *afflictionem*, ita ut ſenſus ſit: *Qui preſſerit, torſerit, affixerit diſcipulos, poenam luet graviſſimam.* Singulis his expoſitionibus paradoxis opponens ſe *Wincklerus*, veram genuinamque interpretationem rite confirmare non neglexit. In *praefatione* parti huic tertiæ, ad cuius finem indices neceſſarii in omnes tres partes adiecti ſunt, phraſin aliquam, in *prima* diſquiſitionum *parte pag. 22.* obviam, & in *Actis* noſtris *A. 1747. pag. 562.* tanquam luce egentem notatam, cum cura ſub examen vocavit, atque defendit. Quod quidem ita præſtitit, ut ſanus iam eiusdem ſenſus luculenter pateat; amica noſtra monita amice excipiens, & ad illa humaniter reſpondens. Huius generis bella critica emolumento eſſe eruditæ reipublicæ, quis non videt? Promittit tandem in fine præfationis triplex a ſe edendum opus: 1) *Animadverſiones philologicas & criticas ad varia ſacri Codicis ſacri loca:* 2) *Disquiſitiones biblico-paſtorales:* & 3) *Biblicas Decimas Deo dicatorum negotiorum ſacrorum.* Prius horum operum, *Animadverſiones* ſcilicet, conſtat iamiam prodiiſſe, & in *Actis* noſtris *A. 1752. pag. 689. ſeqq.* & *A. 1753. pag. 39. ſeqq.* & *133. ſeqq.* enarratum eſſe. Reliqua duo, ut fauſto pariter ſidere luci publicæ exponantur, optamus.

DISSER-

DISSERTAZIONI CHIRURGICHE D' ANGElo Hannoni, &c.

i. e.

DISSERTATIONES CHIRURGICAE ANGELI Hannoni. I. De Fiſtula lachrymali. II. de Cataracta. III. de Medicamentis exſiccantibus, de medicamentis cauſticis.

Pariſiis, 1748. plag. 21. octonis.

Prima Diſſertatione de fiſtula lachrymali agitur, latius accepto termino, veluti illa vox omne lachrymarum, quo minus ad canalem naſalem ipſamque narium cameram deſcendere poſſint, impedimentum continet. Impediuntur lachrymæ, vel cum in ipſis tubulis lachrymalibus, quorum duo ex utroque palpebrarum limbo cartilagineo deſcendunt, adeſt aliqua res, quæ ſorberi lachrymas haud ſinit. Aliquando mucus eſt, quem lemas dicunt, qui tenues iſtos tubos explet, aliquando tuberculum ante puncta lachrymalia, vel in ipſis canalibus lachrymiferis naſcitur; coaleſcunt etiam, cum illos cruentos effecit nimia explorantium & ſpecillis ſubinde utentium nimia induſtria. Ex inflammatione ſimiliter concreſcunt, & poteſt ulcuſculum, relicta cicatrice, iſtas vias non minus implere. Specillis utendum omnino eſt, quo conſtet, an prope a punctis lachrymalibus abſit, utrum in ſacco lachrymali, an vero in ipſo canali naſali ſedeat, quæ fluere lachrymas haud ſinit reſiſtentia. Deinde intra ſaccum lachrymalem eſt, quod lachrymarum viam ad naſum cohibet. Ille enim, quem oportet intra oſſis unguium atque apophyſis maxillaris limites continere, eminet quandoque, & integumenta communia diſtendit ſimiliter, cum volumen illius vario modo auctum eſt. Atque ille tumor, quamdiu nec doloris, nec inflammationis, nec puris particeps eſt, Hernia lachrymalis dicitur. Sed ſola doloris aut inflammationis abſentia, ſecurum ſinit eſſe neminem, ut ſibi propterea perſuadeat, præter laxitatem ſacci lachrymalis, nihil mali ſubeſſe. Poteſt enim caro

Digitized by Google

indolens & fungoſa tumefeciſſe conceptaculum: igitur tunc demum a ſola laxitate ſaccus lachrymalis intumuit, cum ſibi lachrymas exprimi, admoto digito ſinit, ipſo tumore tunc exinanito, nec quacunvis alia materie punctis lachrymalibus expreſſa, præter ſinceras lachrymas. Tunc comprimi tumorem iuvat prælis ad frontem ligatis, ſub quibus tumor diu contineri poſſit, donec elaterem ſuum ſaccus indipiſcatur. Quodſi autem materies, punctis lachrymalibus expreſſa, ſpiſſa eſt, tenax, alba, olida, etiamſi ſaccus premendo exinaniri poteſt, ex ſola laxitate tumor haud eſt, ſed ſubeſt mala res, quæ de ulcere tenet, maxime ſi vetuſtus iam morbus eſt. Male conſulunt, qui tunc comprimi tumorem volunt. Præter enim, quam quod haud proficiant, irritant latens ulcus, & ophthalmiam inducunt. Igitur videndum quid cauſæ ſubſit, qua pus gignitur. Lachrymæ certe ſolæ non rodunt ſaccum, nec ſuppurantur, condenſabuntur forte in lemas aut lentam mucaginem; putreſcere nequeunt. Igitur tunc ſuperficiem ſacci lachrymalis internam, tuberculis ac carne aliqua fungoſa exaſperatam eſſe liquet. Hanc multi iniectionibus, per puncta lachrymalia demiſſis, abſumere tentant, inani omnino labore, cum, quæ rodere ſolent, pharmaca, iſtis viis iniici neutiquam poſſint. Etiamſi etiam, quod Chirurgi Pariſienſes nunc agere ſuſcipiunt, cannula argentea ſub oſſe ſpongioſo inferiore demerſa, poſſet aliquem in aperiendis lachrymarum viis effectum edere, videaturque hac chirurgia omnino ingenioſa, impedimentum illud auferri poſſe, quod in carne fungoſa canalem naſalem adimplente conſiſtit: neutiquam tamen, quod experientia docuit, iſta cannula vel ducendis lachrymis fuit ſufficiens, vel cauſæ huius obſtructionis par eſt, utpote quæ in carne fungoſa conſiſtit, quam abſumere hoc inſtrumentum nequit. Igitur, cum lachrymoſus oculus, atque ille ſubinde inflammatus, & materies ſuſpecta ex punctis lachrymalibus expreſſa, abſconditum in ſacco lachrymali ulcus produnt, aperienda via eſt, qua medicamenta cauſtica induci, & caro fungoſa vel callus, quem tamen veluti coriaceam materiem ulceribus nullis ineſſe Clariſſimus Auctor putat, abſumi poſſit. Sponte haud

haud raro abſceſſus iuxta canthum oculi internum naſcitur, quem Anchilopem græci vocant; atque ille cum ruptus eſt, quid porro perficiendum ſit, oſtendit, viam monſtrans, qua inducendum cauſticum, atque abſumenda caro ſit luxurians; dummodo ſacco lachrymali abſceſſus ille reſpondeat. Solent enim quandoque intra celluloſum ſub cute contextum abſceſſus naſci, qui viis lachrymalibus non reſpondent, quod intelligimus, cum iniecta per oſtium externum materies, punctis lachrymalibus haud effluit, neque vice verſa, ſi quid punctis lachrymalibus iniectum fuit, externo ulcere effluit. Quodſi autem abſceſſus perrupit ſaccum lachrymalem, ſinus vero anguſtus eſt, oportet omnino a commiſſura palpebrarum ad uſque marginem orbitæ vulnus fieri, per quod demitti exedentia remedia poſſint. Aſt ubi purulentus oculus eſt, nec tumor ad angulum oculi internum eminet, ſi præterea vetuſtum malum eſt, vana ſunt iniectionum tentamina, & oportet locum externum incidi, qui ſacco lachrymali reſpondet, cuius inveniendi cauſa, ſpecillum per punctum lachrymale alterutrum demittitur, quo locus indicatur, quem ſcalper diſſecturus eſt. Tunc ſeſe manifeſtat morbi ambitus, &, utrum ſalva oſſa ſint, an illa cariem habeant, apparet: quod difficile cognitu illis haud eſt, qui oſſa nuda ſpecillo explorare, atque ex puris foetore cariem latentem iudicare volunt. Cum ergo os unguis ſincerum eſt, abſumenda omnis caro eſt, quæ ſacci lachrymalis ſuperficiem internam exaſperat; quod cauſtico lunari, vel particula aliqua præcipitati rubri, aliiſque cauſticis benignioribus, commode perficitur. Laudat exercitatiſſimus Auctor cauterium actuale, & modos illud applicandi deſcribit. Deinde, cum canalem naſalem caro fungoſa obſidet, tentarunt quidam, ſetam rigidiorem, vel cannulam flexilem illuc deducere, quod ingenioſius dictu, quam factu facilius eſt. Examinatur Alexandri Monro, Edinburgenſis, methodus, nova puncta lachrymalia efficiendi, cum per externum ulcus acus in cartilagineum palpebrarum marginem transfigitur, filum transducitur, atque illud, donec callus inductus ſit tubulo, relinquitur. Poſtea, quid factu opus ſit, cum cariem oſſa habent,

Digitized by Google

bent, exponitur. Quodſi enim os unguium ſolum morbidum eſt, cauterium actuale inducitur, vel os illud alio modo deſtruitur: atque hoc ipſo nova lachrymis ad naſum via panditur. Aſt deſperata fere res eſt, ubi caries ad uſque oſſa ſpongioſa ſuperiora deſcendit. Interea, cum pertuſum os unguis, atque turunda, quam duram ac prementem eſſe haud decet, dilatata via eſt, exfoliationis lege poſſunt etiam corruptiſſima oſſa corrigi. Igitur turundarum uſus damnandus ubique haud eſt: recte autem earum uſum taxat Noſter, cum oſſa ſincera ſunt; neque tolerandas eſſe cannulas, quas multi per externum ulcus ad ſinum lachrymalem demittunt, propterea arguit, cum oporteat oculum his omnibus inflammari, quare ſatius ſit, ulceris carnes luxuriantes selectioribus cauſticis penitus educere, in quo unico, vera fiſtulæ lachrymalis ſanandæ idea ponatur. In altera, quæ de cataracta inſcribitur, diſſertatiuncula, ita ſentit: Cum liquor ille diaphanus, qui lentem cryſtallinam componit, penitus concrevit, matura cataracta dicitur, ante enim, cum ex parte adhuc eſt diaphana, mollior cum ſit, acum haud fert. Oportet igitur illum, qui lentem depreſſurus eſt, cum qua cataractæ ſpecie rem habeat haud ignorare. Cum corpus cryſtallinum perfecte induruit, cæſium eſt & glaucum, albet illud cum vetuſtus morbus eſt, & tunc quidem pro ſuſcipienda acu eſt aptiſſimum. Quapropter expectationi aliquid largiendum eſt, ne, nimio ſanitatis deſiderio, præceps capiatur conſilium. Cum molle corpus eſt, acu dividitur, nec cedit. Poſſet aliquis obiicere, vetuſtate obrigeſcere cataractas, & ſolvi deinde haud poſſe: ſed contrarium teſtatur experientia, quæ vetuſtisſimas cataractas commode deponi poſſe docet. Hoc unum eſt, quod capſula quæ lentem amplectitur, ſucceſſu temporis concreſcat cum ipſo lentis corpore. Enim vero hoc haud officit, poteſtque capſula illa una cum corpore deſtrui, quæ tunc cataractæ pars eſt. Aſt cum recentes cataractæ ſunt, poteſt etiam lens deprimi, ſalva manente capſula; quoniam corpus cryſtallinum ſuo liquido demerſum, capſulam haud attingit, ſed laxe ab illa comprehenditur. Igitur nolit ſibi perſuadere chirurgus, capſulam omnino de-

Digitized by Google

deſtruendam eſſe, illa enim diaphana eſt, & humore aqueo penitus ad illam, qua ante fuerat, convexitatem elevatur. Videat ergo, num obſequioſam lentem habeat, quæ, cum facile movetur, intacta capſula deprimitur. In ſeligendo inſtrumento, quod cataractæ deponendæ aptius ſit, artifices ambigunt, an lanceata, an mucronata acus præferenda ſit, dubitantes. Noſter acuminatam præfert, quod vulnus parvum ſit, iactura humoris aquei ſit minima, magisque verſatile hoc inſtrumentum ſit, nec facile diſſecentur vaſa, quorum hæmorrhagia ſæpe tota operatio irrita redditur. Præterea, quo loco defigenda, quibus partibus oculi parcendum, quomodo ad operationem præparandus, & cum illa peracta eſt, regendus æger ſit, exponuntur quam ingenioſisſime.

Tertia diſſertatio latino ſermone comprehenditur, agitque de medicamentis exſiccantibus, quorum eſt, oſcula vaſorum adunare, & puncta contactuum inter illa augere, pro ulceris ſuperficie in cicatricem ſenſim convertenda. Sed & illud eſt deſiccare, auferre materiem ulceroſam a ſuperficie, atque proinde illud avertere, quod contactum vaſorum minimorum, unionis cauſſa auferre ſolet ac poteſt. Quæ vaſorum minimorum contactum augent, adſtringentia ſunt, plerumque acida, deinde moleculæ terreſtres bibulæ, atque ex gummatibus illa, quæ glutinant, uti maſtichis, olibani, myrrhæ, thuris. Huiusmodi exſiccantia proſunt exſiccandis ulceribus tantum carentibus cuticula, hinc illis, quæ ſub ampullis materiam ſebaceam continent, ac illis denique, quæ altius deſcendunt in adipem. Sed omnibus ſuus modus eſt, oportetque ſelectum medicamentorum, veluti unumquodque ulcus eſt, haberi exquiſitisſimum; ulceribus, quæ cuticula carent, maxime illis, quæ ex ambuſtione ſunt, conducit ſpiritus vini, cum color, æſtus, atque dolor ſeſe aliquantulum remiſerunt. Ab initio enim, cum dolor urget, ſatius eſt demulcentibus uti, oleo olivarum cum ſulphure, thure, maſtiche cum ſucco plantaginis, ſolani & ſtramonii. Ex ſimplicisſimis eſt aqua frigida. Si quæ ulcera cutanea ex interna cauſa ſunt, illa ſcilicet

Ss her-

Digitized by Google

herpetica atque venerea, internis ſanantur medicamentis, quibus accedunt aliqua externa, inter quæ eſt alumen rupeum. Vulnera recentia & ſincera, nec vexata ſeu contuſa, ſolius naturæ opere tandem ſiccantur, & cicatrix ſenſim naſcitur, quam ſicca deligatio, & levis iuvat compresſio. Quarta diſſertatio de cauſticis inſcripta eſt. Horum quæ mitisſima ſunt, cuticulam a cute ſeparant, alia cutem devorant, & eſcharam excitant, eo efficaciora, cum ſolidorum nexum penitus ſolvunt. Omnia igneæ ſunt indolis, ſiquidem eosdem, quam quos ignis edit, effectus producunt. Horum ſingulorum uſus cum cautelis practicis indicatur, atque in omnibus ſingularis ſcientiæ ac experientiæ apparatus oſtenditur.

IO. BAPT. CARACCIOLI, CLERICI REGULAris, in Piſana Academia Publici Philoſ. Prof. de Lineis curvis Liber.

Piſis, 1740. 4. Alph. 1. pl. 4. Tab. æn. 12.

Agnoſcit doct. Auctor, uberrimeque in præf. ſua exponit, nihil de præſtantiſſimis in phyſica rebus ſine matheſeos ope dici poſſe, niſi aut in hiſtoria, aut in commentitiis hypotheſibus vel aliorum enarrandis, vel noſtris condendis, vanas terere moras velimus, noſque calamitoſe implicare. In hunc finem vero lineæ curvæ inprimis neceſſariæ iudicantur, præcipue ad mechanicarum diſciplinarum & motuum corporum intelligentiam. Igitur lineas curvas magis inſignes, tam geometricas, quam mechanicas adhuc memoratas explicandas adgreſſus eſt; uberius quidem iſtud, quam ad phyſices ſtudium & litteras neceſſarium ſit. Librum vero in capita diſtinxit, materia non, ut mathematici ſolent, in propoſitiones digeſta, ſed continuo ſermonis filo diducta. Itaque Cap. I. naturam linearum generatim aperit, II. curvarum in geometricas & mechanicas diſtinctionem exponit, III. de natura ſectionum conicarum, earundemque in infinitum progreſſu, IV. conicas ſectiones cuiusvis generis deſcribere

bere docet, V. de Ciſſoide Dioclis, & Conchoide Nicomedis, & de ratione eas extendendi in infinitum, agit, VII. curvarum geometricarum exempla alia adfert, VIII. de ſpirali Archimedea, & de aliis inſtar ipſius in infinitum efformatis, IX. de Quadratiæ Dinoſtratis, & de eius in infinitum proceſſu, X. de Cycloide & Epicycloide recentiorum, XI. de curvis aliis mechanicis tractat. In his omnibus nihil fere agit Auctor, quam ut æquationes pro curvis adſumat, & quomodo pro infinitis curvis, exponentes indeterminatos ponendo, univerſales reddi queant, doceat. De figura, aliisque conditionibus, ex æquatione definiendis, nihil, vel pauciſſima habet, neque in toto opere quicquam, præter vulgatiſſima Algebræ principia ſupponit. Interdum ex geneſi quædam de curvarum adfectionibus deducit, puta epicycloidum alias eſſe geometricas, alias mechanicas. Sub finem totius libri curvam aliquam conſiderat, cycloidi quadamtenus ſimilem. Si ſuper media baſi cycloidis vulgaris, perpendiculariter erigatur diameter circuli genitoris, curvæ in vertice eius occurrens, inque hanc diametrum demittantur perpendiculares ordinatæ ex curvæ punctis, notum eſt ordinatam quamvis æquari reſpondenti ſummæ ex ordinata circuli genitoris, & arcu eiusdem a vertice computato. In curva Auctoris, ordinata æquatur ipſi arcui circulari, ut adeo cyclois in hanc curvam abeat, ſi ponatur circulus genitor ad diametrum reductus, ut eius ordinatæ evaneſcant. Hinc curvam hanc *cycloidem dimidiatam* vocat Auctor, aliis ni fallimur *ſociam cycloidis* dictam. Eius curvæ proprietates credit ex cycloide ita, ut diximus, immutata deduci poſſe. Ita quemadmodum in cycloide ſpatium ſub ipſa & baſi contentum triplum eſt circuli genitoris, ita hic ſpatium illud duplum eſſe ait, cum nil aliud ſit, quam ſpatium cycloidale circulo genitore diminutum. His ratiociniis quanta vis ad geometræ animum cogendum inſit, aliis diiudicandum relinquimus, opus indicaſſe contenti, quod ſplendido de lineis curvis titulo, videbatur egregium geome-

triæ generalis ſyſtema promittere, cum nihil re vera doceat, quam quod nec tirones Algebræ apud nos latet.

BREVE COMPENDIO D' OPERAZIONI GEOMEtriche &c.

i. e.

BREVE COMPENDIUM OPERATIONUM GEOmetricarum, circino & regula abſolvendarum, Auctore CAN. ANGELO CAPELLI, Parmeſano Prof. Aſtr. & Soc. Reg. Berolin. membro, uſibus incipientium dicatum.

Venet. 1740. plag. 6. tab. æn. 35. 8.

Quod non longi ſimus in recenſendo hoc libro, excuſabit nos ſatis ipſe titulus, oſtendens, nil niſi vulgatiſſimas geometriæ praxes in charta expediendas in eo doceri. Hæ figurarum ſat magna copia, ut numerus tabularum indicat, illuſtrantur, figurisque, ut fere mos eſt in eiusmodi libellis, parerga ornatus cauſſa ſubiiciuntur, ſed quæ multum ſubſiſtunt infra elegantiam eiuſmodi ornamentorum, quam plurima geometriæ practicæ compendia gallica & germanica oſtendunt.

OSSERVAZIONI DELLA COMETA &c.

i. e.

OBSERVATIONES COMETAE ANNI 1744. & duarum eclipſium lunarium, Veronae inſtitutae a IOANNE PAULO GUGLIENZI & IOANNE FRANCISCO SEGUIER, iuncta poſitione geographica civitatis eius.

Veronæ, 1744. 8. plag. 2.

Tran-

Digitized by Google

Tranſitus Mercurii ſub ſole, Venus a luna occultanda, duæque lunares eclipſes, Novembri 1743. & Maio 1744. exſpectandæ, Auctores invitarunt, ad parvam ſpeculam, inde a longo tempore in Palatio March. Scip. Maffei exſtructam, & iam reſtauratam, in uſus vocandam. Veneris & Mercurii obſervationibus coelum non favit; id vero compenſavit apparitione inſignis cometæ. Cuius obſervationes, cum obſervationibus eclipſium lunarium, ſi totas huc transferamus, operæ pretium credimus nos facturos.

Cometæ apparentis rumor inde a medio Ianuarii ſpargebatur, ſed ob coelum nubilum, eum non niſi 31. Ian. primum contemplati ſunt obſervatores, oculis tantum iudicibus, ad quartam partem diſtantiæ inter γ & β Pegaſi prope φ. Poſt obſervatores uſi ſunt inſtrumento ab ipſis invento, quod ſic deſcribunt. Semicirculus eſt in gradus diviſus, itaque mobilis, ut quamcunque inclinationem nanciſci poſſit. Circa centrum eius revolvuntur duæ regulæ, ſibi invicem perpendiculares, quarum uni adfixum eſt teleſcopium ped. $1\frac{1}{2}$ cum duobus filis in foco lentis ocularis ſe decuſſantibus. Si planum ſemicirculi perpendiculariter erectum eſt, ſecundum direct. meridianæ alicuius, filum teleſcopii perpendiculare repræſentat meridianum, & transverſale parallelum. Hoc inſtrumento ad ſitum cometæ inveſtigandum ſic uſi ſunt. Semicirculus inclinatus ſic ponebatur, ut cometæ ſpecies per teleſcopium tranſiens filum transverſale raderet, & tempore, quo crucem a filis formatam tranſibat notato, una cum gradu, quem regula, ei quæ teleſcopium portabat, perpendicularis, indicabat, filum transverſale quod radebat cometa, exhibet eius parallelum, & alterum circulum horarium, in quo erat tempore obſervationis ſemicirculo ſic firmato, exſpectabatur tranſitus ſtellæ notæ poſitionis, & quam minimum a parallelo cometæ diſtantis, dirigendo ad illam teleſcopium, quod, ſecundum planum inclinatum ſemicirculi motum, ſatis exacte rectum ei circulo horario manebat, in quo erat cometa obſervatus. Stella filorum interſectionem tangente, notabatur tem-

tempus & præterea gradus a regula indicatus. Differentia temporis in gradus mutata dabat diff. aſcenſ. rect. & differentia graduum erat diff. declinationum ſtellæ & cometæ, unde cognoſcebatur ipſius cometæ long. Huius organi uſum tubo conſueto, micrometro inſtructo, prætulere auctores, quia in illo adhibere poterant principales Pegaſi ſtellas, quarum loca maxime certa ſunt, licet diſtantia parallelorum illorum ſuperet campum teleſcopii, ut per illud immobile conſpici omnes non poſſint, adeoque liberati erant obſervatores labore exſpectandi tranſitum ſtellarum, vel plane non, vel non ſatis conformiter in catalogos relatarum. 1. Febr. inſtrumento imperfecto adhuc uti non licebat, cœlum purum erat, & cometa ſtellis primi honoris præire videbatur. Diſtabat circiter dimidio gradu a φ Pegaſi, ſed quia huius ſtellæ poſitio diverſimode a Flamſtedio, Baiero, Pardieſio, & aliis traditur, inde poſitionem cometæ deducere neglexerunt. Recta per γ & β Peg. paulo ſupra cometam tranſibat, & alia per α Peg. & per α triang. paulo infra eum, ut verſus ſeptentrionem erat reſtitutus, cauda quaſi 12° longa, fere ad α Andromedæ pertingebat, luce eo languidiore, quo longius a nucleo recedebat, prope quem ſeſquigradum latitudine æquabat.

Die 2. 3. 4. 5. 6. parum vel nihil obſervatum propter nubes.

7. hor. 7, 2′ 0″ cometa in interſectione linearum per λ, γ, Peg. & per β, δ, Andromedæ, unde eius A. R. 350° 20′ & decl. B. 17° 15′ Obſervatio facta ope organi ita peragebatur:

Cometæ appulſus ad horarium tubi	7^h, 2′, 0″
Appulſus Algenib vel γ. Peg.	7, 40, 32,
differentia temp.	38′ 32″
in part. æquat.	9° 39′ 35″
Cometa in parallelo	13° 44′ 50″
Stella in eodem	3 30 0
differ. declinat.	10 14 50
A. R. Algenib, e *notitia temporis* Pariſina	360 1 10

diff.

diff. Subtractiva	9 39 35
A. R. Cometæ	350 21 35
Decl. bor. Algenib	13 44 50
diff. additiva	3 30 0
Decl. bor. Com.	17 14 50

Neglecta eſt correctio ob refractiones, quia vix in ſtella & cometa differunt, nec niſi quantitate maxime exigua locum cometæ immutare poſſunt.

Long. Com. 28° 15′ 36″)(Lat. bor. 19° 37′ 33″

Differentia inter utramque obſervata ſatis parva ut patet. Hoc die convicti ſunt motum apparentem cometæ eſſe e. S. S. Cauda fere ad δ Androm. pertingebat, ſed parum lucis habebat paululum ſupra α eius Aſteriſmi. Lux nuclei vividior erat quam reliquis diebus. Stellula apparebat fere in eodem cum cometa parallelo, paululum ſupra.

8. Febr. coel. fere ſemper nub. ſtellula iam multum infra comet. h. 7½.

9. Coel. nubilum.

10. Coelum breviſſ. tempore ſereneſcebat, cometa fere in linea per τ piſcis ſeptentrionalis & α Pegaſ. ſic tamen ut eſſet paululum plus verſus γ eius Aſteriſmi, cauda proxima α Androm. ut hanc ſtellam quaſi raderet.

11. hor. 6, 47′ 20″ Ope rectarum per δ Balenæ & γ Pegaſi, atque per β & paululum ſupra δ Androm. iudicabatur A. R. 348° 15′ D. B. 16° 50′. Ex organo eodem modo adhibito A. R. 348° 22′ 19″ D. B. 16° 48′ 40″. Long. 26° 10′ 10″)(Lat. B. 20°, 0, 0.

12. Febr. Coelum ſatis ſeren. Locus cometæ non definitus ob obſervationes dubias. Cometæ tranſitus per horarium tubi durabat 6″ 30‴ quæ obſerv. ſæpius repetita unde diameter cometæ p. p. 1′ 33″. Dimidia hora antequam occidebat, cauda videbatur diviſa ad tertiam partem ſpatii in duas partes, quarum una verſus meridiem, alia verſus α Androm. dirigebatur.

13. hor. 6, 32′ 32″ ope organi A. R. 346° 42′ 53″, D. B. 16° 6′ 50″ Long. 24° 23′ 8″)(Lat. B. 20° 1′ 5″

14. hor.

Digitized by Google

14. hor. 6, 32′, 24″, A. R. 345° 55′ 40″. D. B. 15° 39′ 50″. Long. 23° 27′ 37″)(Lat. B. 19° 55′ 18″.

15 — 22. Tempus nubilum.

22. Parum adhuc cometa conſpicuus. Occidebat hor. 6, 57′. Amplit. occidua borealis = 14° 30′, ſed quia poſt montes aliquos occidebat, locus eius ex hac obſ. non deductus. Cauda bifurcata, ut reliquis diebus. Per vapores coloris velut aurei, & maior apparebat. Appropinquaverat ſtellæ ξ Peg.

23. hor. 6. 36′ 25″. A. R. 338° 12′ 5″. D. B. 8° 44′ 50″ Long. 13° 15′ 0″)(Lat. B. 16° 36′ 13″

24. Coel. nub. 25. Cometa ſole occidente conſpectus.

26. Cometa non niſi 10′ poſt occaſ. ⊙ conſpicuus, & ſpes præcluſa, veſpera eum adhuc obſervandi, ſed alia orta, eum ſcil. teleſcopii ope media die videndi, ut Venerem & Iovem, quibus nec diametro apparente, nec lucis intenſitate cedebat. Inſequenti die mane tempus eius ortus veri 17^h 34′ 6″. Lucente ſole conſpectus hora 21. ope teleſcopii Newtoniani 2 ped. magna cum obſervatorum voluptate, qui alium Cometam interdiu viſum eſſe ignorant.

27. tempus nubil. 28. Coel. ſeren. Cometa ortus 17^h 35′ 18″ factis correctionibus ob refract. Viſus uſque ad tranſitum ſuum per merid. non tubo ſolum, ſed nudo oculo, licet a ſole diſtaret ſaltim p. p. 10°. Id multi homines in tota urbe, loco cometæ ab obſervatoribus indicato, mirabundi contemplati ſunt. Aſc. R. Com. & Decl. deductæ ex comparatione cum loco ſolis, ſumto ex ephemeridibus Euſtachii Manfredii, obſervato tranſitu ⊙ per merid. Fuit itaque

28. Febr. 23^h 23′ 11″. A. R. 332° 34′ 20″. D. Auſtr. 2° 17′ 59″ Long. 3° 43′ 34″)(. Rat. 8° 25′ 39″.

29. Ortus Cometæ 17^h 30′.

Mart. 1. 2. Nubes impedimento fuere.

3. 4. Licet Cometa iudicaretur adhuc aliquot diebus ſupra horizontem appariturus, non tamen amplius conſpicuus fuit, vel ob lucis defectum, vel ob ſolis propinquitatem.

HIERO-

Digitized by Google

HIERONYMI LAGOMARSINI, E SOCIETATE Ieſu, orationes quinque.

Mediolani, apud Franciſcum Agnellum, ſuperiorum permiſſu. 1746. 8. pl. 11½.

Has orationes bibliopola dedicavit Animoſorum Academiæ, in collegio Braydenſi ſocietatis Ieſu; non his ſolum adoleſcentibus, ſed omni ſtudioſæ iuventuti, ſiquidem cum iudicio legantur, maxime commendandas. Habuit eas Auctor Gallus Florentiæ, litteras elegantiores profeſſus. Prima Pag. 1.
docet, multam eſſe dandam literis, at non multis, operam. Ubi per exempla parteſque demonſtrat orator, inſignem eſſe cuiusque diſciplinarum generis amplitudinem, ut nec ſingulis emetiendis plane par ſit ætas humana, nedum coniunctis. Multas ſimul notatu dignas obſervationes admiſcet. Sic, de 20.
enarrationibus (quas *notas* inepto vocabulo ſolæcoque vocant,) in omnes veteres Latii ſcriptores, in uſum Delphini 21.
publicatos, nihil gravius vult dicere, niſi videri plurimos earum auctores, quantum ingenio poſſent ac facultate, contendere voluiſſe; teſtemque nominat *Petrum Dan. Huetium*, cui ſecundæ partes in inſtituendo Delphino, cum *Boſſuetio* principe, credebantur. Hic enim eadem de re queritur, in commentario *de rebus ad ſe pertinentibus*, p. 120. ed. Lipſ. 1719.
Singulatim plures appellantur eximii poetæ, qui vel nulli, 24.
vel non niſi mediocres oratores; & oratores, qui poetica facultate minus valuerunt. Illos inter, *Homerus, Virgilius, Sannazarius, Fracaſtorius, Bargaeus, Hoſchius:* inter hos *Demoſthenes, Cicero, Victorius, Sigonius, Muretus, Perpi-* 25.
nianus, Manutii. Maxime celebratur *Io. Caſa*, tamquam ſummus in Hetruſcis orator, cuius unam ad *Carolum* imperatorem orationem mavult noſter, quam aliorum ſexcenta volumina, ſcripſiſſe. Sed eiusdem latina carmina, ſunt illa quidem non 26.
contemnenda, neque talia tamen, ut ſit cur ſimiliter ſe poſſe ſcribere plerique deſperent. Ratione diverſa, nihil poteſt

non modo fieri, ſed ne cogitari quidem ſplendidius, uberius,
elegantius, hetruſcis *Franciſci Petrarchae* carminibus; cum
Latina, ſive fuerint epica, ſive bucolica, repetere cupiat ne-
mo. Quo ſane confirmetur, eſſe diverſam hetruſcæ Latinæ-
Pag. 31. que poeſis tradendæ diſcendæque viam. Oratio ſecunda lin-
33. guam Latinam commendat. Orator in prima vituperarat
Italos, quod ipſis opes ſuæ ſorderent, alienæ ſemper appete-
rentur avidius: ad linguam quod attinet, immutatur accuſa-
tio, Latinam præ ſua, quam omnibus in angulis colant, teme-
re ſpernentium. Utinam vero Germani noſtri aliquanto
43. Italis hac in cauſſa diſſimiliores eſſent! Sed rem agamus.
Omnibus quidem linguis æqualis in ſe præſtantia concedi-
tur: ſic autem, ut, quæ ſcriptoribus optimis abundent, me-
44. rito reliquis præferantur. Sic Atticam Græci, Latini
Romanam, Galli Pariſinam, Hiſpani Caſtellanam, Itali Flo-
rentinam, aut Hetruſcam certe, prætulerunt. Videmus igitur,
quod familiarum nobilitati maiores, hoc linguarum dignita-
ti conferre ſcriptores: qua quidem in re neque diſſentit *Var-*
47. *chius* in *Herculano* p. 160. ed. Florent. 1730. Nonnum-
48. quam acceſſit, poliendæ conſervandæque cuiusdam loci lin-
guæ, ſollicitudo. Conſervarunt eam antiqui, neglexere paſſim
recentiores. Si qui vero non ita religioſi, vel in novis voca-
bulis inducendis, vel in vetuſtis innovandis, fuere, (quales
poetarum nonnulli, nominatim *Dantes Aligherius* inter Ita-
los); id neque tam ſæpe fecerunt, ut vocabulorum novorum
aut innovatorum ratio magnopere ſit habenda, neque non
neceſſitate quadam ſive metri, ſive convenientiæ ſyllabarum
extremarum conſonantiæque, coacti fecerunt, nec illis ideo
tam laus tribui, quam venia ſolet. Unde ſimul elicitur, quid-
quid, præter ſignificandi vim, linguæ bonitatis habent, adſcitum
eſſe, non inſitum, & a ſcriptoribus, non a natura. Si quis
igitur, vel in alias contemta lingua, polite terſeque ſcribat,
50. merebitur laudem. Mediolanenſi dialecto, multa *Caro-*
lus Maria Magius elegantiſſime ſcripſit, ac vehementer dele-
ctavit; neque tamen admodum eleganter loqui Mediolanen-
ſes

Digitized by Google

ſes putantur. Vix ullus ſermo magis, quam Ligurum, ce- Pag. 51.
terorum auribus inconditus & abſonus apparet: cum tamen *Antonius Folieta* mirifice exornavit. *Cauallus* autem, eiusdem gentis homo, quod de *Catone* dicitur, ad omnia verſatilis & ingenii feliciſſimi, tantam ad pulcritudinem ac venuſtatem ſcriptis ſuis patriam linguam evexit, ut, tali ſcriptore
freta, cum quavis ex elegantisſimis de dignitate certet. Hinc 52.
ibi temere trahit patriæ caritas; cum quo quæ magis eſt ſapientum conſenſu prælata lingua, eo iuſtius prærogativam me-
retur. Eſt eadem Latina, tamquam vinculum quaſi commune 61.
litteratorum omnium. Hæc igitur vertendo, ſcribendo, loquendo, præ ceteris in ſuccum & ſanguinem converti mere-
tur. Præivit Chriſtianus ille Cicero, *Paulus Segnerus*, cuius 62.
hominis, ut noſter arbitratur, quo ſimiliores ſunt, hoc meliores evadunt oratores Itali; tantum a ſumma perfectione, quantum ab imitatione *Segneri*, remoti. *Ciceronis* hic in Verrem orationes, non modo multum ac ſæpe legiſſe, fereque deſcripſiſſe, ſed hetruſcas omnino feciſſe, dicitur. Eodemque conſilio, præſtantiſſimus poeta, *Torquatus Taſſus*, Æneida
Virgilianam Italice reddidit. Quid, dum, ob mutabilita- 65.
tem rerum, verendum eſt, cuiusque gentis linguam, poſt non adeo multos annos fore diverſam, ea nunc omnino con-
ſtantiſſima præſtabit. Sequuntur pro publicis ſcholis oratio- 72.
nes tres. Vituperatur hic non modo barbaries temporum noſtrorum, verum etiam per inferiores ſcholas feſtinatio, gymnaſiorumque contemtus iniuſtisſimus. Prima nominatim
agit de magiſtrorum genere, ac mutationibus; altera de do- 105.
cendi diuturnitate; de morum corruptelis tertia. Bene mo- 107.
net orator, propter iuventutem eſſe gymnaſia, non ſecus; 110. ſq.
ſed acriter ſimul invehitur in corruptos ſtudioſæ iuventutis mores, quibus omni potius nequitiæ, quam fini ſe ſuo accommodant. Certe, pariter exteris, adeo communis eſt litterarum peſtis, faſtus ac mollities iis addictorum, indeque ſuffultus, divitis magis quam eruditæ turbæ, procerumque rei-
publicæ, contemtus. Noſter, ut priori certe vitio medeatur, 112.

Digitized by Google

cum publica privatam inſtitutionem & inſpectionem coniungi iubet. Quod longiori comparationi præbet occaſionem;
Pag. 125. in qua ſingulatim *Torquati Taſſi*, quem principem illum epici apud Italos carminis alitem nominat, exemplum collaudat.
127. ſeq. Is enim, cum a Bernardo patre, vix dum quatuor annos natus, in publicam diſciplinam traditus & commendatus eſſet, tam celeriter profecit, ut ſeptennis, & latinam perbene linguam noſſet, & Græcam non ignoraret, & verſus & orationes ſcriberet, & ad coronam, quæ ſcripſerat, recitaret. Excitari quippe iudicat, a multitudine, cum diſcipulos, tum ipſos magiſtros, ut muneri certatim, cumque maiori pondere, ſatis
136. ſqq. faciant. Præfertur & in publicis ſcholis diſciplina, præfertur harmonia doctrinarum ac diſcipulorum, præfertur in exercitationibus & elaborationibus peccatorum correctio. Simul hic, ut alibi paſſim, plures immixtos poetarum verſus videmus; quod, num Ciceronis, aut alterius optimorum Latinitatis oratorum, exemplis tueri queat *Lagomarſinus*, ipſe viderit.
142. Oratio quinta pro grammaticis Italiæ ſcholis, coram *Ioſepho Maria Mantellio*, primario rei ſanctioris antiſtite, dicta fuit,
144 veterem docendæ grammaticæ rationem contra recentiores defendendi gratia. Nos laudamus, ſi quis propoſiti tenax eſt; ſed vituperamus, ſi cui nova quælibet ſordent, quia ſunt nova. Meminimus audire, qui ſolum *Schmidium* collaudarent, & omnem grammatices lingua patria inſtitutionem ſusque deque haberent. At hodieque ſuperſunt, ſi quis conſuetudinis iugum excutere voluerit, emendanda multa perficiendaque, quæ quidem non eſt huius loci deſignare, facile vero ſentient, in Latio, cum accuratione iudicioque, verſati. Sunt inter recentiores temerarii; ſed ſunt etiam antiquis ſui nævi. Nihil igitur temere novandum; nihil etiam, ſine diſcrimine iudicioque, contemnendum. His, ut arbitramur, ſanæ rationis præceptis imbutus, in extrema pariter illa oratione, præter offenſionem verſari poterit, ubi ſæpius impinget alius.

LET-

Digitized by Google

LETTERE DI GELASTE MASTIGOFORO ALL' ECcellentisſimo Signor Dottore Clemente Bini, per communicargli le refleſsioni fatte ſopra le Lettere critiche dal medeſimo, ſcritte contro le *Diſſertazioni Anonime intorno all' Eſiſtenza di Dio, ed all' immortalitá dello Spirito umano,*

i. e.

GELASTI MASTIGOPHORI EPISTOLAE AD Clementem BINIUM, quibus exhibentur cogitata in Epiſtolas criticas ab eodem ſcriptas, adverſus Diſſertationes anonymas, de eo quod eſt Deus, & de animae humanae immortalitate.

Luccæ, ex typographeo Philippi Mariæ Benedini. Cum licentia Superiorum. 1746. plagg. 9. in 4.

Apud eundem typographum, æque adnuente ſuperiorum licentia, Piſanus Profeſſor ediderat a. 1745, 10. plagg. librum, in cuius fronte legitur index, *della Eſiſtenza e degli Attributi di Dio, e della immaterialitá ed immortalitá dello Spirito humano ſecondo la mera Filoſofia, Ragionamenti Metafiſici del Signor* * * *. Diximus de hoc libro alias. Adverſus eum D. *Clemens Bini* Diſſertationes duas ſcripſit ad Abbatem Franciſcum Cecchi, Luccæ a. 1745. luci publicæ expoſitas. Perſonatus Gelaſtus his ſeſe accinxit legendis, easque ſibi haud ſatisfacere deprehendit. Quare Metaphyſici illius librum *de Exſiſtentia & Attributis Dei* curavit recudendum, congruenter editioni primæ, eique ſuas adiunxit epiſtolas. Inprimis id videtur urgere, Anonymum Deo eripuiſſe Pag. 10.
omnipotentiam & libertatem, quippe qui docuerit, Deum non poſſe plus eo, quod creavit ac produxit iam, creare. Deum non eſſe *moraliter* liberum, in actionibus *immanentibus*, dat Noſter. At negat, libertatem Deo eſſe ideo reſpectu *actionum ad extra* denegandam. Creatio utique ad has 12.
eſt referenda. Et qui Deus in creata poſſet beneficentiam

Digitized by Google

prodere ſuam, niſi libertate poſterioris ſpeciei gauderet? Fie-
ri hanc benignitatis actionem per meram Dei bonitatem na-
16. turalem, negat Noſter, laudans illa ſui Thomaſii: *Cum Deus
alia a ſe non velit, niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas, non ſe-
quitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem eius, niſi ſua bonitas.*
Metaphyſicus tamen, ſic liceat eum cum cenſoribus vocare,
docuerat, Deum, nec intrinſecus nec extrinſecus coactum,
ſponte ac libere creanda ea, quæ creavit, delegiſſe. Tradi-
derat vero, creationem fluxiſſe ex libera voluntate, & hanc ni-
ti eſſentiali beneficentia *ſapientiſſima.* Et quis ſapientiam, eius-
que exercitium, a fine, liberrime mentibus obverſante, diſ-
iunget, vel alteram alteri opponet? Potuit, & poteſt Deus
per ſeſe creare plura; at noluit, quia ſapientiſſime egit, ideo-
que finem conſecutus eſt plenum. Non potuit itaque *mora-
liter,* haud phyſice, plura prorſus nova, & diu duratura, crea-
re, quia ita fert ipſius ſapientia. Si quid videmus, inde li-
bertas & potentia Dei, licet utraque haud porro creandi pro-
dat actionem, non periclitantur. Utraque enim haud latius
ſe exſerit, quam finis Deo præſtitutus, & ſapientia poſtu-
lant. Principium rationis ſufficientis ſequitur Metaphyſicus,
ſeu argumentum a contingentia mundi deſumtum, quo Tho-
mas Aquinas, & quis non præterea? uſus fuit. De Luthe-
ranorum, de Leibnitii, Wolfii, aliorumque doctrinis, hic non
diſſeritur. Referenda hæc ſunt ad philoſophiæ ſtadium. P.
Turneminius, cel. olim Ieſuita, metaphyſicam Perill. Wolfii,
lib. Baronis, ac præcipue theologiam eius naturalem, illi prin-
cipio ſuperſtructam, ab atheiſmo immunem pronuntiavit.
26. Ambroſius, *Hexaëmer.* I, 5. luculenter: *Deus fecit qua bonus,
quod foret utile; qua ſapiens, quod optimum iudicabat; qua
omnipotens, quod ampliſſimum praevidebat.* En hæc Lactantii
L. *de Opif. Dei* c. 3. *Conſiderans conditionem rerum, intelligo,
nihil fieri aliud debuiſſe, quam factum eſt; ut non dicam potuiſſe,
quia Deus poteſt omnia. Sed neceſſe eſt, ut illa providentiſſi-*
28 *ma Maieſtas id effecerit, quod erat melius & rectius.* Infini-
tam vero eſſe ſapientiam Dei, & imperſcrutabilem, quis negabit?
Metaphyſicus, Deum miracula edidiſſe, ac in poſterum face-
re

Digitized by Google

re poſſe, haud infitiatur. Quomodo igitur dici poſſit idem negaſſe libertatem Dei *ad extra*, non adparet. Deum ex quibuscunque mundis poſſibilibus delegiſſe eum, qui ſcopo ſuo ſapientisſimo, ac complexui ſuarum perfectionum, maxime congruebat, docuit æque Cel. & Ven. Galliæ Antiſtes, conſenſu & adprobatione collegii Sorbonici præmunitus, in libro, *Eſſai philoſophique ſur la Providence, Paris.* 1728. Metaphyſicus certe libertatem hominum adeo reliquit ſalvam, ut nihil ſupra. Ipſius hyperaſpiſta, quem eſſe illum ipſum conjectamus, enuntiata (Metaphyſici) firmat teſtimonio dogmatico S. Auguſtini uno & altero. Libertatem homini in ipſo gratiæ Dei ordine ſalvam manere, comprobat pronuntiatis Theologi, Romæ florentis, ac theologiam docentis, quæ legi poſſunt in illius *Theol. diſcipl.* XIV, II, p. 197. hunc in modum: *Remanet nobis poteſtas ad oppoſitum* – – *non proponitur nobis verum ſub omni ratione veri, & bonum ſub omni ratione boni* – – *Mens & animus non rapitur illa neceſſitate, qua in verum bonumque in communi protendimus* – – *non abſorbetur voluntas a plenitudine bonitatis*. Auguſtinus: *Poteſt alio amore ſuperari, & ex mundi delectatione marceſcere.* Mirum ſane, fuiſſe homines, qui Metaphyſico atheiſmi maculam & crimen inurere ſuſtinerent: qui eum flammis & inexorabili ferro addicerent: qui aliis perſuadendi cupiditate arderent, ipſum nefanda audacia feciſſe Deum mali auctorem, & Collinſii veſtigia preſſiſſe. Metaphyſicus docuerat, omnem ſubſtantiam ſpiritualem finitam, eſſe omniſcientiæ, ſapientiæ, & ſanctitatis infinitæ expertem, ideoque ignorare quædam; & per ſe capacitati mali moralis eſſe ſubiectam, non quidem erumpenti per creationis exordia, nec ſemper tali ut vinci non poſſit. Pelagianiſmum hæc redolere, dictitarunt cenſores, Florentini inprimis, qui *Nova* ibi *Litteraria* condunt. Metaphyſicus, per philoſophiæ lumen, quod adhibuit unice, haud definire valuit, quod Deus per gratiam ſpecialem effecit. Thomaſius & Petavius docuere, humanam Chriſti naturam, angelos in virtute confirmatos, coelitesque,

Pag. 32.
42.
45.
47.
53.

per

per effectum ſpecialis gratiæ Dei, a malo morali fuiſſe & eſſe exemtos. At philoſophus hæc haud negat, ignorat tamen, qua philoſophus, modum, quo Deus facultatem iſtam labendi mentibus nonnullis exemerit. Lumen revelatæ divinitus doctrinæ, non repugnat quidem lumini naturæ: ſunt tamen utrique limites, haud quaquam confundendi. Enuntiata, quæ philoſophice & breviſſimis verbis proferuntur, ſunt attente perpendenda, & capienda recte, antequam refellendis illis laborem impendimus. En Hieronymi ep. 46. haud diſſentientis verba: *Solus Deus eſt, in quem pec-*
Pag. 61. *catum* (aberrandi a lege facultas) *non cadit. Cetera cum ſint liberi arbitrii, in utramque partem ſuam flectere poſſunt voluntatem.* Libertas igitur contrarietatis tribuitur mentibus, quæ adhuc verſantur in via ad ſempiternam ſalutem, ſuffra-
66. gantibus Theologis. Eadem docuit Auguſtinus. Quæ cum ita ſint, nobis haud licet videre, quid erroris admiſerit Metaphyſicus Lucenſis in chriſtianam & ipſam ſuæ eccleſiæ theologiam. Oportet tamen philoſophos tantum exquiſiti & ſubacti acuminis ſedere iudices controverſiarum metaphyſicarum. Hæc ad epiſtolam primam. Dolemus, quod reliquas, ſi tamen in lucem exierunt, inſpiciendi & expendendi nobis occaſio nondum fuerit oblata.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA

Tomi VIII Sectio VIII.

Explication de divers Monumens ſinguliers &c.

h. e.

COMMENTARIUS IN MONUMENTA NOTATU digniſſima, quæ ad religiones vetuſtiſſimarum gentium intelligendas multum faciunt. Accedit de nupera operum S. Hieronymi editione, nec non de aſtrologia iudiciaria diſputatio auctore R. P. DOM . . . . Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri.

Lutetiæ Pariſior. apud Lambertum & Durand, bibliopolas. 1739. 4. cum tabul. 12. æn.

Alph. 3.

Sæpe multumque audimus, doctos & perſpicaces viros in utramque partem diſputare, utrum reipublicæ litterariæ interſit, aliorum libros caſtigare, & ſi caſtigentur, utiliusne ſit, acriter & contentioſe, an leviter, & cum quadam animi ſedatione, cenſuram agere. Neutri deeſt parti ſuus argumentorum color. Aiunt enim ii, qui modeſtius & placidius rem tranſigendam eſſe autumant, humaniorum litterarum hanc eſſe oportere diſciplinam, ut comitate & blanditiis,

 non

Digitized by Google

non rixis & cavillationibus viri eruditi certent. Habet ea rationis concluſio aliquam, ut nobis videtur, in circulis amicorum, vim & poteſtatem, ſed ad cauſæ illius defenſionem non admodum probabilem. Etſi enim ita agreſtes & barbari non ſimus, ut ingenii morumque ruſticitatem urbanitati anteponamus, aut unquam anteponi poſſe arbitremur: licuit tamen cuivis docto homini, tanquam in re publica libera, ἀπροσωπολήπτως verum dicere; quod cum per ſe noſtris temporibus odium pariat, nemoque ſit, qui non laudes potius, quam vituperationem expetat, facile intelligitur, genus hoc ſcribendi forte, vehemens, ex omni parte cauſæ ſeptum, acre, in unaquaque re commorans, ſubtile acriterque profligans faſtus & impudentiæ vitium, quo nullum peſtilentius rei litterariæ accidere poteſt, nulli horum placere, qui ingenii vanitate quadam & audacia exſultant, maiorique litterarum ambitione, quam cura torquentur. Tantum igitur abeſt, ut concertationes litterarias, etiamſi acerbas, plane damnemus, ut potius frugiferas ſæpe, duplicique hominum generi ſalubres eſſe profiteamur. Alterum enim eſt eorum, qui, dum primi eſſe volunt, nec ſunt, ſuperbiam induunt, fucum aliis faciendo, nec tales viros reprehendere erubeſcunt, quorum ingenio & labore omnem litterarum elegantiam & reſtauratam fuiſſe, & adhuc ſtare comperimus. Horum inſolentia, niſi violentis quibusdam remediis, tanquam morbus univerſas corporis partes pervadens, tollitur, fruſtra reprimitur. Alterum genus eſt eorum, qui etiamſi naturæ beneficio in artibus multa ſubtiliter & acute cernant, & ſeveriori lege in litteris proficere allaborent, ea tamen ſunt vel verecundia vel humanitate, ut viri alicuius auctoritatem & famam pro ratione æſtiment, & cum his errare malint, quam aliam ſtudiorum viam lubrico eventu ingredi. Atque horum cauſa voce & ſcripto cavere debet is, cuius ingenium vel ſubtilior cognitio & ratio litterarum aluit, vel uſus, aſſiduave lectio ſcriptorum omnis ævi, dudum confirmavit, ne illi a ſemidoctis hominibus, tanquam ab Agyrtis, decipi ſe patiantur. Poſtulat autem hoc ſcribendi genus candidam veri expoſi-

poſitionem, non mellitos verborum globulos, qui dici non poteſt quam ſubtili rationum complexioni officiant. Quis eſt ergo, aut quotuſquiſque, qui Ciceronem, cum ſummos in republica viros graviter reprehendentem legat, inhumanitatis aut neglectæ morum elegantiæ reum facere conetur. Nihilominus tamen ea eſt ſæculi noſtri indoles, ut viros, penes quos rectum eſt de litteris & litteratoribus iudicium, *canes Grammaticos*, unoque nomine, cuius vim nunquam ceperunt, *Criticos* appellare ſoleant. Quod ſi intellexerint, candorem ſummis in laudibus poni, virtutemque maxime idoneam eſſe ad inſtitutionem, doctrinæque abſolutionem, nullum dubium eſſet, quin, ut hoc tantum utamur, Burmanni ſcriptis adverſus *Caperonnerium*, *Clericum*, *Gundlingium*, & alios, delectarentur. Mira enim eſt in iis venuſtas, &, ſi nonnulla aſperius dicta excipias, quæ fortaſſis in viro tanto, & aliis huius ſimilibus, excuſari poſſunt, ubique tamen rerum & præceptionum utilisſimarum copia regnat, qua profecto, niſi cum inſcitia quorundam hominum bella gerenda fuiſſent, inviti careremus. Sed de hoc loco plura dicere hic nihil attinet, qui fortasſis iam plura, quam pro inſtituti noſtri ratione par erat, in hanc rem diſputavimus. Eſt autem hic liber, cuius cauſa hæc ſcriptio ſuſcipitur, ex eorum numero, qui præter doctrinarum ubertatem, criminationibus in viros eruditos iactis abundant: quod etſi per ſe vitio dari non poſſit, habet tamen apud bonos omnes gratiam, ſi illius famæ & meritis parcatur, cui haud dubie omnis propemodum cavea eruditorum aſſurgit. Fac enim in nonnullis lapſum eſſe illuſtriſſ. *Marchionem Maffeium*, quod tamen æque minus certum eſſe videtur, quam id, de quo diſceptatur: acerbitati tamen verborum eruditisſimus huius libri Auctor temperare debuiſſet. Si enim diverſum ſentientem in re obſcura, difficili, & lubrica, in qua, ſi partes omnes diligentisſime perſcrutatus fueris, præter veri ſpeciem, & aſſenſionis titubationem, nihil effeceris, ita premere ſoles, quis prohibebit illum, quin te eodem exemplo deceptum quandoque, & infirmum humana æſtimatione irrideat, quod ſane

Digitized by Google

Chryſippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique ſenex vicinus Hymetto.

Multo minus virum gravem decet, ira, odio, & invidia adſcribendum compelli, quarum animi perturbationum ſuſpicionem conflare videntur rumores ad nos perlati, de perpetuis inimicitiis inter ill. Marchionem & alios eius ſimiles in Italia viros, quos Auctorem huius libri ſtimulaſſe ferunt, ut ill. *Maffei* aliquot ſcripta ſub examen vocaret. Haud difficulter precibus tranſalpinorum morem geſſiſſe noſtrum aiunt, quem ſive domeſticus livor, ſive decus ſocietatis bonarum litterarum Pariſienſis, evulgandæ ſupellectilis antiquariæ laudem ab extero homine ſibi præreptam diu ægre ferentis, ſua ſponte armavit. Eam ob cauſam, cum ſibi perſuaderet eruditisſimus Auctor, neminem vel acutius vel incorruptius de ſuis veterum monumentorum interpretationibus iudicaturum eſſe, quam *Academiae inſcriptionum* ſocios, illuſtrem hunc ſenatum exiſtimavit dignum, cui librum ſuum, velut in tutelam daret. Quos viros ſi cauſæ ſuæ cognitores etiam non conſtituiſſet, tanta tamen eſt noſtri doctrina, rerumque antiquarum cognitio, ut neſciamus, an peritiorem vetuſtatis indagatorem, doctioremque nominis ſui vindicem & propugnatorem eo invenerint Galli. Quis enim non novit *Iacobi Martinii* de antiquitatibus Francicis merita? Atqui hunc eſſe libri noſtri Auctorem, non vanis rationibus inducimur, ut credamus. Neque enim dictio, neque ſententiarum, quæ ſubiacent verbis, ubertas, a priſtinis eius libris abludit. Immo diſertis verbis nomen ſuum profiteri nobis viſus eſt, quando in *Praefatione* eruditisſima, pluribus ſe de *Druidum* antiquitate, ingenio, & moribus, alibi diſputaſſe ait; quod factum non ſine quadam recordationis voluptate meminimus in *Antiquitatibus* eius *Gallicis*, (Antiquités des Gaulois) ſ. *Celticis*, ubi ex inſtituto hoc argumentum perſecutus eſt.

Etiamſi vero multa in promtu haberemus, defenſioni cauſæ *Maffeianae* nonnihil profutura: religioni tamen nobis ducimus, iudicium noſtrum interponere, quando omnia leviter, & velut in tranſcurſu dicere, inſtitutæ ſcriptionis ratio iubet.

Sive

Sive enim partes doctisſimi *Martinii* ſequare, quoniam in multis rebus obſcuris tenebras diſpulit, multa dixit ſubtiliter & dialectice, multa quoque ex interiori litterarum diſciplina admiſcuit, intemperantis tamen eſſe arbitramur, ſcribere, quod occultare quandoque honeſtisſimum cenſetur: ſive ill. *Maffeii* interpretationes in omnibus adprobes, quam rem inceptes, vide. Tam veri enim cupidum fuiſſe illuſtr. *Marchionem* ſcito, ut ambitioſam falſi defenſionem, benevolentiæ aucupandæ gratia factam, ipſe noluerit. Magnum præterea eſt efficere, ut quis intelligat, vindicias noſtras tantum ponderis apud viros eruditos habituras eſſe, quam ſuam ipſius defenſionem. Nemo enim ignorat, quæ ſit & quanta in his quæſtionibus ſubtilitas, quam ſint multa ingenioſe, & lubrica ſæpe argumentorum concluſione explicanda, quam argute de quibusdam veterum monumentis diſſerendum. In quo litterarum genere cum illuſtr. *Maffeius* non mediocriter verſatus fuerit, nulli dubitamus, quin reperiatur monſtraturus aliquando, eo diſputatis contra ill. Virum concedi quid poſſit, aut quid negari. Ne vero Lectores noſtros fugiat, quibus potiſſimum *Maffei* libris dicam Auctor noſter ſcripſerit, tenendum eſt, quod aliunde iam conſtat, illuſtriſſ. *Marchionem* ante annos complures in Galliam iter feciſſe, vel quia mos eſt, vel quia multas ibi antiquorum monumentorum reliquias ſe inventurum eſſe ominabatur. Feliciter ingreſſo Galliam, peragrantique nobiliſſimas illius regni urbes, tanta titulorum veterum multitudo ſe offerebat, ut non modo antea iam promulgatos ſolerter recognoſcendi, vel nondum editos deſcribendi, cupiditate incenderetur, ſed etiam alios velut in ſocietatem fructus ex itinere percepti vocare in animum induceret. Quare ad celeberrimos quoſque aliarum terrarum viros litteras dedit, in quibus vel ſolas marmorum inſcriptiones, numorumque typos, bona fide retulit, vel aliorum percunctando ſententiam, obſcuriores plerumque titulos candide, & probabiliter, ut ſolebat, interpretatus eſt. Has epiſtolas, ſive latine, ſive vernacula lingua, ſive Gallico idiomate conſcriptas, iunctim *Lutetiae Pariſiorum* a. 1733. edidit; quam editionem poſtero anno

Digitized by Google

Veronenſes repetierunt, cui exemplo quoque in his Actis noſtris 1736. menſ. Iul. p. 298. locum dedimus. Illis igitur Galliæ antiquitatibus ubique fere Auctor noſter refragatur. Inprimis diſplicent ei, quæ verbi cauſa de *menſibus Aegyptiorum*, de formula *ſub Aſcia dedicare*, de *deo Mithra*, & de *cultu deorum inferorum*, ibi diſputaverat ill. *Marchio*. Alter libellus, quem in principio ſtatim confutandum ſibi ſumſit Auctor noſter, eſt de *religionibus gentilium ſ. idololatrarum in ſummo mortis articulo conſtitutorum*, cui olim elucubrando marmor quoddam, in Palatio Regis Chriſtianiſſimi aſſervatum, occaſionem præbuerat. Editus eſt Pariſiis 1736. ſed locupletior poſtea, *obſervationum litterariarum* Tomo I. ab illuſtr. Maffeio Veronæ 1737. 8. evulgari coepto, acceſſit. Inde factum, ut non iſtius modo libri, ſed marmoreæ quoque tabulæ ſpeciem depingeremus in Act. Erudit. 1740. menſ. Ian. p. 13. Tertius eſt, nova operum Hieronymi Stridonenſis, in Tomos X. diſtributorum, editio, non tam labore & ſtudio Maffei abſoluta, quam iudicio eiusdem, conſiliis, animadverſionibus & ope, perfecta. *Dominicus* enim *Vallarſius*, Veronenſis Presbyter, vir Ebraicarum græcarumque litterarum ſtudiis adprime innutritus, id ſibi negotium dari credidit, ut poſt *Martianayum*, & alios Franciæ viros doctos, Hieronymum denuo recognoſceret, plurima eiusdem loca mendoſa ex codicibus manu exaratis reſtitueret, nodoſque, vel ſuo ingenio, vel conquirendo aliunde auxilia, ſolveret. Hæc igitur editio ſimul ac lucem vidit, dici non poteſt, quam contemtibilis viſa ſit Francis quibusdam: ſive, quod nonnulli ſocietatis Benedictinæ S. Mauri aſſeclæ hac de re ſubtilius rectiusque iudicare ſe poſſe ſibi perſuadebant; ſive quod plerisque Gallorum hodie, quicquid ab alia gente proficiſcitur, adunco ſuſpendere naſo volupe eſt. Interim, ſi fides haberi debet noſtri cenſoris teſtimonio, ipſam enim Hieronymi editionem nondum vidimus, doctiſſ. *Vallarſium* non uſquequaque in perveſtiganda Hieronymi dictorum ſententia ſolertem fuiſſe, nec ubique rem acu tetigiſſe, diffitendum haud erit. Quicquid ſit, nihil tamen poteſt eſſe iniquius, quam culpam

edi-

editoris in ſummam *Maffeii* invidiam rapere. Sed ſatis iam de his, quæ ad huius controverſiæ originem & cauſas generatim ſpectare videbantur, & quæ ante noſſe intererat, quam ipſius libri deſcribendi periculum faceremus.

Videmus alias ſæpe eiuſmodi libros, quibus vel litem alteri intendimus, vel dirimere eam, & iniurias declinare ſolemus, propterea vulgo contemni, quod maxima pars illorum, vel inferendis iniuriis, vel propulſandis impenditur, ceterum præter maledicta nihil ex iis diſci poſſe arbitrantur multi. Sed bona illorum venia dixerim, falſum non raro id eſſe, quod ſumitur. Si enim *Scioppium, Scaligerum, Heinſium, Salmaſium, Gronovium, Perizonium, Bentleium, Burmannum,* attente legerit quiſpiam, de nobiliſſimis cognituque maxime neceſſariis quæſtionibus, cum altercarentur inter ſe, diſſeruiſſe cognoverit. Ex horum numero noſter eſt liber, in tantum profecto laudandus, in quantum commendabilis argumentorum varietas, proba & docta antiquorum monumentorum, h. e. marmorum, numorum, gemmarum, ſignorum & anaglyphorum operum interpretatio, rerumque autem incognitarum ſollers perveſtigatio & traditio, intelligi poteſt. Non enim ſemper iraſcitur, non ubique ſecat & urit, non per omnem librum commotionibus animi indulget eruditiſſimus Auctor, ſed amaritudinem dictorum plurimarum rerum dulcedine miteſcit, & temperat. Operæ igitur pretium eſſe cenſemus, de ſingulis libri noſtri partibus ſigillatim videre. Totius operis diſtributio in partes nulla eſt. Verum, quæ ibi commode abeſſe poterat, a nobis Lectorum gratia deſcribetur. Conſtat quippe hæc præſtantiſſima diſperſarum ex omini antiquitate rerum collectio XXIV. capitibus, quorum unumquodque in ſuas quoque paragraphos diſpeſcitur. In primo demonſtrat *caerimoniarum funebrium apud veteres rationem*, inprimis quo pacto defunctos *conclamaverint* Romani: in 2. exponit *de Baccho:* in 3. *de Meſſeniorum reſtauratione:* in 4. *hiſtoriam Marſyae* tradit: in 5. formulam *ſub Aſcia dedicare* enodat: 6. eſt *de Druidibus:* 7. *de ſacris Deorum inferorum:* 8. *de religione Aegyptiorum:* 9. *de computatione*

tatione annorum apud Aegyptios: 10. *de deo Mithra:* 11. *de vera Sagigallorum ſpecie* adverſus *Deslandium:* 12. *de Sarcophagi cuiusdam Romani anaglypho opere:* 13. *de venere Epitragia:* 14. *de peculiari quadam figura Iſidis:* 15. *de Deo Pactolo:* 16. *de Rhodope:* 17. *de Iove Summano:* 18. *de nuptiis Romanorum:* 19. *de myſteriis Cereris:* 20. *de ludis in honorem Aeſculapii inſtitutis:* 21. *de Tigrane:* 22. *de Horoſcopo Auguſti:* 23. *animadverſiones complectitur in nuperam operum d. Hieronymi editionem Veronae factam:* tandem in 24. *de Aſtrologia iudiciaria* poſt *Iulium Firmicum* nonnulla diſſerit Auctor. Omnes hi profecto loci ſunt eiuſmodi, ut, ſi eos cum ingenio Cl. *Martinii* contendas, atque illud etiam cogites, nonnulla alibi fruſtra quæri, facile de toto libro poſſis iudicare. Vere dicere poſſumus, eſſe hunc librum incredibili raræ eruditionis copia refertum, adeoque omnibus litterarum elegantiorum cultoribus, inprimis artis antiquariæ ſtudioſis, commendandum. Verum quando non fieri poteſt, ut ex huiusmodi libris, quicquid utilium rerum continent, afferatur, hanc rationem tenebimus, ut ex nonnullis capitibus, ordine tamen partium ſervato, notatu digniſſima commemoremus. De Præfatione vero dicere hic nihil attinet, quoniam ſi ſententiam ſuam Auctor confirmavit, his novis tibicinibus facile carere poterimus; ſin ſua ipſe vineta cædit, tunc demum noſtrum erit, ſuo quodque loco collocare. Primum igitur locum occupat tabula marmorea, quam longe aliter, magiſque ex vero, quam illuſtr. *Maffeius*, explicaſſe ſibi viſus eſt doctiſſ. *Martinius*. Dedimus iam huius tabulæ imaginem in his ipſis Actis noſtris 1740. ad p. 20. menſ. Ian. quam identidem inſpicere licebit, ſi de duumvirorum illorum interpretatione diſſimili, in neutram partem propenſo animo, iudicare velimus. Oculos ſtatim noſtros in ſe rapit mulier in thoro iacens, capite reclinato ad ſiniſtram, quaſi reformidans acerbitatem mortis. Ad caput eius ſiſtitur infans flens, & convertens ſe ad aliam feminam ſedentem in ſella prope thorum, quæ capitis velamento moerorem aperte ſignificat. Pone hanc ſtat alia vigentis adhuc ætatis femina, armillis condeco-

Pag. 2.

decorata, veſtem ſuam lacerans, manuque ſua ad crines verſa dolorem indicat. Latus huius, ſive matronæ, ſive virginis, tegit alia quædam mulier ſiniſtram inſerens pallæ, quaſi pectus percuſſura, & ante eam genius conſpicitur tædam ſuam extinguens. Ad dextram feminæ ſedentis duo homines reperiuntur, quorum alter tubam, alter, cingulo togam conſtringente notabilis, cornu quoddam inflat. In medio thori loco ſtat infans, bracchio ſuo nixus crepidine lecti, & irretortis oculis reſpiciens defunctam, quaſi maxima iacturæ pars ad ſe pertineret. In eadem linea iuvenis apparet togatus, laureato capite, dextra lectum attingens, ſiniſtra ciſtulam quadratam cum operculo in acutum angulum deſinente portans. In imo thori loco, ideoque ad pedes defunctæ, duo rurſus togati ſuperveniunt, itidem laureati, quorum ad pedes focus conſpicitur, in quo vas, tantum fumi & vaporis emittens, ut operculum vaſculi ſuo propemodum loco moveat. Sub thoro effictus eſt ab artifice canis recubans, cum ſandaliis defunctæ. Hanc deſcriptionem ipſa tabula ſuggerit. Videamus quanam in re diſſentiant duumviri. Summa controverſiæ huc redit: 1.) illuſtr. *Maffeius* hanc feminam in thoro iacentem putat eſſe moribundam, (proſſima à morire); Cl. *Martinius* vero iam defunctam eſſe cenſet. 2.) Laureatos homines pro ſacerdotibus Neniæ accipit *Maffeius*, quos gentiles nominarint *Coronatos* κατ' ἐξοχήν: *Martinius* vero exiſtimat eſſe Libitinarios ſ. Pollinctores. 3.) Cornicines illos furoris cuiusdam & temulentiæ accuſat illuſtr. Maffeius, quod nihil inconvenientius eſſe credebat, quam ægrotis moleſtiam tanto ſonorum ſtrepitu creare; ſi tamen aliqua reddi ratio debeat, coniicere ſe, id propterea fieri, ut lemures & ſpectra pellerentur, quæ homines inquietare ſolerent: contra ea autem Celeb. *Martinius* in his figuris *conclamationis* ritum quærit. Ex eo ſtatim apparet, utramque interpretationem multis adhuc dubiis obnoxiam eſſe poſſe. Quis enim pro certo auſit definire, utrum mulier in thoro cubans, mortua, an moribunda dici debeat. A quo tamen fallaci & lubrico quæſtionis initio, omnes ducuntur rationum complexiones. Quare hac con-

 tro-

troverſiam mitius tractare debuerat Cel. Auctor, præcipue contra talem virum, quem ſuo merito inter præcipua Italiæ decora collocamus, cuius peccata, ſi quæ forte irrepſerant, tam acerbe exagitare fas non erat. Verum audiamus Cel. *Martinium*, qua via *Maffeium* reprehendat, & quomodo, interpretatione adverſarii ſui ſublata, ſuam corroboret. Ante vero, quam ordiamur eius rationes deſcribere, temperare nobis non poſſumus, quin promiſſi noſtri memores ea afferamus, quorum doctiſſ. Auctor in præfatione meminit. Non diffitetur, *Kirchmannum* & *Gutherum* multa ſcripſiſſe de *funeribus Romanorum*, neutrum tamen ſubtiliter ſatis & accurate rationem conclamandi defunctos expoſuiſſe: auctorem *Antiquitatum explicitarum* hunc ritum, ope marmoris cuiusdam, quod in manibus habuit, mirifice illuſtrare potuiſſe, niſi harum rerum imperitus fuiſſet. Obſtupefactum enim *Montefalconium* velut re inaudita ita pronuntiaſſe ſcribit Cl. *Martinius: quid hic ſibi vult ſenex ille coronatus? quid quaeſo hic repraeſentatur per tibicinem? Fortaſſis heros eſt unus ex maioribus Glyconis & Himerae, qui innocentem vitam degens iam abibat in campos Elyſios, & amorem erga Muſicam conſervare ſtudebat, cui per totam eius vitam deditus erat.*

Aſtuta certe, inquit Cl. Martinius, & antiquario digna oratio, qui *cornu* & *tibiam* eodem loco & numero habet, & amorem erga muſicam hac ratione in ſarcophago exprimi poſſe credit. In eosdem quoque errores ſæpiſſime ill. Maffeium incidiſſe haud diſſimulat, etiamſi uterque horum reliquos omnes ſapientia anteire ſomnietur. In ipſa vero quæſtionis
Pag. 3. tractatione probat Auctor, mulierem non poſſe eſſe moribundam, primo propter genium adſtantem & extinguentem tædam ſuam, quod ſignum manifeſto declaret, mortuam iam eſſe feminam: 2. ex aliorum monumentorum contentione poſſe comprobari, mortuis demum annulos detrahi, cuius rei Plinium teſtem excitat, ſed nullum hiſtoriæ naturalis neque librum neque caput, quod profecto ſi omiſſum ab eruditiſſ. Auctore non eſſet, ad veri ſpeciem multum conduceret. Perluſtravimus quidem huius rei gratia Caput I. Libri XXXIII.

qui

qui locus de annulis apud Plinium præcipuus, ſed formam huius rei fruſtra quæſivimus. Ceterum illuſtr. *Maffeius* crediderat, ex marmoris & anaglyphi operis elegantia nobilitatem dignitatemque feminæ illius poſſe colligi; quod tamen per ſe ſatis corruit, cum tituli ipſi apud Gruterum, & alios veterum epigrammatum collectores, ſatis abundeque demonſtrent, quo progreſſa ſit in conficiendis quandoque monumentis libertorum etiam & ſervorum liberalitas. Verum id rectius poterat colligi ex *aſtraba*, vel ſi dicere malis pedaneo ſellæ, quo genere nemini, præter ſummæ dignitatis viros & feminas, uti licebat: hinc etiam conſtat, Homerum ſuis heroibus ſemper eiuſmodi ſellas tribuiſſe. In §. 3. Auctor noſter rationes amplius occultare noluit, quare ill. Maffei diſſertationem refellere apud animum conſtituerit, primo, ut illuſtris illa femina, (*Caumontia* fortaſſis, ut ſuſpicamur, ad quam litteras aliquot ill. Maffeius in *Antiquit. Gallicis* dedit,) & reliqui eruditionis Maffeianæ admiratores in Gallia ſentirent, quanta cum ſuorum iniuria exteros magni facerent, cum adhuc plures intra Ilium Heroes ſint, qui palmam exteris præripiant. His expoſitis illuſtr. *Maffei* interpretationem in compendium mittit, eumque vituperat, quod neglecta hac muliere, quæ in ſella conſpiceretur, ſtatim ad tres laureatos homines provolans, in iis continuo ſacerdotum imaginem agnoverit, propter coronas, quibus ſemper ornatos fuiſſe ſacerdotes audiviſſet: quod quaſi aliud agendo demonſtraverit, ſacerdotes olim κατ' ἐξοχὴν *Coronatos* fuiſſe dictos, & ab his ſacerdotibus nomen ſuum haud dubie quatuor *Divos Coronatos*, quorum memoriam Pontificii quotannis recolunt, ſortitos eſſe. Quam omnino animadverſionem Cl. *Martinius* irridet, dicens, horum quatuor ſanctorum origines tam certo ad martyres referri poſſe, ut diſputatione non egeat. Cauſam erroris Maffeiani in eo quærit Cl. *Martinius*, quod ei ſolemne ſit, mores orientis cum occidentis ritibus confundere. Exploratum quidem eſſe concedit Auctor, fuiſſe in Aſia certum genus ſacerdotum, quos ϛεφανοφόρους adpellaverint, ſed longiſſime diverſos a Romanis ſacerdotibus ſimul oſtendit. Illos

Pag. 4. 5. 6.

Illos enim magiſtratum geſsiſſe, & per eosdem factam eſſe annorum computationem, quemadmodum Romani per conſules annos numeraverint. §. 4. novi erroris accuſat Auctor Maffeium, quod homines tibias inſlantes temeritatis cuiusdam (extravagance) reos fecerit, cum tamen ex hiſtoria ſatis conſtet, nihil hoc ritu apud Romanos fuiſſe uſitatius. Interea ut Lectoribus ſuis adſenſionem extorqueret, illico Maffeium, more docti cuiusdam Mathanaſii, multa *Theophraſti, Athenaei, A. Gellii, Virgilii, Auguſtini, Plinii, Tibulli, Iuvenalis*, teſtimonia compilaſſe, non eo conſilio, ut oſtenderet, quæ huius furoris tradi probabilis ratio poſſet, ſed ut magno conatu doceret, quod omnes noverint, veteres Muſicam quandoque adhibuiſſe ad leniendos morborum dolores, & incantationum vim frangendam. *Plinio* enim teſte, ut vult ill. Maffeius, æris ſonitum artibus magicis obſtare. Verum primo emendationem Maffeianam Plinii falſam eſſe, retur propter duas potiſſimum cauſas. Si enim tubicinem legi oporteret pro *tibicinem*, ſuo ſe gladio iugulare Maffeium inquit; quoniam præ ſtrepitu tubæ dea Nenia exaudire preces ſacerdotum non potuiſſet: deinde etiam finis negligeretur, propter quem tibicines magiſtratum præiviſſe dicitur apud Plinium. Neque illum locum de precibus ſacerdotum, ſed magiſtratuum intelligendum eſſe contendit Auctor noſter, utpote quibus ſolennibus precationibus tibiarum cantus eo conſilio adhibuerunt veteres, ne quid aliud exaudiretur, ne ad aliam rem, qui ſacris intererant, animum converterent, ſed ut omnes vocem præconis exaudirent, quæ profecto, ſi tubæ horridum murmur acceſſiſſet, acutiſſimo illo clangoris ſuſurro fracta & ſuppreſſa fuiſſet. Ut vero omne interpretationis Maffeianæ fundamentum penitus ſubvertat, locum hic ſacerdotes nullo modo habere poſſe arbitratur, propterea quod, ſi munere ſuo fungebantur, velati eſſe ſecundum Servium ad L. 3. Aeneid. debebant; deinde quod vel manus elevarent ad deos ſuperos, vel deprimerent ad deos inferos, neceſſe erat; tertio, quoniam nulli ſacerdotum licebat domum mortui intrare, niſi ſex diebus præterlapſis, inde ramum cupreſſi

Pag. 7. 8. 9. 12.

cupreſſi ante domus funeſtæ ianuam collocarunt veteres, ne ſacerdotes forte imprudentes talem ingrederentur domum; quarto, non fuit permiſſum ſacerdotibus, mortuos intueri, Pag. 13.
hinc elata fuiſſe funera, ne Pontifex, aut alius quiſpiam ſacerdos, obviam exequiis fieret. Auguſtus propterea Imperator velavit caput ſuum, cum oratione funebri Agrippam laudaret, ne tanquam Pontifex aſpiceret corpus funeſtum. Oſtendit porro Auctor noſter, Maffeii coniecturam de preci- 15.
bus ad Deam Neniam miſſis, nullis rationibus ſuſtentari. Nam cum elegantia marmoris ſatis demonſtret, hoc opus Auguſto Imperatore antiquius eſſe, facillime effici poſſe credit Auctor, cultum deæ Neniæ falſo hic ſumi, quoniam ante ſeculum III. Romanis hæc dea cognita non fuerit, nec ante Arnobium huius deæ mentionem ſcriptores iniecerint. Everſa igitur Maffei ſententia, iam ſuam ſtabilire allaborat §. 8. 18.
Primo enim originem tubarum in funere adhiberi ſolitarum ex Hygino, & conclamationis ritum ex Plinio, tanquam ex 19.
puriſſimo antiquitatum fonte, haurit. Per conclamationem autem non intelligit orationem illam præconis, qua rogo iam impoſitum, & crematum cadaver, compellabat: *vale: nos te* 20.
ordine, quo natura permiſerit, cuncti ſequemur; ſed eam, quæ ſtatim poſt mortem fiebat. §. 9. docet, qua ratione per ſe- 21.
ptem dies conclamaverint defunctos, ubi tamen omnia ſine idoneo Auctoris veteris teſtimonio dicuntur. Primo die, inquit Auctor, cornicines & tubicines ita mortuo adſtabant, ut cornua aures attingerent, adeoque ſonus perſtreperet totum corpus; ſecundo pectus nudabant mortui, ut eo facilius ſono cornuum ſpiritus, ſi qui forte ſupereſſet, refocillaretur. Per *Coronatos* intelligit *Libitinarios*, ob tres potiſſimum cau- 27.
ſas: 1. propter vaſculum appoſitum, ex quo vapor aquæ fortasſis calidæ & ferventis oriebatur, qua uti debebant ad lavandum corpus; atque hi propterea *Pollinctores* audiebant: 2. propter ciſtulam, quam unus ex iuvenibus illis ſecum affert, in qua haud dubie aromata, oleum, & aliæ res lavationi inſervientes incluſæ erant: 3. propter cornicinem & tubicinem, qui fortasſis Libitinariorum ſervi erant. Cur vero Libi- 29.

 tina-

Digitized by Google

tinariis corona laureata hic data ſit, quæ victoribus ſolum
propria fuit, quærere quis poſſet, cui Auctor noſter ex Pli-
nio L. 15. c. 30. reſpondet, *luſtrationibus lauream adhiberi*,
uſoſque his coronis Libitinarios eſſe, 1.) ne eorum adventus do-
micilio inauſpicatus eſſet: 2.) ne cadaveris tactione & lava-
tione ipſi pollucrentur: 3.) ut ſpectra pellerentur: 4) ut reme-
dio eſſent variis morborum generibus, v. c. Epilepſiæ, comi-
Pag. 34. tiali morbo, & aliis. Etiamſi vero Tertullianus Libitinarium
& ſacerdotem ſemper ita iunxerit, ut inde *Maffeii* adhuc con-
iecturam ſtare cuidam videri poſſet: tamen, quia adprobante
id Auctore noſtro, liberior Tertullianus eſſe ſolet in dictione,
formiſque & luminibus orationis intemperantius utitur, eius
auctoritatem magni in his rebus non facit Auctor. Nam Li-
bitinarius quidem καταχρηστικῶς ſacerdos dici poſſet, quo-
niam ſacerdotes & Libitinarii in re quadam conveniunt. Ut
enim veri ſacerdotes ſtatuas deorum purgabant, & minio co-
lorabant: ita etiam Pollinctores & Libitinarii cadaver aqua,
aromatibus, thure curabant. Miſſis iis, quæ §. 16. Auctor
noſter de Geniis contra Maffeium diſputat, perveniendum
nobis eſt ad alteram tabulam, quæ in eadem diſſertatione
Maffeii deſcripta fuerat. In hoc marmore putat Auctor
39. §. 17. ſolemnia Bacchi, quæ Orgia dicuntur, exhiberi; in quo
explicando rurſus ill. *Maffeium* hallucinari ſuſpicatur. Cum
enim omiſerit duas perſonas, quæ Minervam circumſtant,
nullo modo prætereundas, non potuiſſe fieri, quin recta de-
41. erraverit. Monſtrantur autem hic perſonæ quinque. Pri-
ma eſt Satyrus, tenens ſiniſtra tympanum, dextraque ſonum
edens, in quo inſtrumento feminas nonnunquam Etruſcas
luſiſſe, coniecerat ill. *Maffeius*. Altera perſona planipes eſt,
inſtrumentumque aliquod muſicum tenet, de quo duas inpri-
mis coniecturas affert Celeb. *Martinius:* primo hariolatur, illa
hominis figura depingi fortaſſis ſpeciem ſervi apud Petronium
Satyr. c. 69. *Nequiſſimus ſervus lucernam de ſinu fictilem pro-
tulit, & amplius ſemihora tubicines imitatus eſt.* Secundo in-
ſtrumentum ait eſſe æreum, cui inerant duo codones cum
duplici anſa, ut inverti poſſet, & hac ratione modo acutus,
modo

Digitized by Google

modo gravis edi ſonus. Quarta figura eſt Faunus, cuius humeris defluit pellis cervina, qui ſecundum ill. Maffeium duplicem tibiam, ſecundum *Martinium* vero *tibiam Phrygiam* inflat, quæ a Poetis *adunco* ſ. *flexo tibia cornu* dicitur. Quinta Pag. 44.
figura ſcabillum, (non ſcabillam, ut Cel. Martinius identidem 45.
ſcribit, notum enim eſt, dici in neutro tantum genere, rarius in maſculino,) ſeu crotali ſpeciem pedibus calcat Negat hic Cl. *Martinius* tale inſtrumentum ὑποπόδιον dici poſſe, ſed a Polluce κρουπέζιον nuncupari. Eo inſtrumento ſimul docet 46.
uſos eſſe Boeotios, poſtea Romanos, qui tamen Crupezia ſeu Scabilla alligare pedibus non ſolebant, ſed ſymphoniaci pedibus tantum ea feriebant, ita, ut quatuor folliculi, ſcabillis incluſi, & copulati invicem, certos ſonorum numeros ederent. 48.
Neque hic ab erroribus liberum fuiſſe ill. Maffeium contendit Auctor noſter, quod tali quoque inſtrumento inter ſaltandum veteres uſos eſſe crediderit, cum tamen locus Luciani de ſaltationibus abunde probet, Lacedæmonios ſemper inſidentes ſellæ luſiſſe. Cauſam denique, quare idem homo manus in coelum ſublatas iungat, apud Petronium latere in Satyr. c. 52. ſibi perſuadet Auctor noſter. Inquit enim ibi Arbiter: *credite mihi: cordacem nemo melius ducit. Atque ipſe erectis ſupra frontem manibus Syrum hiſtrionem exhibebat.*

Sed ut eſt hominum in opinando levitas & inconſtantia, ita etiam hic verum eſſe illud græcorum: Φροντίδες δεύτεραι κρείττονες προτέρων, cognoſcimus. Damnat enim Auctor noſter nonnulla in præfatione, quæ in libro ipſo ſcripſerat: nimirum paulo ante diximus, inſtrumentum, quod Satyrus tenet, lucernam Auctoris ſententia Petronianam videri; ſed diligentius hac de re cogitantem cum ratio tandem & contentio aliorum monumentorum in hanc potiſſimum ſententiam duxit, ut exiſtimaret, potius *Hydraulum* eſſe, quam lucernam, idque cognoſci ex tabula, a viro illuſtri, *Matthaeo Aegyptio*, Celeberrimo SCti de Bacchanalibus interprete, ſibi donata. Addit eodem in loco Athenæi verba ex Deipnoſophiſtis L. 4. p. 174. ubi non ſolum forma Hydrauli deſcribitur, ſed illius etiam Auctorem fuiſſe *Cteſi-*

bium

Pag. 51. *bium* Alexandrinum perhibetur. Ex hoc diverticulo redit Auctor noſter ad prius marmor, tandemque de cane ibi expreſſo, & ſoccis Romanorum, nonnulla exponit. Canes non propterea in marmoribus, ſtatuis, & ſarcophagis exhiberi putat Auctor, ut documentum & ſignum eſſent fidei; hoc enim nullo ſcriptoris teſtimonio probari poſſe exiſtimat: ſed ut artificis elegantia operi immortalitatem pareret, quod *Petronius* docet Satir. 71. *valde te rogo, ut ſecundum pedes ſtatuae meae catellam pingas .... ut mihi contingat tuo beneficio poſt mortem vivere.*

Satis diu capiti primo inhæſimus. Videamus reliqua. In
55. Capite II. novum quendam *Bacchum*, cognomine *Pſilam*, in ſigno æreo, Lugduni ante aliquot annos effoſſo, expreſſum, primus, ni fallimur, producit Auctor noſter. Geſtat autem Bacchus in dextra fruges cum foliis, ſiniſtra, ut videtur, Iynga, caput eius corona floribus conſerta, exornatum eſt. Hoc ſignum plurimi, vel pro Deo *Como*, vel pro Cupidine acceperunt, quemadmodum fecit deſideratiſſ. *Montfauconius* in *Antiquités expliqueés*, quem propterea reprehendit Auctor noſter. Sed cum accideret aliquando, ut Auctor noſter in Pauſaniæ locum quendam delaberetur, vidit tandem, Bacchum ſub hac forma ab *Amyclis* cultum fuiſſe, & quoniam volitans pingitur, Pſilæ cognomen accepiſſe a ψίλον, quod alam græcis ſignificat. In ſiniſtra portare Iynga ſibi perſuadet Auctor, quod quidem avis genus per motacillam plerique reddiderunt: ſed quoniam alias etiam Ἴυγξ græce κυναίδιον dicatur, colligit inde, anatis quoddam genus videri. Cur autem Baccho conſecrata ſit, facile ex eo conſtare, quoniam per Iynges illecebras amoris & cupidinum expreſſerint veteres, ſine Cerere autem & Baccho friguiſſe Venerem Poetas confiteri. Dextra tenet Bacchus varios arborum fructus, quos
62. veteres *Acrodrua* appellabant; atque his ficos quoque ineſſe non dubitat Auctor noſter, indeque intelligi, quare Bacchus Græcis *Sycites* dicatur.

In Capite III. explicat numum antiquum, in quo Meſſeniorum recuperatam libertatem tradi opinatur Auctor.

Ad-

Adverſa pars ipſum Epaminondam ſiſtit equo vehentem, dextra gladium vibrantem, & capita hoſtium proſternentem; averſae parti Dioſcurorum imagines tribuit Cel. *Martinius*, ad quorum pedes in extrema numi parte hae litterae conſpiciuntur: --ITOMA. Verum in huius numi explicatione nondum nobis ſatisfecit Cel. Auctor. Probare enim prius ex aliis monumentis debuiſſet, hunc eſſe vultum Epaminondae; ſecundo, ita quoque Dioſcurorum vultus in aliis veterum ſignis occurrere. Alter enim horum laureato capite equitat, quae non videtur eſſe imago Dioſcurorum; deſunt etiam pilei, quibus Dioſcurorum capita ſemper condecorata eſſe ſcimus; neque extra omne dubium poſitum eſt, verbis in extrema numi parte excuſis deſignari *Ithonem*, Theſſaliae urbem, quae Meſſeniis parebat. Si enim numus eſt in honorem Epaminondae cuſus, a Graecis fuit confectus, qui cur non potius ΙΘΩΜΗ ſcripſerint, quam -- ITOMA, perſpicere non poſſumus. In capite IV. Hiſtoria *Marſyae* ex ſigno quodam aereo, Lugduni itidem reperto, adhibitis Hygini, Lucani, Pauſaniae, & Diodori Siculi teſtimoniis, traditur. In capite V. de *ſepulcris ſub Aſcia* exponit Auctor, ubi profecto illuſtr. *Maffeium* acerbius, quam par erat, perſtrinxit. Primo enim reprehenditur in eo, quod ſine idonea ratione titulos veteres, antea iam evulgatos, denuo in Antiquitatibus Gallicis deſcripſerit; quod qua cauſa ſit factum, ſe nondum intelligere, niſi forte Maffeius iam editos eſſe ignoraverit. Novimus, id quoque vitium non ſemel a noſtris quoque hominibus illuſtr. *Maffeio* obiectum eſſe. Ferunt ſcilicet illuſtr. *Maffeium* eos perſaepe titulos pro ineditis venditaſſe, qui tamen vel apud *Sponium*, vel *Fletwoodum*, aut alios inſcriptionum collectores invenirentur. Sed ipſius *Maffeii* verbis haec facile iniuria propulſari poteſt. Ait enim p. 96. ed. Veronenſ. *non ineditas tantummodo, ut ceteroquin ſoleo, hic tibi Epigraphes congero, ſed praeſtantiores id genus quaſcunque in hoc itinere collegerim. Sunt enim quae inemendate prodierint, ſunt quas libri continent, qui communiter non ſunt ad manum.* quem locum de induſtria excerpſimus; cum ut defenderemus nomen illu-

Pag. 69.

76.

Yy ſtre

ſtre *Maſſeii*, tum vero etiam ut reſponderemus aliquantum Cel. Martinii cenſuræ, qui *Caſſianum* illud Maſſeio obvertit, quæſivitque cui bono recuderentur tituli, diu iam accuratius evulgati & lecti. Progreditur deinde Auctor noſter ad formulam ſub *Aſcia dedicare*, quæ tot modis a rerum antiquarum ſtudioſis explicata fuit, ut nuper doctiſſ. *Mazochius* integrum librum de hac ſententiarum varietate conſarcinare potuerit. Impugnat primo Auctor noſter Maſſeianam interpretationem, qui
Pag. 82. his verbis nihil aliud denotari cenſebat, niſi quod ſepulcrum modo artificum manibus exierit, nec ulli antea patuerit.
85. Poſtquam pauca de Aſciis & earum nominibus contra Maſſeium diſſeruerat Auctor noſter, ſuam demum profitetur ſententiam,
88. ſibique perſuadet, *dedicare* nihil aliud, præſertim Ciceronis ævo, denotaſſe, quam ritum conſecrandi: primo quia ſemper in Deorum Manium poteſtate & dominio ſepulcra
89. fuerint; tum quia ſine conſecratione ſepulcra dici ſacra non poſſint; porro quoniam nullo modo inter ſe differant *Conſecratio* & *Dedicatio*. Illuſtr. autem Maſſeii interpretationem ideo non tolerabilem eſſe autumat: 1. quia plerumque alii fuerint domini, qui ſepulcra ſtruxerint, alii qui conſecraverint. 2. quod domino vivente ſepulcrum exſtructum, poſt mortem demum fuerit conſecratum. Nova hic inter Martinium
97. & Maſſeium exorta eſt quæſtio, utrum feminæ potuerint dedicare ſub aſcia, quod negat Martinius, Maſſeius vero, ingenti numero inſcriptionum Lugdunenſium nixus, contendit omnino, mulieres quoque cum filiis & maritis ſuis ſub Aſcia dedicaſſe. Sed cel. Martinius ſubtiliter demonſtrat, tempora & caſus verborum & nominum ſibi nunquam conſtare,
98. v. c. ſi dictum fuerit, hæc vel illa poſuit, addi demum in alio tempore & caſu: hoc monumentum *ſub aſcia dedicatum eſt;* ex quo effici poſſe arbitratur Martinius, feminas quidem habuiſſe ius ponendi collocandique, ſed non conſecrandi, quod idem valere poſſe de ſervis credit, qui iure *dedicandi ſub Aſcia* deſtituti erant. Ut paucis rem abſolvamus, formula hæc Auctori noſtro videtur ſignificare, ſepulcrum *ita conſe-*
110. *crare Diis Manibus, ut is Aſcia ſit dignus, qui ſepulcrum violare auderet.*

In

Inde cuivis Sarcophago Aſciæ ſignum illatum, & per ἐυφημίαν violatoribus imprecationem factam eſſe. Hanc diſ- Pag. 122.
putationem ſequitur alia, de Druidibus Galliæ, cui elucubrandæ occaſionem dedit ſymplegma vetus, ſenem quendam iuveni ita nexum exhibens, ut ſenex collo iuvenis manus imponat, iuvenis vero thorace uſque ad genitalia indutus ſenem complectatur. Quo ſigno initiationis ſacrum innui contendit Auctor. Scilicet iuvenem ſeni obedientiam promittere; & quoniam diſciplinæ ſenis primum traderetur, nudum circa genitalia comparuiſſe iuvenem. Cum enim feminæ his ſacris ini- 130.
tiari non potuerint, caviſſe legibus Druides, ne quis nomen ſuum, niſi nudis genitalibus, apud ſenes profiteretur. Succedit iam deſcriptio *cultus Deorum inferorum, Epiſtolae XVIII.* 133
Antiquitat. Gallic. ill. Maffei oppoſita, ex qua notatu digniſſima ſeligeremus, niſi hæc repetere, cum aliarum rerum item bonarum copia, prohiberet, tum feſtinatio, ut ea perſequamur, quæ exorſi ſumus. Quare veniamus ad locum illuſtrem *de Religionibus Ægyptiorum*, quem adeo diligenter ab 144.
Auctore fortaſſis pertractatum non haberemus, niſi vaſculum a Siccardo ad Fleurianum ex Ægypto miſſum fuiſſet, hieroglyphicis undique litteris & figuris exornatum. Quatuor autem partibus illud diſtinguitur. Prima pars continet quædam ſigna Iſidis & Oſiridis. Præter ſiſtrum enim, ciſtulam Iſidis, ſcuticam, anſeres, plumas, pectinem, accipiter, ſpeculum, & ſceptrum conſpicitur. Altera pars ipſa ſolemnia Iſidis exhibet: videmus enim duas naves cum herba Loto. In tertia parte ipſa Iſis cernitur, ſepta undiquaque Loto, ex corpore eius progerminante, puerumque Mercurium lactans. Quarta pars Anubin cum duobus bobus oſtendit, per quos Apin & Mnevin ſignificari cenſet Auctor. In hoc argumento tam caute verſatus eſt cel. *Martinius*, ut nihil ſumſerit, niſi quod *Herodoti, Diodori Siculi, Plutarchi, Macrobii, Servii, Apuleii*, & aliorum, qui de myſteriis Ægyptiorum nonnulla memoriæ prodiderunt, teſtimoniis comprobari potuit. Quoniam vero annorum computatio ſacrarum rerum particula erat, operæ pretium eſſe duxit Cel. Auctor, acutius diligentiuſque, quam a multis factum erat,

Digitized by Google

Pag. 201. *Ægyptiorum diverſam rationem computandi annos* definire.
Neque hic cum illuſtr. *Maffeio* in gratiam redit, ſed quoniam
ille in Epiſtola VIII. Antiqu. Gall. p. 46. Veron. ed. merum
ſomnium eſſe contenderat, Ægyptios poſt Actiacam victo-
riam methodum numerandi Iulianam recepiſſe, miſſa com-
putatione & ordine temporum a maioribus tradito, monſtrat
ei ex loco Dionis L. 51. ubi dicitur *εἰς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν
τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι*, mandatum hoc Auguſti
non poſſe referri ad urbem Romam, utpote cuius parum in-
tererat numerare annos a capta urbe Alexandria, ſed utique
teneri hac lege tantum Ægyptios. Multa ſubinde diſſerit
Auctor noſter, *Cenſorini*, *Syncelli*, *Clementis Alexandrini*,
Theonis, & aliorum teſtimoniis adiutus, de principio compu-
tandi annos, de diſcrimine anni Iuliani & Ægyptiaci: quare his,
qui penitius has lautitias deguſtare volunt, auctores ſumus,
ut cum illis, quæ dicta ab Auctore in libro ipſo ſunt, con-
tendant rationes, quas in Præfatione idem doctiſſ. *Martinius*
contra *Petavium*, *Kircheri Oedipum*, & inprimis Averanii diſſer-
tationem de menſibus Ægyptiorum a pag. XX-XXXVIII. ſtu-
dioſe congeſſit. Properamus ad quæſtionem de Mithræ ſa-
231. cris, & *Deo Mithra*. In oppido Arelatenſi fruſtum marmo-
ris adſervatur, ubi Mithras tauro inſidet, pone eum duo ho-
mines mitra & veſte phrygia induti, tenent lampada, in-
fra taurum hydra & canis cernitur, ſuper antrum vero qua-
drigæ ſolis adparent. Quod monumentum cum ſibi illuſtran-
dum ſumeret Maffeius, haud difficulter ex Serpentis & Zo-
diaci ſigno Mithram ſolem poſſe cognoſci dixit. Sed Cel.
232. *Martivius* denuo *παραλογίζεσθαι Maffeium* criminatur: nam
ex *Macrobio*, *Æliano*, *Iulio Firmico*, *Porphyrio*, & *Euſebio* de-
monſtrari poſſe, ſerpentis imaginem non ad ſolem tantum,
ſed Lunam quoque trahi. Poſtea de ipſa Mithra verba fa-
cturus Auctor noſter, negat, Mithræ ſacra a Perſis ad Roma-
236. nos tranſiſſe, 1. quod Perſæ nulla templa, nullas ſtatuas in
honorem Deorum ſuorum poſuerint: incongruum enim
Perſis viſum eſſe, hos limitibus circumſcribere, quorum in-
finita eſſet vis & poteſtas: 2. quod veſtes, quibus Mithras
ami-

Digitized by Google

amiciri ſolet, nunquam fuerint Perſicæ, ſed Phrygiæ. Deinde exponitur, per Mithram intelligi apud Perſas ſolem deficientem, & obſcuratum Lunæ interceſſione: propterea intra antrum coli. *Eſt enim in ſpelaeo Perſico habitu, Leonis vultu cum Tiara, utriſque manibus bovis cornua comprimens*, quemadmodum Luctatius Scholiaſtes Statii loquitur. Fabulati præterea ſunt veteres, Mithram ex lapide naſci, cuius Pag. 243.
fabulæ hanc vim eſſe putat Auctor noſter, ut oſtenderent veteres, ignem e lapidibus pleriſque elici poſſe. Conſtat etiam, Mithram antiquitus a multis cultum eſſe tanquam boum abactorem: ſed tantum abeſſe dicit Cel. Auctor, ut hoc Perſæ crediderint, ut potius hæc de Mithra opinio piratis Ciliciæ tribuenda videatur, qui, ut furti & rapinarum aliquem fauto- 244.
rem tutoremque haberent, eiuſmodi de Deo Mithra commiſcebantur. Perſas vero non ſolum Deum, ſed Deam quoque Mithram coluiſſe, ex *Iulio Firmico* oſtendit Auctor: quæ 245.
triformi vultu, & monſtroſis circumdata ſerpentibus, pingitur, quibus notis ad mutationes Lunæ ac curſus obliquitatem reſpexerint. Innotuit hæc Dea reliquis gentibus ſub no- 247.
mine *Veneris Coeleſtis*, Aegyptiis vero *Atargadis* audiit; qua occaſione *Macrobium* notat Auctor, qui per *Atargadin* terram intellexerat. Cultores autem Mithræ nomina ſiderum & Planetarum ſibi tribuebant, quod cum ex *Porphyrio*, tum inprimis ex *Hieronymi* Epiſtola ad Ledam apparet. Quem quidem *Hieronymi* locum neminem intellexiſſe nobis perſuadet Auctor, præter R. P. *Martianayum*, editorem Hieronymi ope- 258.
rum, utpote qui primum viderit commemoratos illic planetas nomina Mithricolarum eſſe: *in antro enim Mithrae*, inquit Hieronymi doctiſſimus interpres, *erant ſymbola Aſtrorum & Planetarum atque ſimulacra conſequenter ſiderum ab Hieronymo recenſitorum.* Quæ verba Auctori Antiquitatum Gallicarum, materiam, copioſius de eodem argumento diſſerendi, ſuppeditaverunt; cuius etiam ipſius loci ſumma argumenta hic repetit noſter, eoque demum delabitur, ut plagii ambo *Hieronymi* editores, *Vallarſium* & *Maffeium*, accuſet. Ad huius criminis ſuſpiciones communiendas, teſtimonia neceſſa-

ceſſaria comparavit Auctor, & ut furtum illud facilius cognoſceretur, velut in tabula quadam ſua cum illorum verbis contendit. Utrum hæc ab Auctore licentius, an vere, divulgentur, noſtrum non eſt perquirere. Interim his accuſationibus maior obtrectatio, & contumelioſior, excogitari non poteſt. Reſtant adhuc quædam de ipſo titulo dicenda. Tauro inciſæ litteræ hæ ſunt, *Nama Sebeſio*. Qui ſenſus his verbis inſit,
Pag. 281. nondum liquet. Gruterus & Capaccius pro Perſicis venditant. Bulengerus, & Muratorius in notis ad Poema S. Paulini, legunt *Namae* ſ. *Nannae* pro Nama. Alii a græcorum *νᾶμα, ατος,* liquor, fons, & *σέβομαι* veneror, deducunt. *Philippus a Turre*, in diſſert. de Mithra, putat eſſe idem quod *Hamma* & *Semes* apud Ebræos, quoniam ex Epiphanio intelligatur, Hæreticos nomina ſideribus Ebræa intuliſſe. Huius ſententiam ſequi primo Auctor noſter videtur, eo tamen diſcrimine, ut Nama derivet a verbo מחה reſervavit, ciuſque præterito נמה; *Sebeſius* autem ex זבח Ebræorum: verum paulo poſt ita animum inducit, ut credat, quoniam ſacra Mithræ aut Perſica aut Phrygia fuerint, a Perſis quippe in Phrygiam translata, voces etiam *Nama Sebeſio* neceſſario ex harum linguarum fontibus hauriendas eſſe; etenim *Nama* apud Perſas & Medos ſignificare vitam & hiſtoriam, *Sebaſius* autem divinum denotare. Inde ad verum nos proxime acceſſuros eſſe ſperat Auctor, ſi per *Nama Sebeſio, divinam hiſtoriam*
294. (ſc. Mithræ) intelligamus. Succedit iam locus de *forma Sagi antiquorum Gallorum*, cui illuſtrando anſam dedit ſignum vetus lapidare, iam a Cl. *Deslandio* publici iuris factum. Huius *Deslandianae* interpretationis præcipuam partem hic inſeruit Auctor, cum ut oſtenderet, in multis peccaſſe virum doctum, tum ut veram ſagi Gallici ſpeciem ex veterum ſignis reſtitueret. Sed, quod prætereundum non videtur, Cl. noſtro Auctori, iisdem ſalibus ipſe *Deslandius* reſpondit in Epiſtola quadam gallica ad Abbatem . . . . ſcripta, quam *Obſerva-*
(Obſervat. *tionum ſuarum in Auctores recentiores* Tomo 22. p. 112.
ſur les écrits *Des fontainius* & *Granetus* inſeruerunt. In illis vindiciis ſua-
modernes.) det Clariſſ. *Martinio*, ne tantopere in poſterum de ſuis *Anti-*

quita-

quitatibus Gallicis glorietur, ſibi enim ſatis perſpectum eſſe, maximam bonarum rerum partem, *Antonii Goſſelini Hiſtoriae veterum Gallorum, Adriani Serieckii originibus Celticis & Belgicis, & El. Schedii libro de diis Germanorum*, deberi. Sed videbimur fortaſſe pæne nimis longi in commemorandis huius libri argumentis illuſtribus, etſi breves fuerimus, & multa omiſerimus. Lectores benevoli iam vident, quam acute docteque in confutando interpretandoque Celeb. Martinius verſatus ſit. Id ut magis elucefcat, ſumamus adhuc ſpeciminis loco Sectionem XVII. de Iove Summano, & XXIII. quæ animadverſionibus in nuperam Hieronymi editionem referta eſt. Neque tamen totas referre licebit, ſed maximam tantum partem. Quod ad *Iovem Summanum* attinet, certum eſt, neminem e recentioribus de hoc cognomine Iovis quicquam probabiliter ſcripſiſſe. Adſunt quidem nonnulla huius nominis veſtigia in *Cicerone*, *Varrone*, *Ovidio*, *Feſto*: eius naturam tamen nemo præter *Plinium* vel melius intellexit, vel aptius deſcripſit. Cicero tantum de eius ſtatua loquitur, quam templi Iovis Capitolini faſtigio deiecerat fulmen. *Ovidius* neſcire ſe, quis ſit *Summanus*, fatetur. *Feſtus* tantum nos docet, Iovem fulgurem & Summanum fere unum eundem eſſe. Sed Plinii locus, uti omnium clariſſimus, ita dignus eſt, qui hic a nobis repetatur: *Romani*, (inquit L. 2. c. 10.) *duo tantum ex iis* (ſc. Etruſcis Diis), *ſervavere: diurna attribuentes Iovi, nocturna Summano.* Pag. 333. Accedit Auguſtini de civit. Dei L. 4. c. 23. teſtimonium: *Romani veteres neſcio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis, quam Iovem, ad quem diurna fulmina pertinerent. Sed poſtquam Iovi templum inſigne ac ſublime conſtructum eſt, propter aedis dignitatem ſic ad eum multitudo confluxit, ut vix inveniatur, qui Summani nomen, quod audire iam non poteſt, ſe ſaltem legiſſe meminerit.* Quanquam autem *Martianus Capella*, in libro de nuptiis philolog. L. 2. c. 40. dicit *Summanum* eſſe Plutonem, quod ſit velut *Summus Manium*: nihilo tamen ſecius Auctor noſter hoc cognomen Iovis perſonæ vindicat, non ſolum propter triſulcum fulmen, ſed etiam propter alia Iovis inſignia, quæ in gemma

gemma hac opportune expreſſa, cùm Epigraphe *Iovi Summano*, L. B. videbunt. Veniamus iam ad *Animadverſiones Criticas* in editionem noviſſimam operum Hieronymi expromtas, quas ſecundo loco promiſimus ſub finem noſtræ expoſitionis in compendium redacturos eſſe. Eas qui legerit, mirabitur, his armis inter viros doctos pugnari, & pugnandum eſſe. Sed nemini poteſt eſſe dubium, quin inſignis & intolerabilis acerbitas Cl. *Martinium* commoverit, ut præter conſuetudinem humanitatis, quam vulgo in eius popularibus tantopere laudant, in *Vallarſium* & *Maſſeium* inveheretur. Primo enim damnat Vallarſij emendationes, ex ingenio tantum profectas, non Codicum MSC. auctoritate nixas; quod ſane peſſimo exemplo fieri conqueritur. Si enim hæc licentia emendandi in his quoque libris graſſari incipat, quos quæſo Patres aliquando nos habituros eſſe interrogat. Deinde, quoniam Vallarſius in primo Tomo Hieronymi Epiſtolam de Pſalterio ad Sophronium omiſerat, & in eadem, verba inprimis græca, quæ Martianayus conſtituit *ἀντι Φοινίκων τὰ*
Pag. 383. *βαΐα σύρουσι*, commutaverat in Ἀντιφιλονεικῶν κατασύρουσι, ipſam Epiſtolam, cum variis lectionibus trium Codicum Pariſienſium, deſcribendam curavit Auctor, in quibus ſibi perſuadet, ſe veram haud dubie illorum verborum lectionem reperiſſe. Legitur enim in quodam vetuſtiori Codice: ANΤΙΦΑΩΝ ΚΩΝΟΠΛΙΑ CIROYCIN, ex quo ingenioſe confecerit Bimardus Αντιφαων Κωνωπεία Σύρoισιν, quod cum Horatiano illo, in *ſilvam ne ligna feras*, egregie convenit, idemque eſt ac ſi diceres: *noctuas Athenas portare*, ac pro *Syribus Conopea facere.* Vallarſium præterea vehemen-
397. ter erraſſe in notis *ad Hieronymi Epiſtolam ad Aletam* monſtrat Cel. Auctor, quod Maſſeium forte ſecutus, putet, legi debere: *Heliodromo innitebantur;* cui profecto emendationi ſenſus popularis repugnet, quoniam Heliodromus ipſe ſit Zodiacus, repræſentari vero ſidera, non inniti Heliodromo poſſe, tirones norint. Alterum Vallarſii peccatum non cor-
401. rectione, ſed contemtu & irriſione dignum eſſe cenſet, quod ſcilicet duos *Eugipios* fecerit, unum qui *Excerpta Auguſtini* ſcripſe-

Digitized by Google

ſcripſerit tempore Caſſiodori, alterum, qui alio tempore floruerit. Neminem denique Cel. Auctor adeo litterarum græcarum expertem fore exiſtimat, quin ſua ſponte intelligat, novam hanc d. Hieronymi editionem multis inutilibus & ſuperfluis obſervationibus oneratam eſſe, neque a Codicibus MSC. quos contuliſſe editores græca fide gloriarentur, commendabilem videri. quod ut evidentius Lectoribus adprobare poſſet, unam Epiſtolam Hieronymi ad Aletam ſelegit, eamque cum quatuor antiquiſſimis Codicibus Monaſterii Benedictinorum d. Mauri, qua potuit ſedulitate, contulit. Ac vellemus profecto, commode fieri poſſet, ut quam verum ſit, quod dicit, commemorandis emendationibus & animadverſionibus demonſtraremus. Sed quia Epiſtola primo omnis deſcribenda, deinde plura dicenda eſſent, quam inſtituti ratio patitur, viros doctos ad ipſum librum amandamus, qui, ſi hoc ſatis eſt dixiſſe, expectationem de illo noſtram longiſſime ſuperavit. Pag. 414.

CHRISTIANI HENRICI ECKHARDI, I. V. D. Societatis lat. ephori, Introductio in rem diplomaticam, præcipue germanicam, in qua regulæ idoneæ vera diplomata a falſis ſecernendi exponuntur, & luculentis exemplis illuſtrantur: in uſum hiſtoriæ ac iuris publici & privati Germaniæ.

Ienæ, 1742. ex officina Ritteria. 4.
1 Alph. 8. pl.

Non ſine eximio patriæ communis emolumento, & numi Germanorum a *Koehlero, Seelaendero*, atque aliis auctoribus ſunt explicati, & tabularia publica ab aliis velut aperiuntur: his nimirum fulcris, præter terrarum ac temporum deſcriptionem, hiſtoria nititur univerſa. Quæ cum ita ſint, non ſane poſſumus, quin conſultiſſimi Eckhardi propoſitum laudemus, qui operæ pretium duxit, quæ diplomatum de fide ſunt diſputata, idoneis præceptis complecti, atque elegantiſſima ſcriptionis forma proponere. Vel ipſa,

 quam

Digitized by Google

quam cum litteris elegantioribus amabat, ac fovebat iuris prudentia, ad hoc ipſum eum incitavit. Non enim ignorabat, quum ferveat ubique Germanici iuris, tum publici tum privati, ſtudium, nihil magis, quam eiuſmodi monimenta ſtudioſæ iuventuti commendari ſolere, ut ex ipſis fontibus hauriret pleniorem iuris ſcientiam, cum tamen normam non habeat, ut, quid diſtent æra lupinis, cognoſcere poſſet. Sed, cum hoc nec rite explicari, nec ſatis intelligi poſſe videatur, niſi generatim & carptim perſtrictis iis, quæ diplomata in univerſum ſpectant: poſt prooemium de neceſſitate, utilitate, & ſubſidiis rei diplomaticæ, *Sectione prima* de arte ipſa diſſeruit, & quod eius fundamentum ſit, accuratius demonſtravit. Nimirum, recte colligit, genuinis diplomatibus notas quasdam ineſſe debere, quibus a falſis ſecernantur; easdemque ex ſimilitudine plurium exemplorum deduci. Hinc ea quoque expendenda voluit, quæ ad antiquitatem & auctoritatem eiusmodi ſcriptorum pertinere videntur, quæque de ſatis ac materia illorum diligenter ſunt litteris conſignata, vel obſervata a doctiſſimis viris. Quibus capitibus tertium adiungitur, de materia in qua, & ex qua, ſcripta ſunt diplomata. Præterea cum res diplomatica duobus quaſi momentis, conſideratione externorum atque internorum, abſolvatur: ſingulatim ea exponuntur in poſterioribus ſectionibus. Altera nimirum tribus capitibus agit de lingua & ſcriptura diplomatum, de monogrammatibus, de ſigillis: altera, ſeptem capitibus, de invocatione numinis divini diplomatibus præmiſſa, de nominibus & titulis regum atque imperatorum Germ. in diplomatibus, de contextu diplomatum, itemque imprecationibus, de clauſula, ſubſcriptione & ſubſignatione, de archicancellariis & cancellariis, eorumque ſubſcriptionibus, de adnotationibus temporum, indictionibus, aliisque notis temporum deſignationis, ac demum de locis, palatiis, villis publicis & curtibus regiis. Sed diſtinctius de nonnullis partibus agemus. In prooemio multiplicia, quod commendat cel. Auctor ſtudii, emolumenta & auxilia nominantur, & ubique fere non nihil memorabile notatur. Ita inter uſus diplomatum

is

is, quem in iure germanico privato exhibent, attenditur. Pag. 14.
Apud Germanos v. c. dotem non uxor marito, ſed uxori maritus adferebat, teſte *Tacito, de moribus Germanorum c. 18.* ita quoque luculenter diplomata vetera docent, ritum hunc diu in Germania ſervatum fuiſſe. Tale eſt diploma *Heinrici Aucupis* apud *Maderum* in *antiquitt. Brunſuic. p. 102.* & *Kettnerum in antiquitt. Quedlinburgenſ. n. 1. Ottonis II.* apud *Leuckfeld. antiqq. Poeldenſ. p. 208. Richardi,* Ducis Normannorum, ap. *Luc. d' Achery T. VII. ſpicil. p. 204.* ut alia exempla taceamus, quæ habet *Leibnitius* in *cod. iur. gent. diplom. T. I.* & *Miraeus* in *codice donationum piarum c. 99. p. 106.* in quibus omnibus 15.
mariti uxoribus dotem conſtituunt. Tanto maioris quoque pretii illa ſunt, quod clariſſime loquuntur, quæ tropica ſenſim inſtituerit ius rom. Videmus enim, dotem illam maritalem, ſeu dotalitium, quod cum illa convenit, *donationem propter nuptias* vocari, vid. *Gundling de emt. uxor. c. 2. §. 23.* luculentiſſimo argumento, accommodatum hoc eſſe iuris rom. principiis, ex quibus non dotis, ſed donationis propter nuptias, nomen illi, quod maritus uxori offert, convenit. Ita omnia iuris rom. laciniis infecta ſunt, & tenebræ obductæ nobiliſſimæ de dote doctrinæ, quæ vix ſibi conſtat, niſi conſulas diplomata, quorum luminibus argumentum hoc illuſtrarunt, *Io Petr. de Ludewig,* in diſſ. *de dote mariti, & Iuſtus Henning Boehmerus* in diſſ. *de ſecundis nuptiis perſonar. illuſtr.* Præterea diplomata luculenter definiunt, quomodo dotalitia conſtituta ſint, vel generatim, nulla coniuncta temporis mentione, vel ad dies vitæ, vel ad viduitatis ſtatum reſtricta, qualia exempla permulta collegit *Io. Ge. Eſtor* in diſſ. *an dotalit. ceſſet propter ſecund. nupt. c. 4. ſq.* Inter regulas, quas ſectio prima tradit, facile primaria eſt: *quae* 27.
in omnibus partibus internis & externis conſpirant diplomata, vera & legitima habeantur; quae vero ab illis diſcrepant, commentitiis accenſenda ſunt, donec contrarium probetur. Sectione II. eiusdemque ſtatim *capite I.* variæ occurrunt notabiles adnotationes, in quibus non pauca lectu digna, de ratione barbaris ſæculis uſitata ſcribendi, interpungendi, litteras mutandi,

Digitized by Google

tandi, augendi, imminuendi, perque compendia ſcribendi, proponuntur. Forſitan eodem referri poſſunt monogrammata ſeu characteres, ſingulas nominis litteras, vario modo
Pag. 63. ſq. diſpoſitas, exprimentes. Dividuntur autem iſta in cruciformia & quadriformia. In illis medius pro centro rhombus ſupplet locum vocalium in ipſo nomine occurrentium, reliquæ litteræ conſonæ ſingulæ ſunt expreſſæ, & arbitrario ordine
65. diſpoſitæ. Poſteriora conſtant littera fundamentali quadrata, cui reliquæ litteræ vel innectuntur, vel inſeruntur, vel per contignationem adduntur. Ad ſigilla quod adtinet, tres
100. præſertim regulas addit Eckhardus: I. ſigilla quo antiquiora ſunt, eo minus habent elegantiæ, & omnia medii ævi ſigilla ſunt ſimpliciſſima: II. ſigilla Carolingorum, Saxonicorum, & Franconicorum, alius coloris quam candidi ceræ impreſſa, *νοθείας* vitio non carent: III. ſuſpecta eſt antiqui-
127. tas ſigilli, cuius cera adhuc mollis & pinguis videtur. In *ſectione tertia* notatu nobis digna viſa eſt *capiti V.* incluſa de archicancellariis, archicapellanis, & cancellariis tractatio. Dicebantur ita, qui deſcribendis regis chartis & præceptis vacabant. Apud Romanos, cancellarii munus non magnæ dignitatis fuiſſe vel inde patet, quod nil foedius viſum ſit Flavio Vopiſco in vita Carini c. 1, quam præfectum urbi, qui principem eius ætate locum tenebat, ex cancellariis ab hoc Imperatore creatum. Sed iam Sæc. V. *Caſſiodorus L. XI. varior. c. VI.* de cancellario ita loquitur: *per te praeſentandus agnoſcat, per te noſtris auribus deſiderium ſupplicis innoteſcat: iuſſa noſtra ſine venalitatis ſtudio expedias, ut noſtram poſſis commendare iuſtitiam.* Apud Francos notariorum munere fungebantur; nimirum ſcribebant diplomata, eaque in ſcriniis
128. regiis reponebant, conf. *Io. Wilh. de Goebel* diſſ. *de capellanis imp. & cancellariis p. 23. ſq.* Dicuntur autem cancellarii non a *cancellando,* quod ius illis eſſet inſpiciendi libellos, & iniquis lituras inducendi, quæ eſt ſententia *Budaei, Turnebi* in *adverſ. XI, 25.* & aliorum, ſed a *cancellis*; propterea quod inter illos ſe continerent, ut populus, cui aures dabant, ab ingreſſu prohiberetur. Illi autem muneri non niſi illuſtres

ſtres

Digitized by Google

ſtres, ac ſummo loco nati, adhibebantur. Quemadmodum Pag. 129.
vero Reges Francorum plures habuerunt cancellarios: ita quoque diplomata a pluribus notariis ſive cancellariis ſubſcripta reperiuntur. Iidem Meroveidarum ſævo vulgo Referendarii dicebantur, quorum inter Palatinos primaria erat dignitas. Cuſtodiebant illi anulos regios, itemque diplomatibus ſubſcribebant. In referendariorum locum, Carolingis imperantibus, cancellarii ſucceſſerunt, qui diplomata illorum recognoverunt. Capellani dicuntur a *capa* ſeu *capella*, veſtis ſpecie, quo nomine poſtea S. Martini veſtis κατ' ἐξοχὴν nominata eſt. Hæc in palatio regio, una cum ceteris ſanctorum reliquiis, a Francis ſumma religione, in uſum ſacramentorum, adſervabatur: unde & ſacrarum capellarum nomen deſcendit. Hæc λείψανα 130.
cuſtodientes dicebantur initio capellani, cuſtodes, cuſtodes palatii. Ad hoc munus etiam ipſi rei ſacræ antiſtites evehebantur, in augmentum dignitatis. Cum vero apud Francos diplomata in capellis regiis conderentur, ipſa cancellaria capella dicebatur. Summus cancellarius audiebat præterea notarius ſum- 131.
mus, abſolute notarius, & cancellarius, item archicancellarius, nec minus ſub Carolingicis Archicapellanus, & Apocriſiarius: quæ munera erant interdum diverſa, licet ſubinde in una perſona coniungerentur; attamen, apud Germanos, idem ſemper officium fuit, vid. *Bernh. a Mallinkrot de archicancellariis* 133.
p. 227. & 235. in collectis *Wenckeri.* Ceteroquin ab *Heinrici III.* imp. tempore, archicancellarii nomen magis & maxime placuit, v. *de Goebel* de capellanis imp. Qua id dein- 134.
ceps primarii antiſtites, Moguntinus, Colonienſis, ac Trevirenſis, adhibuerint ratione, & hic, & a *Georg. Franc. Helmershauſen,* in diſſ. *de archicancellariis S. R. I.* Erfordiæ 1740. habita exponitur. Archicancellarii, ſi in aula imperatoria non præ- 141.
ſentes, aut aliis negotiis diſtracti eſſent, vices ſuas delegare ſolebant aliis, qui loco illorum rebus expediendis præeſſent, & ſubſcribendi officio fungerentur. Uſitatum hoc iam fuit circa confinia ſæc. VII. & VIII. Eodem pariter tempore, quo 142.
vicecancellarii orti ſunt, archicancellarii nomen, ad diſtinctionem a vicario cancellario, in diplomatibus uſurpatum eſt.

Digitized by Google

Sed nomen vicecancellarii recentius eſt, & a *Sigismundi* Imp. tempore primum auditum; vid. *Iuſtus Henning. Boehmer* in diſſ. *de epiſcopo vicecancellario imp.* Olim iidem dicebantur ſimpliciter cancellarii, aut notarii. Quorum, ut & archicancellariorum medii ævi, indicem addit noſter copioſum

Pag. 174. & luculentum. Aliud eſt inſigne quod exponitur momen-

ſqq. tum, de chronologia in diplomatibus obſervata, quæ ad tria capita revocatur. Conſiſtit enim tum in adpoſitione anni & diei, tum in adnotatione indictionis, tum in adiectione

179. annorum regni & imperii. Ex Merovingicorum regum diplomatibus annos incarnationis exſulare, extra omnem dubitationem eſt poſitum, & luculenter hoc probavit *Nic. Zylleſius* in *defenſ. abbat. S. Maximini P. II. p. 59.* Nec alius mos fuit ſecundæ ſtirpis regum, niſi quod eorum diplomata, quæ rem publicam maxime ſpectant, cum annis regni adiunctos habeant annos incarnationis. Errat igitur *Salomo van Til* in diſſ. *de annis Chriſti, phoſphoro prophetico* adnexa, *P. I. c. 1.* qui ſub *Eugenii IV.* pontificatu anno 1431. demum hanc computandi rationem inva-

180. luiſſe contendit. Modus hic tempore omnino *Caroli M.* non incognitus fuit, quod vel conſtitutiones in ſynodis factæ ſatis demonſtrant, vid. initium Synodi Germanicæ Dingolfingenſis, anno 1272. habitæ apud *Gewoldum in addit. ad Hundii Metropol. T. I. p. 450.* Illud vero certiſſimum eſt, *Carolum Craſſum* magis firmaſſe uſum annorum Chriſti in diplomatibus, vagum antea & inconſtantem, eumque certiorem ab eius ætate invaluiſſe, & ad poſteriores Germanorum Reges

181. propagatum eſſe. Indictionum tres notandæ ſunt ſpecies: Conſtantinopolitana ſeu Græca, quæ a Calendis Septembris inchoatur; Conſtantiniana, quæ ab 8 Cal. Octobris; & Pontificia ſeu Romana, quæ a Calendis Ianuarii incipit. Ex his *Conſtantiniana* potiſſimum ab Imperatoribus uſu ſervata eſt, ideoque etiam Cæſarea dicitur. Eandem quoque *Iuſtinianus*

184. Imp. inſtrumentis inſeri iuſſit, per *Nov. XLVII. c. 1.* Annos denique regni adſcribendi conſuetudinem, ex numis in diplomata tranſiiſſe, minime dubitat noſter. Præterea etiam dominici dies

ab

Digitized by Google

ab initiis dictorum ſacrorum, quibus tunc cultus divinus incipiebatur, dicti ſæpius adnotantur, nec minus dies ſecundum nomina Sanctorum indicati. Immortales hic laudes meruit *Ioannes du Mont*, L. B. *de Carlſcron*, quod in ſplendidiſſimo opere, quod inſcribitur *Corps diplomatique du droit des gens*, ſecundum iuſtam temporum ſeriem, diplomata digerere, eorumque data cum æra vulgari componere ſtuduerit: neque tamen ſemel excidit auſis. Ne quis autem hic in poſterum offendat, & ut rei diplomaticæ ſtudioſis longæ inquiſitionis labor abſit, ſalebroſum & obſitum ſpinis iter ingreſſus eſt *Io. Iac. Rabe*, in *calendario feſtorum dierumque mobilium, in uſum rei diplomaticae*, Onoldi 1725. 4. edito, cuius inſtitutum quam maxime commendatur a noſtro. Hac ut in parte facile nos habet conſentientes, ita iidem non poſſumus, quin lugeamus præmaturum Auctoris præclari, qui paullo ante Eloquentiæ Profeſſor in Academia Ienenſi conſtitutus fuerat, obitum; qui egregia multa, orbi olim erudito exhibenda, Cl. Eckhardi opera, uno quaſi ictu intervertit.

P. 197 ſq. 200.

A Natural Hiſtory of Birds

h. e.

HISTORIA NATURALIS AVIUM, QUARUM plurimae adbuc nec iconibus expreſſae, nec deſcriptae fuerunt, aliae ex obſcuris & brevioribus deſcriptionibus, ſine iconiſmis, vel ex iconibus male delineatis parum cognitae ſunt; continens icones ſexaginta avium, & duorum animalium quadrupedum, ad vivum delineatas & coloribus ornatas, cum deſcriptionibus accuratis, per GEORGIUM EDWARDUM.

Londini, 1743. impenſis Auctoris, in Collegio Medicorum. fol. min. pl. 18. Tab. æri inciſæ 52.

Tantus eſt Hiſtoriæ naturalis ambitus, ut, ſi unicum tantum corporum naturalium genus deſcribendum ſit, non omnia uni Auctori obſervanda occurrant, ſed ex collectis

collectis tantum plurium Auctorum obſervationibus, methodica diſpoſitio, inprimis in regno animali, ſuſcipi queat. Laudanda igitur eſt Cl. Auctoris diligentia, qui animalia, inprimis aves, quas conſpicere ipſi licuit, non ſolum accurate delineavit, & æri inſculptas icones coloribus vivis ornavit, ſed accuratas quoque partium deſcriptiones adiecit. Præfatio nonnullas quæſtiones curioſas, de mutatione corporum naturalium in varietates, de migratione avium &c. tangit: quæ tamen, cum non evolutæ, ſed tantum indicatæ ſint, repeti haud poſſunt. De opere vero ſuſcepto hæc monet Auctor. A viginti iam annis varia animalia exotica in Anglia viſa delineavit, & coloribus vivis expreſſit, & ita curioſorum deſideriis ſatisfaciendo, ipſe collectionem iconum accuratam adornavit, quam curioſis naturæ ſcrutatoribus ſæpius oſtendit, qui eum ut icones publici iuris faceret excitarunt; ipſe igitur, adhortante eum Dn. Catesby, qui ſimile opus olim ſuſceperat, delineationes ſuas æri inſculpſit, & coloribus vivis pinxit, ſed ex centum tabularum numero eas tantum expoſuit, quibus deſcriptiones aptas ſubnectere poterat, & reliquas ulterioribus curis reſervavit. Optandum fuiſſet, ut nomina recentioribus ſcriptoribus accommodata elegiſſet: ſed cum illa utplurimum vulgaria ſint, catalogum exhibituri, ad vera avium genera omnes reducere annitemur.

1. Aquila, cauda alba, ad fretum Hudſonis in America ſeptentrionali.
2. Rex Vulturum, ex India occidentali. Mas videtur. Roſtrum mandibulam ſuperiorem longiorem aduncam habet, cutis carnoſa aurantii coloris circa baſin roſtri, plumæ longiores cinerei coloris collum cingunt, digiti anteriores nonnihil membranis connectuntur, unguiculæ parum incurvæ.
3. Falco maculis transverſis inſignibus, bruni coloris, nonnihil in pectore albidus.
4. Falco ſimilis priori, magis nigricans. Videntur convenire ut mas & femina. Ad fretum Hudſonis.
5. Pſittacus nigricans, ex Madagaſcar, cauda & pennæ remiges longiores ſunt.

6. Pſit-

Digitized by Google

6. Pſittacus minimus Indiæ orientalis viridis & ruffus.
7. Touraco ex Guinea ad cuculi genus proxime accedit, plumæ virides tenuiſſimæ piloſæ totum fere corpus tegunt, in alis & ad caudam plumæ veræ ex violaceo rutilantes, pennæ remiges purpureæ, digiti bini anteriores bini poſteriores.
8. Merops (*King-Fiſcher*) maior ad fluvium Gambia repertus.
9. Merops ex albo & nigro maculatus, ex Gamrou in Perſia.
10. Merops cauda longa hirundinis, Surinamenſis, roſtrum ut in præcedentibus rectum, ſed cauda longa, & binæ plumæ ex his longitudine dupla eminent.
11. 12. Merops Bengalenſis minimus. Prior coeruleus magis eſt in ſupremo corpore, alter virideſcit; prior roſtrum luteum, alter nigricans habet: in utrisque pectus luteum, caudæ & pennæ remiges ex fuſco nigricantes.
13. Caſuarius (*Buſtard*) arabicus, ex Arabia felici, digitis anticis tribus poſtremo nullo; ex fuſco albicat, pennæ remiges nigreſcunt.
14. Quan vel Guan ex India occidentali, ad Gallinarum genus pertinet, & cum Iacupema Braſilienſi Marggravii convenit.
15. Columba alis viridibus, pectore purpuraſcente, ex India orientali.
16. Columba, cauda longiſſima, ex India occidentali.
17. Columba ſubcinerea transverſim ſtriata, ex India orientali.
18. 19. Minor ſive Mino, ex Inſula Borneo, maior & minor; ad corvorum genus pertinent, ad loquelam exercendam hæc avis apta deprehenſa fuit.
20. Paſſer ſolitarius coeruleſcens, ex regionibus calidioribus Europæ.
21. Sturnus Chinenſis, aut avis nigra, corona plumoſa ad radicem roſtri poſita.
22. Merula roſei aut carnei coloris, non indigena Angliæ, attamen prope Londinum inventa, forſitan a migratione avium. Caput cum corona plumoſa, alæ & cauda ex coeruleo nigreſcunt, reliqua roſei coloris.

23. Certhia (*Creeper*) coerulea Surinamenſis, ſub collo, in alis, & cauda brevi, nigrum colorem oſtendit, de reliquo coerulei coloris eſt.

24. Parus (*Titmouſe*) nigricans, capite aurei coloris, Surinamenſis, dorſum ex violaceo nigreſcit.

25. Avis coeruleſcens, abdomine rubente Surinamenſis, forſitan ad luſcinias referri poſſet.

26. Fringilla viridis, capite rubro, Surinamenſis; dorſum, alæ & cauda, viridi colore inſigniuntur, pennæ remiges nigræ, pectus ex viridi coeruleum.

27. Rubecula coeruleſcens Bermudiana; collum, pectus & abdomen rubent, caput, dorſum, alæ & cauda coerulei coloris, pennæ remiges nigræ.

28. Ficedula viridis, capite nigro, Surinamenſis, pennæ remiges & pedes nigreſcunt.

29. Ficedula viridis, capite coeruleſcente, Surinamenſis, pennæ remiges nigræ, pedes lutei.

30. Certhia parva, ex fuſco alba, Indiæ orientalis.

31. Hirundo marina (*Martin or Swift*) maxima; color fuſcus, ſed in abdomine & ſub collo albidior conſpicitur.

32. Ficedula pectore coeruleo.

33. Ficedula cinerea, cum præcedente ad fretum Gaditanum inventa.

34. 35. Ficedula tertia Alderovandi, mas & femina; collum, pectus, & abdomen albicant, reliqua ex fuſco nigricantia; magis nigricat mas.

36. 37. Oenanthe rufeſcens, mas & femina; cauda & alæ nigri coloris ſunt, & in mare collum nigrum; ad fretum Gaditanum reperitur.

38. Avis murmurans (*Huming-Bird*), cauda longa, abdomine rubro, Surinamenſis, varietate colorum inſigniter ludit. Hæc & ſequentes forſitan ad Certhiam referri poſſent: ſunt ex genere picarum.

39. Avis murmurans parva Surinamenſis, ex fuſco rubra eſt, cauda & pennis remigibus violaceis.

40. Avis murmurans viridis, cauda longiſſima, Jamaicenſis.

41. Avis

41. Avis murmurans, cauda longiſſima, capite nigricante, Iamaicenſis.

42. Avis murmurans, abdomine albo, Surinamenſis.

43. Avis murmurans viridis & coerulea, Surinamenſis.

44. 45. Avis murmurans viridis, abdomine nigro, Americana, mas & femina.

46. Avis murmurans criſtata, ex India occidentali.

47. 48. Avis murmurans, pectore purpureo, Carolinenſis, mas; femina ſimul depicta, tota parte corporis inferiore alba eſt.

49. Avis rubra Surinamenſis, ex characteribus forte inter paſſeres poni poſſet, licet magnitudo corporis, & roſtrum tenuius, obſtare videantur.

50. Paſſer Chinenſis *(the Gowry Bird)*, quoniam viliori pretio, moneta Gowry dicta, emitur, fuſco colore inſignis, in pectore ex nigro & albo marmoreus.

51. Paſſer Chinenſis mas *(the Cock Padda or Rice Bird)*, quoniam granis illis veſcitur; cinereus, abdomine rubente, capite, pennis remigibus, & cauda nigrâ.

52. Paſſer Chinenſis femina, priori ferme ſimilis.

53. 54. Paſſer Chinenſis fuſcus, mas & femina, mas capite nigro inſignis.

55. Linaria fuſca, capite luteo, ex India occidentali.

56. Grus maior ex India orientali; collum album, caput rubrum, corpus cum alis ex cinereo nigricat.

57. Turiga, digitis membranaceis inciſis.

58. Pluvialis indicus criſtatus, pectore nigro, ex Perſia. Color fuſcus, pennæ remiges & apices caudæ nigricant.

59. Gallinago alis aculeo antrorſum donatis; caput carnoſa criſta tripartita ornatur; roſtrum digitis brevius: forte ad capellam reduci poſſet: ex America meridionali.

60. Penguim, ex capite bonæ ſpei; anatis forma, ſed erecto corpore, roſtrum teretiuſculum, alæ breviſſimæ, vix plumoſæ; pedes tribus digitis membranis coniuncti, quarto, (qui ab aliis non attenditur,) ſoluto, lateraliter adhærente.

61. Columba Groenlandica maculata, (ſpurium nomen,) roſtrum

Digitized by Google

ſtrum teretiuſculum acutum, habitus columbæ, digiti antici tres tantum membranis coniuncti.

62. Hircus Groenlandicus. Habitus hirci, cornua ramoſa.

63. Hyſtrix, ad fretum Hudſonis reperiundum, corpus fuſcum, cauda longa.

BIBLIOTHECA HISTORICA SELECTA, IN ſuas claſſes diſtributa, cuius primas lineas duxit b. BURC. GOTTHELF STRUVIUS, emendavit, & copioſe locupletavit, CHRISTIAN. GOTTLIEB BUDER, Sereniſſ. Saxon. Ducum conſiliarius aulicus, Iuris Publici, Feudalis, & Hiſtoriarum in Academia Ienenſi Profeſſor Publicus Ordinarius, Collegii Facultatis Iuridicae Aſſeſſor.

Ienæ, 1740. ſumpt. Chriſt. Henr. Cunonis, in 8 mai. 4 Alph. 20 pl.

Hæc quarta eſt Bibliothecæ ſelectæ Struvianæ editio, licet in titulo, quod alias fieri ſolet, non addatur editionis numerus; nam tertia editio prodiit Ienæ 1705. in 8. nec tamen vel ibi in titulo expreſſum editionis numerum reperias. Manca omnino erat hiſtorica illa b. *Struvii* collectio, & obiter tantum compilata, ut quorundam ſtudioſorum, qui ſelectos libros hiſtoricos familiares ſibi reddere volebant, fieret ſatis deſiderio. Prodierant poſt annum 1705. multæ novæ librorum hiſtoricorum editiones, immo ipſi libri novi hiſtorici magna copia ſunt editi hoc ſeculo, ut adeo in tanta ſcriptorum hiſtoricorum multitudine oberraſſent hiſtorico ſtudio dediti, veluti nautæ in aperto mari ſine pyxide nautica, niſi acceſſiſſet tempeſtive Celeb. *Buderi* opera atque ſtudium, emendandis atque ſupplendis primis *Bibliothecae Hiſtoricae Selectae* lineis, a *Struvio* quondam ductis. In nova igitur hac editione conſultiſſimus *Buderus*, in tractandis & inquirendis rebus hiſtoricis, quotidie, tam in publicis, quam privatis prælectionibus, (ad quas magnus auditorum numerus ſemper cupide advolare ſolet,) occupatiſſimus, non invidet lectoribus ſelectum iſtum ſcri-

ſcriptorum hiſtoricorum numerum, quem poſt tempora proxime præcedentis editionis, in uſum Auditorum ſuorum potiſſimum collegerat, diſpoſuerat, & plerisque perlectis valorem eorum examinaverat. Exinde factum eſt, ut in emendationibus celeb. *Buderi*, & acceſſionibus, egregias plerumque obſervationes, & ſolidiſſima de ſcriptoris huius vel illius indole iudicia, pauciſſimis licet verbis expreſſa, reperias. Sed non ſuffecit præſtantiſſimo *Budero*, ſuas lucubrationes atque collectiones cum lectoribus hiſtoricarum deliciarum cupidis communicare, quæ vel ſolæ largiſſime oblectare & erudire potuerant lectores; vocavit etiam, propter maiores lectorum uſus, talium virorum labores in ſubſidium, quos noverat in ſtudio hiſtorico & exercitatiſſimos eſſe, & diligentiſſimos. Rogavit itaque virum illuſtrem *Ge. Chriſti. Gebauerum*, Profeſſorem Iuris in Academia Goettingenſi celeberrimum, ut quos in privatum uſum, Lipſiæ, ex illuſtriſſimis privatis Bibliothecis, præſertim copioſisſima Senatoria illa publica Lipſienſi, curioſe perveſtigaverat & annotaverat ſcriptores hiſtoricos, ex notis MStis exempli ſui Bibliothecæ Hiſtoricæ ſelectæ Struvianæ, excerpendos, & novæ iſtius libri editioni inſerendos, ſibi permitteret. Annuit facile honeſto *Buderi* noſtri deſiderio excellentisſimus *Gebauerus*, & ut remp. litter. novo beneficio ſibi devinciret, exemplum ſuum *Budero* benevole tradidit; uti quos vellet ab illuſtri *Gebauero* collectos, & manu ſua conſignatos ſcriptores hiſtoricos, eligeret, &, ſi præ ceteris utiles illos iudicaret, ſupplementis Bibliothecæ Struvianæ Hiſtoricæ insereret. Idem, ex collectaneis ſuis hiſtoricis manu ſcriptis, ſubſidium præſtitit illuſtri *Budero* clarisſimus vir *I. E. Schreiberus*, eo tempore in Roſtochienſi Academia degens; nec defuerunt alii eruditi viri, qui lucubrationibus ſuis conſilia illuſtris *Buderi*, in emendande & ſupplenda Bibliotheca Struviana Hiſtorica, egregie & liberaliter adiuverunt: quibus etiam novæ editionis Auctor *Buderus*, in præmiſſa præfatione, quas illis ſe debere profitetur, agit gratias. Nec dubium eſt, quin illuſtris

Editor, ex ſelecto ſcriptorum hiſtoricorum numero, qui in catalogo Bibliothecæ *Menckenianae*, catalogo ſcriptorum hiſtoricorum Langleti du *Fresnoy*, le *Long* Bibliotheca Hiſtorica Galliæ, *Antonii* Bibliotheca Hiſpanica, *Gryphii* apparatu *de ſcriptoribus hiſtoricis* Sec. XVII. aliisque ſimilibus reperiuntur, in uſum ſuum converterit præſtantiores, ut a lectoribus maiora caperentur ex nova editione Bibliothecæ Hiſtoricæ Struvianæ commoda. Facile autem coniicere poterunt emunctioris naris lectores, quantum moleſtiæ faceſſiverit illuſtri *Budero* novæ editionis cura: nam hæc Bibliotheca hiſtorica ſelecta, non ſolum ad præcipitatum quorundam auditorum b. *Struvii* deſiderium, & perfunctorio ſtudio erat conſarcinata, ut ipſe *Struvius* pro candore ſuo ingenue fatebatur *Budero*, cui per multos annos in familiaritate eius eſſe licuit; ſed etiam priores editiones, per negligentiam eorum, qui curam editionum ſuſceperant, tot tantisque deturpatæ erant erroribus, *Struvio* certe non imputandis, ut lectoribus non exiguum moverint tædium. Ipſe autem *Struvius*, ob ardua & concatenata negotia, plerumque tantum temporis in diſponendas & emendandas Bibliothecas ſuas, Iuris, Philoſophiæ, & Hiſtoriæ, impendere non poterat, quantum ad tam moleſtos & difficiles labores requirebatur. Has ob cauſſas, longe facilius etiam fuiſſet celeb. *Budero*, novam prorſus condere Bibliothecam hiſtoricam ſelectam, oeconomia & partitione ſuo ipſius ingenio conſtituta, quam tam larga ſupplementa addere, quæ ubi commodiſſime inſeri poſſent, multum inveſtigationis poſtulabant, ſtudii, atque iudicii. Sed ſibi ad laudem potius eſſe putavit *Buderus* noſter, retinere quædam laborum præſtantisſimi præceptoris ſui *Struvii* veſtigia, neque prorſus irritum reddere illorum ſtudium, qui e priorum Bibliothecæ hiſtoricæ Struvianæ editionum diſpoſitione, quandam ſibi comparaverant hiſtoricorum ſcriptorum notitiam: quam commodiorem eligere in pertexenda nova Bibliotheca hiſtorica rationem. Addidit itaque innumeros fere, qui a *Struvio* omisſi erant, vel

poſt

Digitized by Google

poſt eius tempora prodierunt, ſcriptores hiſtoricos ſelectiores, variasque eorum editiones, cuiuslibet populi, quorumlibet eventuum, omnesque ſuo ordine recenſuit, deque illorum valore & uſu, vel ipſe plerumque ſententiam ſuam ſubiecit ſine odio, ſine invidia, & ſæpe debita cum laude ac meritorum veneratione; vel aliorum virorum, de Scriptorum hiſtoricorum præſtantia optime & accurate iudicantium, ſecutus eſt iudicia, tantumque adhibuit in ſupplenda hac Bibliotheca hiſtorica ſtudium, ut vix prioris laboris *Struviani* veſtigia remanſerint. Licet autem forſitan aliquis exiſtimet, alienum eſſe ab Auctoris inſtituto, Bibliothecæ hiſtoricæ ſelectæ etiam inſerere varios minorum gentium ſcriptores, qui nec ob ingenium, nec ob doctrinam, nec ob iudicium, magnopere laudantur: in iis tamen congerendis diligentia non prorſus eſt ſpernenda, præſertim cum ſæpius etiam leviora ſcripta neceſſarium nexum cum maioribus ſelectis ſcriptis hiſtoricis habeant, atque vel hanc ob cauſſam in Bibliotheca quadam hiſtorica ſelecta non ſunt omittendi. Nec quis vitio vertat Editori, quod idem ſcriptum haud raro bis & ſæpius in Bibliotheca hac hiſtorica adducitur, e. g. *Guil. Paradini* p. 131. & p. 969: nam unius ſcripti plures eſſe poſſunt fines, ergo etiam pluribus, quam uno loco, illius mentio fieri poteſt & debet. Illuſtris *Buderus* retinuit quidem pleroſque capitum antiquæ editionis titulos; ſed ſingula capita tantopere novo ſcriptorum hiſtoricorum numero locupletavit, & tam varias obſervationes inſperſit, ut capita multo ampliora ditioraque, quam in præcedentibus editionibus, compareant. Interdum caput priorum editionum in duas partes diviſit, ſi nimirum populi non ſatis commode combinati erant, vel ſubdiviſio perſpicuitatis cauſa requirebatur; uti e. g. *Struvius*, in præcedente editione, capite 17. promiſcue egerat de Scriptoribus Germaniæ generalibus & ſpecialibus. Illuſtris *Buderus* hoc caput in duas ſectiones diſtribuit, quarum prima ſolos continet ſcriptores generales; altera ſolos

ſolos ſcriptores ſpeciales; & hæc ſubdiviſio omnino perſpicuitatem maiorem habet. Ex capite 16. igitur *Struvii* in celeb. *Büderi* editione fit caput 16 & 17; hæcque duo capita optimo iure vocaveris præcipuam Bibliothecæ huius partem. Illuſtris enim Auctor non ſolum omnium ſcriptorum, collectionibus Scriptorum rerum germanicarum inſertorum titulos indicat aliquot paragraphis, e. g. quotnam & quosnam ſcriptores contineat collectio *Reuberi*, *Freheri* &c. ſed etiam per 21. diſtinctos paragraphos ſeorſim exhibuit ſcriptores de vitis Imperatorum a *Carolo* M. uſque ad *Carolum* VI. Cap. XVII. de Scriptoribus Germaniæ particularibus, potiſſimum res ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentes tractat: agit enim de Scriptoribus eccleſiarum cumprimis Germaniæ. Illuſtris quoque editor & continuator huius editionis, *Buderus*, ſine dubio vel ex hac ratione, & optimo quidem conſilio, in inveſtigandis & indicandis Scriptoribus Germaniæ magis occupatus fuit, quam in pertractandis ceteris capitibus: attamen caput *de Scriptoribus Galliae* etiam ſatis locupletatum, quia omnino Hiſtorico, inter Germanos viventi, maiori eſt honori, noſſe Hiſtoriam Germaniæ, & ſcrutari libros ad Hiſtoriam Germaniæ pertinentes, quam Hiſtoriam exterarum gentium; quæ, etſi domeſticæ hiſtoriæ opitulatur, tamen ei poſtponenda eſt. Ideo haud immerito *Langlet du Fresnoy, in methodo diſcendae hiſtoriae,* ridet illorum ſtultitiam Hiſtoricorum, qui ſcrutationem & notitiam Hiſtoriæ exterarum gentium præferunt diligenti ſtudio Hiſtoriæ patriæ. Separavit etiam interdum Editor illorum populorum Scriptores, quos coniunxerat *Struvius*, & qui tamen minus commode cohærere poſſe videbantur, & ſuorum Hiſtoricorum copia peculiare caput explere poterant. Ita *Struvius* olim capite XIX. de Scriptoribus Hungariæ, Bohemiæ, Sileſiæ atque Moraviæ, coniunctim egerat; ſed *Buderus* de Scriptoribus rerum Hungariæ, & vicinarum provinciarum, ſeparatum & amplum caput, idque

que 28 conſtituit, & capite 19. de ſolis Scriptoribus rerum Bohemicarum, Sileſiacarum, atque Moraviæ egit. Ita etiam *Struvius*, de Scriptoribus rerum Boruſſicarum & Brandenburgicarum coniunctim dixerat, in capite XX primæ editionis: illuſtris vero *Buderus* de utrisque ſeorſum egit, & quidem capite XXII, de Scriptoribus rerum Brandenburgicarum, & provinciarum Brandenburgicis ſubiectarum; capite vero XXX. de Scriptoribus utriusque Pruſſiæ, Polonicæ atque Brandenburgicæ. *Struvius* capite XXX. coniunxerat Hiſtoricos Poloniæ, Lithuaniæ, atque Moſcoviæ; ſed celeb. *Buderus* ſeorſim de Scriptoribus Hiſtoricis Poloniæ & Lithuaniæ capite XXIX, de Scriptoribus vero rerum Ruſſicarum capite XXXIII. egit. Ratio diviſionis facile cognoſci poteſt, partim quia regnum Moſcoviæ & regnum Poloniæ cum Lithuania non unius domini imperio ſubiacent; partim quia vel de rebus Ruſſicis Scriptorum tanta eſt multitudo, ut unum idemque caput illis omnibus recenſendis non ſufficiat, niſi caput, diſſertationis, vel tractatus ſpeciem præ ſe ferre debeat; tantum abeſt ut coniunctim cum alius cuiusdam populi Scriptoribus commode produci queant. Hiſtoriam Imperatorum Germanicorum, quam immediate *Struvius* cap. 7. cum Scriptoribus Hiſtoriæ Byzantinæ cap. 6. coniunxerat, forſitan ea ex ratione, quia olim regnum Orientale & Occidentale combinata fuerunt, & illud poſtea ab hoc divortium fecerat: ſed conſultiſſimus *Buderus* recte iudicavit, Hiſtoriam illorum Imperatorum, quorum imperia hodie quam maxime ſunt ſeparata & disiuncta, ſeorſim etiam pertractari debere; exemit igitur caput VII. in antiqua *Struvii* editione de Hiſtoria Imperatorum Germanicorum agens, & aptiori loco inſeruit, nimirum capiti XVI, ubi de Scriptoribus Hiſtoriam Germaniæ generatim illuſtrantibus agitur, & §. ſpeciatim 6. introductio in ſcriptores de rebus geſtis Imperatorum Germanicorum a celeb. *Budero* ſuppeditatur. De Imperatoribus enim Germanorum omnino in capite de Hiſtoria Germaniæ generali agendum erat, quia ſacrum Romanum Imperium maximam Ger-

 maniæ

Digitized by Google

maniæ partem conſtituit. B. tandem *Struvius,* in editionibus prioribus, coniunctim egerat de Scriptoribus Poloniæ, Lithuaniæ, Moſcoviæ & Græciæ, capite XXX: ſed illuſtris *Buderus* peculiare caput, nimirum XXXIV. Scriptoribus Græciæ hodiernæ tribuit, quia Moſcovia & Græcia non ad unum dominum pertinent. Exinde facile cognoſcent lectores rationem, cur in præcedentibus *Struvii* editionibus ſint tantum XXXI. Bibliothecæ huius Hiſtoricæ capita, in illuſtris vero *Buderi* editione capita XXXV. Peritiſſimus enim hiſtoricus, *Buderus,* & prudentiſſimus perſpicuitatis arbiter, optime vidit, lectorum commodis magis conſuli, ſi interdum, quandam in partitione *Struvii* ſuſciperet mutationem, & tractationis in minores partes & plura capita diviſionem. Indicavit etiam in nova hac editione celeb. *Buderus* titulos ſcriptorum, qui in pretioſiſſimo *Burmanni* Theſauro Italiæ, & *Muratorii* ſcriptoribus Italicis, du *Cheſne* ſcriptoribus Galliæ, *Marianae* Hiſpania illuſtrata, & multis ſimilibus aliis, obvii ſunt; quibus vel ſolis præſtantiſſimis operibus recenſendis, *Buderus* magnam lectorum iniit & meruit gratiam. Sed longe plura ſunt, a viro hoc doctiſſimo præſtita, quæ nos eius operam, huic Bibliothecæ Hiſtoricæ Struvianæ impenſam, quam maxime venerari iubent. Indicantur ſæpius Anonymi & Pſeudonymi ſcriptores, quorum notitiam multum ad ſcripta eorum rectius intelligenda conferre nemo dubitat; oſtenditur haud raro editionum huius vel illius ſcriptoris differentia, quibusque ex cauſſis una editio alteri anteferri, vel poſtponi debeat. Verus Hiſtoricorum multorum ſcopus multoties detegitur ab illuſtri Viro, quem ſcopum nonnulli ſcriptorum, variis ex cauſis politicis, occultaverant, aut longe alium ſimularant. Tacemus alia Auctoris illuſtris in hac editione merita, quibus opus hoc *Struvianum* rude antea atque informe, mutilum & mancum, lectoribus utilius reddidit atque præſtantius. Nec tamen in nova hac editione, ſaltim in indice, obiter illum perluſtrantes, deprehendimus indicata nomina & ſcripta Hiſtoricorum non infimæ ſortis, e. g.

Bou-

Digitized by Google

Boncontrii, qui ſcripſit Hiſtoriam Siciliæ; Abbatis de *Marolles Hiſtoire des Roys de France*, in qua inter alia notabilis locus occurrit de Papa Leone X. quem orator quidam vocaverat leonem de tribu Iudæ; nec habet hæc nova editio aliquid de *Sueur* Hiſt. eccleſ. & imperii. Tacemus *Ludovici* & *Freyeri* ſcripta hiſtorica, *Tappianas* item tabulas Hiſtor. univerſalis: quod forſitan tria ultima ſcripta minus digna viſa ſunt, quæ Bibliothecæ Hiſtoricæ ſelectæ infererentur. Sed facile excuſare poterit illuſtrem Auctorem multorum Hiſtoricorum neglectus, quia nec eius ſcopus fuit, omnes indicare, nec exactisſima omnium Hiſtoricorum recenſio ab ullo unquam exſpectari poterit. Sed, *adde parum parvo magnum cumulabis acervum.* Negari etiam nequit, accuratius in multis eſſe illuſtris *Buderi*, quam *Struvii*, de ſcriptorum valore iudicium. Ita *Struvius* in editione Biliothecæ ſuæ Hiſtoricæ 1705. p. 9. §. 6. de ſcriptoribus, in penu artis hiſtoricæ propoſitis, iudicaverat, *eos ſcriptores antiquiores eſſe, hodie parum utiles, niſi quod Bodinus in methodo ſua adhuc aliquam laudem mereatur, licet ſaepius in Germanos perquam ſit iniquus.* Hoc *Struvii* iudicium iam notaverat celeb. *Reimannus* in *catalogo litterario* p. 547. & contrarium potius ſtatuit, nimirum, ſcriptores in penu artis hiſtoricæ contentos, lectoribus quam maxime eſſe utiles. Agnovit etiam illuſtris *Buderus* minus accuratum in hac cauſa *Struvii* iudicium, ideo verba, a nobis paullo ante adducta, omiſit. Rectiſſime etiam *Buderus* ex Scriptoribus Hiſtoriæ Æthiopicæ ciecit *Heliodori Hiſtoriam aethiopicam*, quam, velut præcipuum in Hiſtoria Æthiopica librum, primo loco inter ſcriptores Hiſtoriæ Æthiopicæ collocaverat *Struvius* edit. 1705. cap. 12. §. 3. p. 266. Nam vel leviter in Hiſtoria litteraria verſatus probe novit, *Heliodori* librum non eſſe Hiſtoriam veram, ſed fictam, & librum romanenſem, quod iam monuit du *Fresnoy* in præf. *der Anweiſung zur Erlernung der Hiſtorie*, ubi ita inter alia, ex verſione Menkeniana, diſſerit: *Der Herr Struv hat ſich ziemlich*

vergangen, wenn er zur Erlernung der Hiſtorie von Mohrenland, Heliodori Hiſtoriam Æthiopicam vorſchlägt, da doch männiglich bekannt, daſs dieſes ein Roman, deſſen Auctor Biſchoff von Tricca in Theſſalonien geweſen, der gleichwohl hernach lieber ſein Biſsthum fahren laſſen, als ſich von dieſem herrlichen Werke (ſcil.), *ſo er in ſeiner Jugend geſchrieben, losſagen wollen.* Prætulerat quoque *Struvius* in editione Bibliothecæ ſuæ Hiſtoricæ anno 1705. edit. capite XIV. §. XII. p. 320. Ioh. *Sleidani* verſionem Commentariorum Philippi *Cominaei*, verſioni eorundem Commentariorum per Caſp. *Barthium*; ſed illuſtris *Buderus*, vel propria inveſtigatione, vel ex Ioh. Burc. *Menckenii* ſchediaſmate, de *Commentariis Hiſtoricis* ſive *Memoires* p. 5. not. (c) meliora edoctus, receſſit a *Struvii* hac in re ſententia, & capite XIII. edit. novæ §. XII. p. 363. tantum hæc addit de verſione *Ioh. Sleidani*: *Facta eſt haec verſio eleganti ſtilo, ſed non ad verbum, quod praeſtitit in alia, quae, quod ad verum auctoris ſenſum Sleidani* (ſcil. verſioni) *praefertur*, (ſcil. a Ioh. Burcardo *Menckenio*, qui mavult Ioh. Andr. *Boſii*, quam *Struvii* iudicium ſequi, quem forte ex nimia feſtinatione errorem admiſiſſe cenſet *Menckenius*, & cum *Boſio*, *Barthii* verſionem Commentariorum *Cominaei* præfert verſioni Ioh. *Sleidani*) *interpretatione Caſp. Barthius*, Francof. 1619. in 8. Ex his, multisque aliis eiusmodi, quæ afferri poſſent, ſpeciminibus, prudentiores facile intelligent lectores, quam caute, quam prudenter, quam circumſpecte egerit illuſtris *Buderus*, in procuranda nova Bibliothecæ Hiſtoricæ Struvianæ editione, ne cum *Struvio* falſa pro veris, lubrica pro certis, traderet, ſed, quibus opus eſſet locis, primi auctoris *Struvii* errores emendaret. Interdum tamen editiones librorum præter neceſſitatem multiplicatæ nobis videntur, & ſeorſim indicata, quæ coniunctim debuiſſent nominari. Ita cap. XII. p. 289. *Buderus* dicit Ioh. Iac. *Chifletii* Vindicias Hiſpanicas prodiiſſe Antwerpiæ 1647. in f. & 1650. in f. & eiusdem ad *Vindicias Hiſpanicas lumina nova* lucem vidiſſe etiam Antwerpiæ 1647. in f. & 1650. in f. ubi quidem commodius dici potuiſſe nobis

nobis videtur, *Chifletii* Vindicias Hiſpanicas, cum luminibus novis, prodiiſſe Antwerpiæ 1647. & 1650. fol. quæ nova lumina in prima vindiciarum Hiſpanicarum Chifletii editione, Antwerpiæ 1645. in 4. deerant. Capite XIII. p. 340. omittit editionem Scipionis du *Pleix del Hiſtoire generale de France* &c. anni 1624, voluminibus 2. editam, in fol. quam *Struvius* in editione Bibliothecæ ſuæ Hiſtoricæ anni 1705. capite XIV. p. 310. adduxerat, & eius editionis loco illuſtris *Buderus* collocat editionem huius Hiſtoriæ du *Pleix* de anno 1621. 5. voluminibus in fol. editam. Sed ſi etiam revera exſtat editio Hiſtoriæ du *Pleix* anni 1624. 2. voll. a *Struvio* adducta, (quam inveſtigare per temporis anguſtiam nobis non licuit,) neſcimus, cur *Buderus* illam omiſerit, quia in Bibliotheca quadam Hiſtorica omnino tot, quot fieri poteſt, indicari debent librorum hiſtoricorum editiones, ut lector, ſi velit, & illius interſit, in omnium, quæ proſtant, huius vel illius auctoris editionum differentiam inquirat. Nec numerus editionum minuendus, ſed potius per ſedulam illarum inveſtigationem augendus eſt. Forſitan autem *Struvius* in indicanda editione Hiſtoriæ du *Pleix* anni 1624. errorem commiſit, & pro anno eo ponere voluit, ut illuſtris *Buderus* annum 1621. & pro 2. voluminibus volumina 5. tunc quidem recte *Buderus* emendatione ſua ſuſtulit *Struvii* errorem. Si autem *Lipenio* in Bibliotheca reali philoſophica p. 545. (b) fides eſt habenda, du *Pleix Hiſtoire* prodiit & anno 1621. & anno 1624. Addi etiam potuiſſet quinta Hiſtoriæ du *Pleix* editio, quæ prodiit 1637-1639. 3. voll. in fol. quæ reperitur in Bibliotheca publica Ienenſi, quæ, quomodo potuerit effugere illuſtr. *Buderi* notitiam, non videmus. Sed quia *du Pleix* Hiſtoria non ſatis fide digna eſt, (ut quidem ipſe Auctor celeb. *Buderus* p. 341. indicat haud obſcure,) lectoribus ſine dubio profuiſſet, ſi immediate poſt du *Pleix* hiſtoriam, commendata fuiſſet lectio annotationum de *Margues* & *Baſſompierre* in hiſtoriam du *Pleix*, Pariſ. 1665. in 12: quorum duorum Auctorum nomina, in indice Auctorum ne quidem allegata deprehendimus, niſi quod *Baſſompierre*

pierre, ob aliud ſcriptum in iſto indice fuerit adductus): quæ neceſſario cum lectione du *Pleix* coniungendæ ſunt, ſi quis huius hiſtoriam recte intelligere & emendare velit. Et talia ſcripta, quæ neceſſario ad alicuius hiſtorici illuſtrationem faciunt, etiam alia occaſione immediate poſt Auctores, quos illuſtrant, indicari debuiſſent, ut oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcerent. Eod. capite XIII. §. VI. p. 346. illuſtris *Buderus* recte quidem emendavit errorem *Struvii* in editione Bibliothecæ ſuæ Hiſtoricae 1705. cap. XIV. §. VIII. p. 313. ubi perperam *Melsheimi* poſuerat pro *Molsheimi*, (ut recte habet *Buderus*): ſed etiam alter error emendari debuiſſet, quod nimirum *Struvius* annum editionis 1625. *Coccii* libro tribuit, quem tamen librum ipſe *Struvius* p. 480. edit. cit. & *Buderus* p. 1006. edit. novæ rectius anno 1623. prodiiſſe dicunt. Pag. 461. novæ editionis illuſtris *Buderus* omittit editionem *Guil. Paradini* Baſileenſem 1654. in 8. quam *Struvius* in edit. citata p. 339. nominaverat; & ſubſtituit tamen alias huius libri editiones, nimirum Lugdunenſem 1542. in 4. Baſileenſem 1542. & 1550. in 8. Forſitan *Struvius* in indicanda editione Baſileenſi 1654. in 8. erravit, ideoque recte hæc editio ab illuſtri *Budero* omiſſa eſſet: ſed de errore *Struvii* nondum ſatis certi ſumus. Pag. 462. edit. *Buderianae* addi potuiſſet recentior editio anni 1628. in 4. 2 voll. *de l'Hiſtoire des Rois, Ducs, & Comtes de Bourgogne*, par *André du Cheſne*, indicatur enim tantum editio 1619. in 4. Pag. 498. *Buderus* recte quidem *Carolum le Cointe* vocat Annalium Eccleſiaſtorum Francorum conditorem laborioſiſſimum, ſed lectores ſine dubio valorem horum annalium facilius cognoſcere potuiſſent, ſi Vir doctiſſ. ſimul monuiſſet, dominum le *Cointe* ſtudio labores ſuos annalium produxiſſe & multiplicaſſe, lucri cupidine ductum, ut nimirum ſalarium, ab ordine Clericorum Galliæ, ipſi, conſcribendis his annalibus, deſtinatum, eo diutius perciperet, nec uſu ſalarii ſui privaretur, ſi intra iuſtum tempus annales eos abſolveret: ex quo factum

eſt,

eſt, ut verboſiores habeamus *Cointii* annales eccleſiaſticos, quam decebat, & longiores in illis ambages, quam lectores perſpicuitatis, brevitatis, & ſelecti iudicii amantes, ferre poſſint. Eiusdem lucri cupidinis & ſtratagematis litterarii accuſantur fratres Sammarthani, qui etiam deſtinato conſilio telam contexendæ Galliæ Chriſtianæ produxiſſe dicuntur, ut per longius temporis ſpatium ſalaria, propter exantlandos eos labores ipſis aſſignata, perciperent. Pag. 1434. non immerito *Poggium* Florentinum nimii in patriam amoris accuſat *Buderus*, nam notum eſt de *Poggii* partium ſtudio diſtichon illud:

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius *hoſtem,*
Nec malus eſt civis, nec bonus Hiſtoricus.

Ideo *Nicol. Machiavelli* Hiſtoria Florentina longe præferri meretur *Poggii* libro mendaciſſimo. Pag. 1486. illuſtris *Buderus* non ſine ratione Supplementa Hiſtoriarum, quæ Colon. Agrippinæ 1719. in fol. prodierunt ad *Nicol. Iſthuanſii* res Hungaricas, partium ſtudio laborare iudicat: ſed hoc & de ipſo *Iſthuanſii* opere dici potuiſſet; nam licet *Czvittingerus*, in *Specimine Hungariae litteratae* p. 190. & 191. laudet *Iſthuanſium*, tanquam partium ſtudio minus deditum, ſibi ipſi tamen ſtatim contradicit, dum hunc Scriptorem erga alienæ religioni addictos odium ſuum prodidiſſe indicat; quomodo enim a partium ſtudio abeſſe potuit *Iſthuanſius*, ſi amori erga ſuæ religioni addictos, & odio erga alienos, indulſit. Accedit, quod *Iſthuanſius* nomina germanica ſæpiſſime corrumpit. Quod attinet ad ſupplementorum, quæ ex calamo doctiſſimi *Buderi* Bibliothecæ Hiſtoricæ Struvianæ acceſſerunt, multitudinem, illam vel exinde facile cognoſcere poſſunt lectores, quod editio nova *Buderi* ad paginas 1718. excreverit, etiam maiorem formam habeat, quam editio Struviana proxime antegreſſa, quæ tantum paginas 815. continet: licet & hoc fatendum ſit, typos in nova *Buderi* editione maiores eſſe, quam in illa *Stru-*

Digitized by Google

Struvii, & proportio typorum non ſatis iuſta & exacta electa eſt; quæ quantum iuvet oculos, vel, ſi minus obſervata fuerit, lædat, & in nominibus propriis promte inveniendis moretur, non opus eſt monere. In indicem Auctorum non omnes, qui in hac Bibliotheca Hiſtorica occurrunt Scriptores, relati videntur: ita nihil in indice reperias de *Chriſtoph. Ludov. Dietherro*, (quem *Gryphius* in apparatu de *ſcriptoribus hiſtoricis* Sec. XVII. p. 61. perperam vocat *Dilherrum*,) cuius tamen mentio fit in editione celeb. *Buderi* p. 1716; nihil de *Nicol. Machiavello*, cuius mentio fit p. 1433; qui p. 346. & 1006. recte vocatur *Iodoc. Coccius*, in indice perperam nominatur *Cocceius*. Index rerum etiam non ſufficere videtur. Sed hæc omnia, ſi etiam plura eſſent, leviora ſunt, quam ut pretio novæ & utilis Buderianæ editionis aliquid derogare queant. Optandæ potius ſunt illuſtri Viro firmæ corporis vires, ut etiam impoſterum doctrinæ ſuæ apparatum maximum, in largiſſimos lectorum uſus, promere poſſit.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA

Tomi VIII Sectio IX.

MEMOIRES DE PORTUGAL, AVEC LA BIBLIOTHEque Luſitane.

i. e.

COMMENTARII LUSITANIAE, CUM BIBLIOtheca Luſitanica, inſcripti Celſitudini Regiæ EMANUELI, Principi Luſitanorum, nato in ſpem ſucceſſionis: adornati ab Equite D'OLIVEYRA.

Amſtelodami, 1741. 8.

Tom. I. 1. Alph. 2½. pl. *Tom. II.* 1. Alph. 2: pl.

Primitias haſce ſuas Ill. Auctor Emanueli, Luſitanorum Phoebo, Europæ delicio, & Muſarum ſplendori, dedicavit, ſiquidem nemo verius & luculentius hoc Regio Principe de univerſa operis huius compage valet iudicare. In Auctoris generoſiſſimi laudibus eſt numerandum, quod in itineribus ſuis ubique patrii ſoli, Luſitaniæ, habuerit rationem. Ipſe enim, ex quo a. 1734. Lisbonam reliquit, ſermoni Italico Gallicoque accurate addiſcendo multum ſtudii tribuit, & utrumque feliciſſime arripuit, id ſpectans, ut libros exterorum ipſe legere, illorumque iudicia de Luſitanis eorumque pa-

tria exquirere valeret. Dum id moliebatur, incidit in diverſiſſimas hiſtoricorum ſententias, quarum aliæ Luſitanis favent, aliæ eis maculam inurunt. Tum vero coepit colligere ſibique enotare, quidquid in litterarum monumentis de Luſitania & Luſitanis ſeſe legenti obtulerat. Inde coaluit tandem hæc hiſtoria, quæ res Luſitanorum prodit, & quæ etiam hoc nomine commendabilis eſt, quod bibliothecam ſcriptorum de Luſitania editorum in calce repræſentat. In hac haud exſtant nuda Auctorum nomina, cum mentione ſcripti librive coniuncta: adiiciuntur potius hinc inde vitæ eorum, actiones, ingenium, elogia, & iudicia de eisdem. Addidit præterea Gen. Auctor iudicium ſuum, candideque, quos in libris evolutis deprehendit indicavit nævos. Nec diſſimulavit in præfatione, Tomo priori præfixa, gentis ſuæ maculas, ab exteris merito notatas. Acclamat ſimul civibus ſuis amabile illud pronuntiatum: *Emendate vos*, illisque ſuadet, ut egregios exterorum mores, ſicubi ipſis opus, imitentur. Ignorantiam civibus ſuis exprobrari haud inficiatur, ipſique exprobrationi nullam ſubeſſe veri umbram, non contendit. Tomum II. dedicavit Comiti de Ericeyra, & in Præfatione Academiam hiſtoricam Lisbonenſem dilaudat. Tomi prioris hæc ſunt capita. Primo diſſeritur de primis Portugalliæ
T. I. Regibus, immo de univerſis, adeo ſuccincte, ut p. 65. tra-
Pag. 66. ctationi imponatur finis. Caput ſecundum exhibet Reginas Portugalliæ ac filias regias, quæ Imperatoribus Regibusque nupſerunt. Initium facit a Caroli II, Regis Magnæ Britanniæ, uxore Luſitana, ac expoſitionem Gilberti Burneti transſcribit. Præterea adiungit nonnullas alias. Capite tertio diſſerit de Prin-
90. cipibus & filiabus Regum Luſitanicis. Primordia capit ab Alexandro, Theodoſii filio, & Maria Luſitanica, quæ Alexandro Farneſio, Parmæ Duci, nupſit a. 1566. Exponit de Alphonſis, Antonio Ludovici notho, Beatrice, a. 1521. Duci
94. Sabaudorum nupta, de Catharina Duce Bragantina, cuius poſteri iam ſedent ad regni gubernacula, de Eduardo † 1540, 20. Oct. de Emanuele, Indorum Prorege, ac de Thereſia, Eudonis III. Ducis Burgundionum uxore. Caput quartum inſcriptum eſt de legatis & adminiſtris publicis varii generis ordi-

ordiniſque. Capite quinto recenſentur nonnulli Luſitanorum Sancti, Cardinales, Prælati, Duces bellici, Proreges, Pag. 117.
præſides provinciarum, adminiſtri rei ſacræ & profanæ, hominesque in vario vitæ genere illuſtres. In horum cenſum referuntur: Alexis de Meneſes, Archiepiſcopus Goae, Albertus Cardinalis, Archidux Auſtriæ, Franciſcus d'Almeida, Emanuel Alvarez Ieſuita, Alvares Cabral, claſſi præfectus, Andreas d'Amarat, S. Antonius Patavinus, ortu Lisbonenſis, 121.
Alfonſus de Caſtro Ieſuita, a. 1558. a Moluccenſibus in mare proiectus, Petrus de Fonſeca Cardinalis, Franciſcus Xaverius, & Henricus Henriquez, Ieſuitæ. Capite ſexto recenſentur illi, qui adſcripti fuerunt ordinibus Portugalliæ militaribus, vel alibi Ordinibus ſacris militaribus præfuerunt, aut eorum exſtiterunt ſodales. Ordo ſacer, isque militaris, a S. 126.
Maria Evoræ cognominatus, a. 1147. originem ſuscepit. Ordo Ieſu Chriſti fundatus fuit a. 1318. Capite ſeptimo diſſeritur de bellis, præliis, copiis terra marique præclaris, regni Portugalliæ. Octavi ſumma verſatur in pacificationibus, 131.
induciis, & regni commerciis. Nono exhibentur periodi hiſtoriæ ſacræ iuxta ac civilis memorabiliores. Decimo agitur de capite regni Lisbona, ſive Ulyſſippone. Aegre ſe, dum hæc in literas referimus, ab ingenti clade, quam terræ motus ſub 288.
anni 1755. finem adtulit, urbs pulcherrima reficit. Undecimo exponitur de tribunali quæſtionum ſacrarum, & Luſitanico & Indico, cuius horridam faciem nativo depinxit Gen. Auctor colore. Duodecimo diſſeritur de regnis & regionibus, Regi Por- 331.
tugalliæ ſubiectis. Concilia Bracarenſia enumerat, primordio ab a. 408. capto. Capite 13. exhibentur ſcriptores & ſcripta, 338.
quibus Luſitani hiſtoriam ſuam debent. Iniicitur inter hæc mentio de Manuſcriptis, librisque anonymis. Retinetur in librorum titulis lingua illa, in qua ſinguli fuerunt conſcripti. Nonnunquam notavit Gen. Auctor nonnihil ad librorum mentiones. Huius generis eſt illud, quod demonſtravit, 366.
opera Antonii Henriques Gomez in Luſitania legi per interdictum publicum non poſſe. Tomi poſterioris capita ſequuntur ordinem eundem, ſunt tamen paſſim copioſiora, magisque elaborata. Scriptis, capite poſtremo recenſitis, adnota-

Digitized by Google

tiones acceſſerunt ſæpius longiores, & pleræque olent lucer-
T. II. nam. Vitam Auguſtini Barboſæ, Iuriſconſultorum Principis
Pag. 365. quis non merito hic inter Luſitanos exquiret, propiusque noſcitare adlaborabit? Theologis volupe erit cognoſcere memoriam *Diogi de Paiva de Andrade*, Conimbricenſis, qui
358. Synodi Tridentinæ auctoritatem adverſus Martinum Chemnitium ivit vindicatum. Gratulamur Generoſiſſimo Equiti fructus itineris ſui per reliquas Europæ regiones auſpicato collectos, & feliciter collocatos, ſperantes, diligentiam ipſius præſtantiſſimam amori & honori bonarum litterarum ceſſuram, hominesque generoſos ſimili eruditionis ſtudio accenſuram eſſe.

THE HISTORY OF THE PURITANS,

i. e.

HISTORIA PURITANORUM, SIVE PROTEſtantium Nonconformiſtarum, Vol. IV. Auctore DANIELE NEAL, A. M.

Lond. 1738. 1. Alph. 19. pl.

Repræſentat volumen iſtud, cuius aliquam quaſi tabulam tibi, Lector, exhibemus, ea Britanniæ tempora, quibus, cum diſſentientium ab Anglicana Eccleſia proteſtantium malis, idem finis fuit. Quamquam enim ex eo tempore non ſine omni rerum difficilium querela eorum fuit ratio, atque inde a Guilielmo III. regnante vota ipſorum eventis nonnunquam caruerunt: tamen ex illo veluti puncto exordienda annorum computatio eſt, quibus legum de his latarum ſeveritas, & ſacra illa Clericorum adverſus eos vehementia deferbuit, omiſſa perſecutio, ſublatæ poenæ ſunt, mentiumque reſtituta libertas.

At enim, antequam ad ea ventum eſt, turbulentiſſima fuit reſp., atque is rerum ſtatus, hic quoque ut optent etiamnunc Britanni, ut excidat ævo eius memoria, ne poſtera norint ſecula. Quod enim uſu venire ſolet navi, quæ, coorta ſubito

ſubito tempeſtate, excuſſoque in mare gubernatore, permiſſa ventorum arbitrio, ſcopulis vago curſu illiditur, & tantum non ſubmerſa fluctibus, navalibus e mari ſervatis reficiendi ſui vix facit poteſtatem: id vero tum animadvertere datum eſt in Anglia, quæ, cæſo Rege, inteſtinis factionibus civium, nihil commune præter mutuas iras habentium, procerumque violentia ſatis diu vexata, vix ægre tandem in antiquam ſpeciem rurſus conformata eſt. Quod uti rite poſſit perſpici, id omnium primo memoria repetendum eſt lectoribus noſtris, quod ultimum in referendis rebus Vol. III. narravimus, Regem Carolum, paucorum ſcelere exſtinctum, inhonorato funere privatim humatum eſſe. Quod ut ne dubites, C. I.
ad regiam dignitatem in contemtum adducendam factum eſſe, inferioris curiæ Parlamenti ſolertia, (ſi quidem ea legitima curia eſt, quæ tertia ſui parte caret,) cautum eſt. Ea enim, quamprimum ſublatus erat Rex, exheredavit regium Principem, omnesque, qui Regem eum renuntiandum ducerent, in iis iuſſit habendos, qui læſæ maieſtatis eſſent rei. Præterea his quoque de rebus ſuffragia lata ſunt, ut inutilis curia ſuperior, graviſque ac periculoſa regia dignitas cenſeretur; libera eſſet reſpublica; conſtituerentur XL. viri, penes quos ſummum eſſet imperium, eſſetque eorum annua poteſtas; ſacramenta illa, quibus antea in obſequium Regis obſtringi conſuetum fuerat, proinde nulla eſſent; ſed in hunc fere modum iurarent quilibet: fidos ſe fore conſtitutæ, uti nunc eſſet, reipublicæ, ſine Rege, & ſine ſuperiori curia: quod iurandi genus *the Engagement* appellari ſolitum eſt.

Erant in exercitu non pauci, qui non excuſſum, ſed mutatum iugum eſſe rati, poſtulabant ab Senatoribus eius curiæ, ut domum diſcederent, quos hi per Cromwellium repreſſere. Capite plexi ſunt duo, qui duces ſe his præbuerant; ceteri diſperſi. Cumque inter hæc Scoti, miſſis in Belgium legatis, filio Caroli regnum ea lege offerrent, ut ſolemnis foederis ſe iure iurando obſtringeret; Cromwellius cum exercitu XIV millium in Hiberniam traiecit, ut ex ea parte potiſſimum tutæ res eſſent. Ibi brevi tempore locis munitiſſimis

mis captis, ad coercendas hoſtium reliquias Iretonum reliquit; ipſe in Angliam ad Scotos adoriendos rediit, a quibus iam propius impendebat periculum. Mira iam ſeſe prodebat ſtudiorum in omnibus rebus diverſitas. Cromwellius & Fairfax tolerationem omnium diſſentientium, exceptis Pontificiis, commendabant. Contra eam pronuntiabant Presbyteriani plerique, iidem novæ illi rationi adverſi, in quam compoſita nunc erat reſpublica, detrectabantque fidelitatis ſacramento obſtringi, quo ſemet adigi facile Sectariani patiebantur, atque huius rei cauſſa ſcriptis quoque diſceptabatur. Scoti per litteras Anglis ſe purgabant, paciſcebantur cum Rege, & hic etiam Anglorum Presbyterianorum cauſſam agebant, ad quos interea pro tempore ſacrorum cura in Anglia delata erat, ſublatis de diſſenſu in religione legibus.

Mox delectus a Scotis Rex Carolus, cum in ipſorum finibus adveniſſet, manu cum Cromwellio conſerta, fuſus fugatusque eſt, regnumque fere omne ab Anglo captum. Scoti nihilominus ſolemni ritu Rege inaugurato, copias ad invadendam Angliam colligunt, ubi, coniuratione Presbyterianorum quorundam, qui cum Scotis ac Rege faciebant, detecta, Rev. Love, qui earum partium princeps fuerat, capitis damnatus cecidit. Interea Rex, Cromwellio capiendis reliquis Scotorum urbibus intento, XVI. armatorum millibus ſtipatus in Angliam movet; is vero Lambertum præmittit, legatum ſuum, qui cum delectis equitibus tergo procedentis inhæreret, dum ipſe cum pedeſtribus copiis ſequeretur. Id quod paullo poſt accidit, relicto altero legato Monk, qui cum parte copiarum ea, quæ occupaverat ipſe in Scotia, tueretur. Pugnatum itaque eſt ad Vigoriam: fuſus Rex, eius IV. millia cæſa, capta ſeptem: ipſe vix ægre in Galliam effugit. Inde Monkius domitam Scotiam iungit reipublicæ Anglicanæ, res ſacras non niſi de voluntate Weſtmonaſterienſis curiæ procurandas iubet, liberamque eſſe cuique edicit in religionis ratione conſcientiam.

C. II.

Bello interea contra Belgas decreto, cum Cromwellius, ablatis ſuis ſibi copiis, (quibus velut exoneraturum ſeſe Parlamen-

tum

tum pro claſſiariis uti volebat,) nihil ſatis tutum ſibi proſpiciens, de ſententia ducum ſuorum negat ſe dimiſſurum exercitum, niſi illi univerſo ſtipendia ad aſſem numerarentur. Id factum inſecuta curiæ indignatio occaſionem dedit conſilio exercitus de immutanda reipublicæ forma. Diſcordia primo ſententiarum orta, mox ducum plerique Cromwellio regnum obtulerunt, titulumque regis, cui tamen ipſi Protectoris nomen magis placebat, ut invidiam ea re effugeret. Quod cum capere ſecum conſtituiſſet, progreſſus cum paucis ſuorum ad eum locum, ubi Parlamentum congregatum erat, principio quidem Senatores eius, mox eodem die etiam XL. viros reip. adminiſtrandæ ab his conſtitutos, diſcedere iubet; lecto ex copiarum ducibus concilio, ipſe rempublicam gerit; convocat delectos ex omni Britannia CXX. viros, cum quibus de republica conſtituenda deliberaret; ad ultimum a concilio ducum protector Britanniæ publice renuntiatus, & res civiles componit, &, quod ſpeciatim monendum eſt, Presbyterianis poteſtate, quæ ſatis eſſet, permiſſa, communem omnibus fore libertatem conſcientiæ, ſe rempublicam tenente, edicit.

His ita geſtis, foris bellum Belgicum componit, domi inimicos ſuos partim evitat conſilio, partim vi reprimit; delectos conſtituit, qui futuros ſacrorum miniſtros adcurate examinarent, noxios eiicerent, haberentque Academiarum & promovendæ Chriſtianæ doctrinæ curam. Inde vacuos in exercitu ducum locos ſupplet, foedereque cum Gallis facto, iam ab omnibus honoratus, terribilis hoſtibus, claſſe altera res repetit a Tuſciæ Duce, altera Hiſpanis Iamaicam, Mexicani maris inſulam, eripit. Vexatis etiam vallium, Italiam a Gallia dividentium, incolis, quos religionis cauſa eiecerat Dux Sabaudus, ſedes ſuas, quietemque, ſua auctoritate reſtituit, quæ etiam ad conſervandos Hugenotas, Nemauſi, Galliæ urbis, incolas, valuit. Circa idem tempus claſſis Hiſpanorum auro argentoque onuſta, aut capta, aut ſubmerſa: & Dunquerca urbs, ad mare Britannicum ſita, iisdemque ea tempeſtate ſubiecta, Anglorum armis ceſſit. Quibus rebus C. III.

Digitized by Google

bus cum apud exteros floreret fama, apud ſuos confirmaſſet ſibi poteſtatem, deficientibus ſenſim viribus, febre correptus obiit, natus annos undeſexaginta, d. 3 Sept. 1651, ipſo illo die, quo ter ante, ad Marſton-Moor, ad Dunbarum, & ad Vigorium, victor fuerat; vir rebus geſtis, quam genere, clarior, idem, ut fertur, & manu fortis, & callidus conſiliique plenus, animo & labore ingenti, par & armis hoſtium & inſidiis, qui & ſe ipſum in poteſtate haberet, & cupiditates aliorum ſcrutari apprime ſciret, magnificus & ſumtuoſus publice, privatim iucundus & civilis, proteſtantium ſacris addictus, ſed nullius in verba ſectæ iurans, libertatis omnium propugnator, moderatus in vita, caſtus, & liberalis; ceterum, quaſi Socraticus ἐνθουσιαστής, diſſimulator, gloriæque amantior.

C. IV. Hic moriens filium Richardum conſtituit, qui poſt ipſum teneret rempublicam. Is tamen, ut qui placido & ad privatam vitam aptiore natus eſſet ingenio, de voluntate exercitus Protectoris poteſtate ſe abdicavit. Reſumſit tum rerum habenas Parlamentum illud, ſub quo Rex Carolus ceciderat. Dum autem dimittere veteranum tentat exercitum, ab illo ipſum diſcedere coactum eſt. Iamque confuſa erant omnia. Regem revocaturi erant Presbyteriani: Monckius liberi Parlamenti cauſa e Scotia advolabat: reſtituebatur vetus Parlamentum ab eodem, qui exauctorarat, exercitu: & modo diſcordia partium erat, modo pax rurſum. Tandem reconciliatis inter ſe urbe, Parlamento, & ad ſpeciem etiam Monkio, Presbyteriani denuo aliquantiſper valebant, cum & reſpirarent Epiſcoporum reliquiæ, & Rex, quanquam verbo proteſtantem ſe profiteretur, puriora interim ſacra abiuraret. Eaque ſimulatione factum eſt, ut revocaret eum Parlamentum inconſultius credulum, & nec ſuæ auctoritati, nec ſacrorum rationi, nec limitandæ potentiæ Regis proſpiciens.

C. V. Tum vero caput rurſus extulere Epiſcopales, quos vocant: novi creati ſunt Epiſcopi; de expellendis Presbyterianis, actum eſt; hiſque interdictum, ſuo ritu publice ſacra facere. Ex quo tempore derivanda eſt, quæ ſequentibus tempori-

poribus fuit, proteſtantium Nonconformiſtarum perſecutio. Matrimonium inter hæc Rex iungit, Parlamentumque convocat. Sequitur Epiſcoporum, Presbyterianorumque, de pace C. VI.
inter ſe conſultatio, cui the Savoy-Conference apud populares nomen eſt. At nihil diſputando, ut ſæpe deinceps, effectum. Vexari iam paſſim Presbyteriani coepti ſunt, inſtaurari per Scotiam Hiberniamque Epiſcoporum ratio, irrepere Pontificii, luxuria occupare & aulam & populum, edictum illud celebre, quod the Act of Uniformity vocant, ſubſcribendum proponi, quo hæc requirebantur: uti Clerici ab Epiſcopis non inaugurati denuo inaugurarentur; uti in omnibus formulis, ritibus, ac cerimoniis, cum Epiſcoporum ratione ſe plane conſentire iurarent; uti canonicam, quam vulgo dicunt, obedientiam promitterent; abiurarent ſolemne foedus religionis cauſſa antea initum, declararentque, iniuſtum eſſe, ſi quis quacunque de cauſſa arma ſumat contra Principem. Inde proſcriptiones, exilia, vincula, fames, multæ, ludibria, ceteræ calamitates, quibus tum Puritani di- C. VII.
ripiebantur, ex hoc ipſo tempore Nonconformiſtæ appellati; quo nomine & Presbyteriani, & Independentes, & Anabaptiſtæ, & Tremuli comprehenduntur.

Supplicatum ſuper hæc Regi, ut remitteretur quodammodo ille rigor, idque ita obtentum eſt, ut ex æquo Rex Pontificiis faveret. Certum enim erat ei, aut cum Nonconformiſtis proteſtantibus & Pontificios ſuos ſervare, aut, ſine his, ne illis quidem ſalvi quidquam relinquere. Parlamentum autem nullo modo remittere de legum ſeveritate decreverat. Itaque cum paſſim orationes haberent in privatis ædibus Presbyteriani, Tremuli etiam publice concionarentur, conſtituti certi quidam homines, vexare hos delationibus, multis, bonorum direptionibus, coeperunt. Dumque foris bellum cum Belgis, in urbe contagio eſt, relegati ſunt Nonconformiſtæ ex urbibus pagisque omnibus, in quibus Epiſcopales eſſe ſolerent Clerici, illisque iniunctum, ut nunquam intra quintum a quoque eiusmodi loco milliarium conſiſterent. Exiguæ tamen inter hæc mala fuerunt quaſi in-

 duciæ,

Digitized by Google

duciæ, cum, urbe incendio abſumta, templisque combuſtis, domum pasſim concedentes Epiſcopales locum his docendi
C. VIII. populi darent. Optabat Rex tolerationem generalem, ſed obſtabat Parlamentum, eiusque animum cupiditatibus indulgentem facile auro redimebat. Irrita id faciebat conſilia de reconciliatione partium capta omnia, ac diſſentientium pro-
C. IX. movebat vexationem. Rex ſine legibus, iamque & ſine Parlamento, ſuo arbitrio deinceps imperare meditabatur. Ad Pontificios, quorum creſcebat quotidie numerus, Dux Eboracenſis, frater Regis, qui & regnavit poſt ipſum, transibat, & paullo poſt Mutinenſis Ducis filiam altero matrimonio ſibi iungebat. Neque ita multo poſt, cum, in ſua viſcera converſis Proteſtantibus, Pontificiis animus tanto magis in dies creſceret, quanto plus purioris doctrinæ creſcebant pericula, accidit meliori fortuna, ut bello altero, quod circa id tempus cum Belgis geſtum erat, compoſito, Maria, Eboracenſis Ducis maior natu filia, Arauſionenſi Principi nuberet.
C. X. Interiecto tempore impatientes moræ Pontificii, ac nimis cunctatorem ad ipſorum promovenda commoda Regem rati, ut partes ſuas tanto magis confirmarent per Angliam, huiusmodi conſilium ineunt: tolleretur e medio Rex, regnumque e manibus Pontificis Dux Eboracenſis acciperet; facinoris autem infamia ad Presbyterianos transferretur. Ita futurum, ut accenſis ira ceterorum animis, magna iſtorum pars cæderetur, eſſetque proinde univerſi proteſtantium numeri excidendi occaſio. Ea res tempeſtive detecta, cum excitaſſet e veterno Anglos, effeciſſetque, ut inhabiles ad gerendum ullum munus publicum Pontificii cenſerentur; prætereaque, dimiſſo Rex Parlamento, ſuo iudicio in rebus gerendis uteretur: adire quidam Carolum importunis precibus, ut alium e populo ſenatum convocaret; id improbare alii, ac Regis relinquere omnia arbitrio; partes petentium (the Petitioners,) abhorrentiumque (the Abhorrers) vocabulis diſtingui: quæ poſtmodo ita immutata ſunt, ut illi quidem Whigs, hi Torys appellari coepti ſint. Inde multiplex Nonconformiſtarum calamitas ſecuta eſt, ſecuta vincula, proſcriptiones,
quo-

Digitized by Google

quorundam etiam cædes. In Scotis adhibita ſeveritas ſeditioni anſam præbuit. Ea ſedata, mors Regis ſupervenit, principis miti a natura & tractabili ingenio, ſed luxuria corrupto, præditi, cui eſſet & viventi religionis fideique parum, & morienti poenitudinis. Exſtinctus eſt Carolus II. anno C.N. 1684. d. 6 Febr.

Succeſſit mortuo Iacobus frater. Is cum per ſe in Nonconformiſtas eſſet ſeverior, Monumetenſis Ducis ſeditione plane exacerbatus in eos eſt. His tamen poſtea non contemnendam libertatis partem dedit, ubi, multo favore Pontificiis facto, Epiſcopales ſibi inimicos reddidiſſet. Ad ultimum quoque, legibus adverſum Non-conformiſtas latis omnibus plane abrogatis, iraque omni in Epiſcopales converſa, ut quidque libitum eſt, illis bona reſtituit, iſtos vexavit; libertatem religionis omnibus propoſuit. Itaque nec illis ſatis ipſi confidentibus, & iſtis abalienatis, ac Nonconformiſtarum auxilium ſpe mutuorum beneficiorum implorantibus, cum pro ſua libidine Rex omnia faceret, ea ſecuta ſunt, quæ minime grata ipſi eſſe potuerunt. Vocatus enim in regnum Arauſionenſis Dux, Guilielmus, Regis gener, cum cuncta in peius quotidie ruentia proſpiceret, doluſque ſuppoſititii partus Reginæ, ſterilis adhuc creditæ, ſuboleret, claſſe ad Torbay appulſa, Iacobum ad relinquendum regnum coegit, oblatumque ſibi accepit imperium. Ab hoc in Scotia Epiſcoporum ratio iterum abrogata eſt, ac per Angliam libertas Nonconformiſtis data, in quos tamen ingrati Epiſcopales, officiique pæne immemores fuerunt: ut qui & hoc vivo in invidiam eos adducere conati, & mortuo, Reginæ Annæ ingenio contra illos abuti auſi ſint. Illi tamen inde a Georgio I. regnante conciliatiorem experti fortunam, perſecutionis ſuæ tandem aliquando viderunt finem, & nunc, poſt exhauſta tot mala, veluti prolatis rebus, placide feriantur. Ea ſumma eſt operis, cuius ſeriem his paginis comprehendendam nobis ſumſeramus. Fecit eius cenſionem Zacharias Grey, ICtus; qui librum ea de re ſcriptum Londini edidit. In quo hæc fere dicuntur: Auctorem nimis & Cromwellio favere, & Parla-

C. XI. (margin, beside "Succeſſit mortuo Iacobus frater")

C. XII. (margin, beside "Vocatus enim in regnum Arauſionenſis Dux")

mento; generatim in deſcribendis præcipuorum hominum perſonis cauſſæ inſervire ſuæ: & alibi quoque in rerum commemoratione nonnunquam errare. Sed nec de hoc plura dicere noſtri eſt inſtituti, & liberum de utriuſque ratione lectoribus relictum eſſe volumus iudicium.

THE SATIRES OF IUVENAL TRANSLATED.

i. e.

IUVENALIS SATYRAE, CUM TRANSLATIONE Anglica & annotationibus, quibus ea, quae ad Graecas Romanasque antiquitates pertinent, explanantur.

Londini, ap. D. Browne, 1739. 8 mai.
1 Alph. 4 pl.

Etſi multos videas, in inſtitutione iuvenilis ætatis verſantes, qui in lectione veterum a commentariis tirones avocant, ipſisque ſimplices potiſſimum editiones librorum, ac nihil alieni habentes, ad uſum quotidianum aut commendant, aut etiam procurant: non tamen hi id agere putandi ſunt, ut, quicquid eſt ſubſidii ad intelligendos Auctores a doctis paratum, e manibus diſcipulorum eripiant, eosque in rerum multarum ignoratione, tanquam caligine, verſantes, ſine ſenſu & intelligentia libros percurrere quidem, ſed ſententias, ut ita dicam, prætervehi velint. Hoc enim ſi intenderent, ne illi non levius deſiperent eo, qui aqua flammam alere laboraret. Sed ſalva res eſt. Neque enim aliud habent ſibi propoſitum viri prudentiſſimi, niſi ut ingenia tironum, auctoritate vulgo duci ſolita, &, ut ſumus pueri, ſic res probantia & reiicientia, prout ab aliis aut commendatas, aut contemtas viderint, avocent a ſervitute & ignavia, ac, quod liberalius honeſtiusque ſit, ſuo ipſorum iudicio, & uti, & ſtare doceant, iisque expeditam in legendo diligentiam inculcent. Quod optimum profecto iſtorum conſilium eſt. Facit enim iuvenes ad coniiciendum callidos, ad iudicandum non

minus

Digitized by Google

minus promtos, quam providos, cautos ad aſſentiendum, ſtrenuos ad res agendas omnes; inprimisque cavet, ne neſcio qua opinione ſolertiæ decepti, uni libello totidem annis, quot Ilio Græci, aſſideant. Cæterum, non penitus magiſtri illi improbant, quæ a nonnullis ad illuſtrationem rerum & verborum in bonis Auctoribus comparata ac congeſta ſunt; ſed tum ipſi ea ſtudioſe legunt, tum etiam diſcipulis, quæ expedire videntur, frequenter ex ea penu promunt. Neque inficiabuntur, credo, iidem, eſſe, ubi annotationibus quibusdam aut commentariis, aut quocunque nomine id laboris genus appellare libet, commode carere non poſſit. Sæpe enim, ſi te tironem, eumque & magiſtro & libris aliis deſtitutum fingas, quod non raro accidit, unicum in his auxilium eſt. Tum enim non, ut hæreas in loco aſpero ac difficili, ſed ut celerius expediare, efficiunt. Eaque ſine dubio cauſſa permotus, videtur hic etiam Anglus laborem ſuum exorſus eſſe, qui huius loci paucis verbis attingendi nobis occaſionem dedit. Illum intelligimus, qui Iuvenalis Satyras, Anglice a ſe converſas, & annotationibus Anglicis ornatas, ſimul cum Latino textu civibus ante aliquod tempus dedit. A quo libro, ut ſciant lectores, quid exſpectare debeant, nunc curandum eſt. Itaque poſt paginam primam ac ſecundam, quarum illa, more nonnullorum, non niſi nomen libri, *Iuvenals Satires translated*, hæc librorum quorundam apud D. Browne venalium catalogum exhibet, tertia ſequitur, quæ paullo ampliorem titulum habet. Inde præfatio eſt, huius fere argumenti: excellentem eſſe Auctorem, & omnino dignum ea admiratione, in qua apud doctos omnes ad noſtram uſque ætatem fuerit. Satiras enim eius ſic contra vitia ſui temporis declamare, ut de his nihil reliquiſſe indictum videantur; ſicque plane eſſe comparatas, ut perfectam, non eius doctrinæ ſolum, quæ de moribus eſt, ſed Philoſophiæ fere omnis, complexionem appellare poſſis. Quo factum eſſe, ut, qui poſterioribus ſeculis ad idem ſcribendi genus ſeſe applicuiſſent, magna ex parte veſtigiis Iuvenalis inſiſterent, eumque ducem ſequerentur. Sed adire eum, atque admirari, nonniſi his fere e ſuis civibus

Digitized by Google

adhuc licuiſſe, qui ampliori inſtructi eſſent doctrina. Nam eſſe quidem optimi Auctoris translationes, ſed non optimas, ipſoque admodum dignas eſſe. Itaque Stapyltonum ſic eſſe inſipidum, ut legi non poſſit; Holydaium vero adeo barbarum, ut non intelligi; denique Drydenum, eleganti quidem carmine, non Iuvenalis ſententias, ſed ſuas, exhibuiſſe. Quare ſe, veritum, ne quid ſimile ſibi eveniret, pedeſtri ſtilo legibusque carminis ſoluto, ſcriptorem convertiſſe ſic, ut non ſeminis minus, quam viris, eius legendi intelligendique perinde ſit poteſtas. Eoque forſitan ſervori quidem elegantiæque eius deceſſiſſe aliquid, ſententiam autem ac propoſitum hoc apertius patere. Quod autem quidam, qui pudoris in hoc volunt rationem haberi, integrum Iuvenalem non cuicunque, omnium minime feminarum oculis auribusque, offerendum eſſe cenſent; his quoque non obſcure eſt ab Auctore reſponſum. Equidem ſatis innuit, aut ſcribendam eſſe in vitia ſuorum civium Satyram, aut, ſi qua ab antiquis ſcripta haberi poſſit, in manus tradendam. Quorum cum poſterius fieri potuerit, tanquam lenius remedium adhibendum fuiſſe. Atque hæc de his dicta ſint. Iam poſt illa expoſita, quæ, de vita Iuvenalis, (de qua ſentiunt alii aliter,) tradenda putavit, Satyræ ipſæ lectoribus offeruntur. Quæ, quod ad faciem externam attinet, ſic ſunt diſpoſitæ, ut textum Anglicum, cum ſubiectis annotationibus dextra exhibeat pagina, ſiniſtra Latinorum verſuum tantum, quantum in dextra Anglice expreſſum eſt. Quod aut ſub his verſibus ſupereſt ſpatium, id, operarum, (ut putamus,) inepto conſilio, vacuum ubique conſpicitur. In ipſa vero verſione, atque annotationibus, multum diligentiæ adhibitum eſſe, res ipſa oſtendit. Neque id ſucceſſu caruit. Nobis enim iudicibus, ſi non ubique, certe plurimis in locis, Latina Auctoris verba cum accurate, tum clare, in verſione expreſſa ſunt: prætereaque data eſt opera, ut, quæ liberius ille dixit, Anglica dictione ſubinde emollirentur. Neque tamen ita ſibi interpres perplacet, ut humani aliquid neget accidere ſibi potuiſſe, ac nullibi a ſe erratum eſſe contendat; ut qui probe ſciat, in quam difficili, & interdum pa-

rum

rum lucis habente opere, fuerit verſandum. Quæ modeſtia cum per ſe laude dignisſima ſit, tum nobis ſpem fecit, fore, ut non moleſte legat homo æquisſimus nonnulla eorum, quæ tanquam ipſe in his minus bene aut verum viderit, aut rem expreſſerit, in legendo pasſim a nobis notata ſunt, poſſentque forte, uti cenſuræ quorundam, ſic aliorum locum dare errori.

Itaque, Satyra I. p. 8. verſum Iuvenalis:

Quo tondente gravis juveni mihi barba ſonabat,

Sic tranſtulit: *woſe Sciſſars ſnip'd my youthfull Beard grown ſomewhat long.* Quod, ſi Latine reddas, eam habet ſententiam: cuius forpex iuvenilem meam barbam, ubi longius ea procreviſſet, detondebat. Neque tamen, ubi poeticum abſtuleris ornatum, quicquam dicit Iuvenalis, niſi ſe olim eo tonſore, quod contemtum Romæ hominum genus erat, uſum eſſe; nec, niſi verſus cauſſa, ſonum novaculæ, pro qua forpicem interpres fecit, commemorat. Quare ſatis erit, ſi reddideris: *who was my Barber,* aut, *barbed me in my Touth.*

Eadem pag. 8. in verbis Poetæ:

— — *Nam quis iniquae*
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat ſe?

manifeſto omnia alia ſunt, quam quæ Interpres habet. Quæſo enim, an dicit Iuvenalis, neminem eſſe tam ferro conſtrictum, ut poſſit a fuga peſſimæ urbis retineri? Non, credo. Sed tamen Anglice ita hæc redduntur: *Where's the Man, ſo unconcern'd in this Licentious Town, ſo ribb'd with Iron, to be reſtrain'd from flying out?* Planum autem perſpicuumque eſt, ex ipſa verborum comprehenſione atque nexu, hanc eſſe Iuvenalis ſententiam: Cum ea Romæ fiant, (quæ ſcilicet ipſe dixerat,) difficile eſſe Satyram non ſcribere; nam ea verba immediate præcedunt. Neminem enim tam omnium vitiorum patientem eſſe, tamque nihil re ulla moveri, ut ab indignatione ac ſcribenda Satyra continere ſe poſſit. Nos itaque, bona cum pace interpretis, ſi convertimus verba Iunii: *For who is ſo un concern'd at the Vices of the Town, and of ſo exceſſive an Indifferency, as to contain himſelf (from Indignation and Writing Satires?)*

Deinde

Deinde ut Sat. III. p. 58. verba Latina,

— — *Me nemo miniſtro*

Fur erit,

non bene redduntur Anglicis: *I'll not be the Receiver;* ſic Sat. VI. p. 130, ubi Iuvenalis de impotente ſui femina pronuntiat:

— — *Veſicae non imperat,*

ab interprete tantum dicitur: *She can't contain herſelf.* quanquam & alio loco, p. 160, *cuſtodem vitis & horti,* in verſione deſideret. Scimus, in his rebus eloquendis interpretem voluiſſe verbis præferre pudorem. Sed hæc, curare decet, quominus horrida & cruda videantur; tacere autem, interpretem non decet, eum inprimis, qui alias, quæ breviter ab auctore, aut obiter etiam, dicta eſſent, multorum verborum explicatione amplificarit. Sic enim afferri poſſet locus de Sat. I. p. 18, ubi Iuvenalis in verſu,

— — *& gemma fecerat uda,*

obiter, &, ut ſolent Poetæ, plenioris deſcriptionis cauſſa, gemmam udam appellat; interpretatio autem, quamvis proſa, neque hoc omittit, & inſuper etiam rationem addit: *apply the Seal firſt wet, to make the Impreſſion beautifull,* i. e. ut hoc elegantius ſignum exprimeretur. Eodemque pertinet, quod Sat. VI. p. 164. dicitur.

— — *& aperta palluit agna.*

Ut enim ſciatur, veritam palluiſſe mulierculam, ne triſtia eſſent exta, ſic ab interprete proviſum eſt, *and grew pale as the Lamb was opening by the Southſayer, leſt the Tokens should prove unfortunate.* Sed ad alia pergendum eſt.

Eadem enim Satyra, p. 130. quærit Poeta:

— — *Cuneis an habent ſpectacula totis,*

Quod ſecurus ames?

Neque vero, ſi vel orcheſtra nobis obiiciatur, ea rem conficit. Idque Anglice ſic expreſſum eſt: *Can the Boxes, Pit or Gallery afford one thet you may place your Love upon it with Safety?* In quo ego addubito, an, ut nos hodie, ſic olim Romani quoque, theatrorum loca, & ſtructuræ modo, & uſu

uſu, in *Loges, Parterre, & Gallerie,* (eſt enim, quod Latine neſcio, Gallice exponendum,) diſtinxerint. Cauſſam dubitationis iuſtam, vel a ſola lege Roſcia affero, qua ſancitum erat, ne quis, niſi eques Romanus, qui poſſideret HS quadraginta, intra XIV. theatri gradum conſideret. Quod ſi enim *les Loges* tantum nuncupandæ fuerunt, a quibus abſtineret plebs, cur gradus numerari homo mirus iusſit?

Eadem Satyra, p. 144.

— — *ut ſe tibi ſemper*

Imputet,

Anglice ſic legitur: *for which ſhe muſt domineer over you all the Days of her Life.* Mihi autem cum ſic videantur, ſalva quidem auctoritate doctiorum, commutari latina poſſe: ut quotidie, qualem habeas feminam, aut etiam, qui ſis per illam, obiiciat: crederem non inepte utrumque ita exprimi, *for which ſhe muſt obiect you every Day, what valuable and precious a Piece of Wife you are poſſeſs'd of in her Perſon.* Sed hæc ſtrictius & acutius Angli: nos ultra ſenſum ſignificandum ſapere nolumus. Omnino autem ſenſus turbatur, ſi, pro *ſe inputet,* quaſi *imperet* faciamus, quod maxime per *to domineer* denotatur.

P. 154. neſcio ego, num adulteræ illud, *Homo ſum,* ſatis explicatum perſpicuumque futurum ſit lectoribus Anglis, latinarum inprimis litterarum ignaris, ſi ſibi tantum verbis a cive ſuo adhibitis dicatur. Hic enim ſic habet: Homo, *is a Name common to both.* Quæ loquendi ratio nec ad perſonam procacis moechæ ſuſtinendam, neque ad iuvandam legentis coniecturam, accommodata eſt. Iam quando non verba curamus, ſed ſenſum quærimus, qui hic eſt: humani id eſſe aliquid, i. e. ni fallor, commune cum pluribus, ac leve peccatum: non abſurdus, puto, fueris, ſi, quanquam id quoque laxius, converteris hoc modo: *Yet 'tis a little Fault, and deſerves no ſuch Cry's like a Thing unhear'd of a mony Mankind.*

Pag. autem 166, duo verſus:

Dicit, quis viduam praegnantem fecerit, & quo

Menſe, quibus verbis concumbat quaeque, modis quot,

Digitized by Google

hi igitur duo verſus manifeſto laborant in verſione, quæ hæc eſt: *She can tell, who got the Widow with Child, the very Month, how oft, and what ſhe ſaid.* Nam poſtrema & aliud quodammodo dicunt apud Auctorem, & ne pertinent quidem ad viduam. Itaque aut ſic reddendum eſt, quod ſenſit Auctor, & per ſe latine ſatis planum eſt: — *who got the Widow with Child, and in what Month it happened;* ſi ad priora trahas, & quo menſe: aut etiam ſic diſtinguendum: — — *with Child; and knows to expound, in what Month, with what a Talks, and in how many a Manners every Woman is careſſ'd.*

Hæc de verſione ſatis ſunto: ex annotationibus iam pauca decerpamus. Itaque ad verba Deciana Satyræ VI. p. 160.

— — *quam ſint duo Caeſaris Anticatones,*

(quæ ſunt a Britanno ſic reddita: *than the Compaſſ of the two Books writ by* Iulius Cæſar, *call'd* Anticato's, *rolled together;)* littera *n* hæc commentatur: *Caeſar to reflect upon the Memory of* Cato maior *that was dead, wrobe two Books, which he called* Anticato's; *and when they were rolled up in the Form of a Cylinder, as all Books then were, they made a conſiderable Bulk.* Eſt autem omnino falſum, & nullo modo ſpeciem veri inducere poteſt, a Cæſare de Catone maiore, quod huc pertineat, conſcriptum eſſe quicquam. Scripſit quidem Cæſar de Catone, ſed alio, prætorio ſcilicet, M. Catonis, tribuni plebis e M. Catone Saloniano nati, filio, qui dictus eſt Uticenſis, & a Catone illo maiore, Cenſorio viro, Scipionis Africani æquali, quantum a proavo poteſt pronepos, tantum differt. Res enim ſic habet. Biennio circiter, ut computant, ante, quam Attici conſolandi cauſſa Catonem maiorem edidit Cicero, quem eius de Senectute librum etiam nunc habemus, idem alium Catonem ſcripſit, bello Cæſaris Africano confecto, qui etiam laus, ſive laudatio M. Catonis appellatus eſt. Atque hic quidem liber de altero illo Catone agit, qui paullo ante, quam hæc laudatio a Cicerone ſcripta eſt, mortem ſibi Uticæ conſcivit. Iam vituperatio Cæſaris non contra alium Ciceronis Catonem directa fuiſſe poteſt, aut, ſi quidem Ciceroni ipſi credimus, directa fuit, quam cuius

cuius tum exſtabat laudatio a Tullio perſcripta. Ex quo apparet, Cæſaris Anticatonem, ſive Anticatones (duo enim libros fecit,) non ad Catonis maioris memoriam commaculandam pertinuiſſe, ſed minoris vitia, etſi cum laudibus maximis Ciceronis, ut ipſe ait, taxaviſſe. Idque nullo modo dubium eſſe poteſt ſcriptores evolventi, quos Fabricius Marcoduranus, in hiſtoria Ciceronis, de ea re diligenter collegit; niſi quod e Gellio ſic quædam excerpſit, ut induci aliquis poſſit ad credendum, quod ibi reprehenditur, nempe Catonem Uticenſem a patre M. Catone, nepote Cenſorii eo fuiſſe, qui cum Q. Marcio Rege, id eſt A. V. C. 631. aut 32, conſul fuit.

Ad eandem Satyram, ubi p. 180. Iuvenalis:

— — *quoniam Delphis oracula ceſſant,*

hæc notata lit. *h.* legimus: *It is ſaid, the Oracle of Apollo at Delphos was ſilented at the Birth of Chriſt.* i. e. Dicitur oraculum Apollinis Delphici Chriſto naſcente obmutuiſſe. Et dictum id quidem eſt, ſed pie magis, quam docte, dictum. Nam multo ante Pythia tacere coeperat. Quod ſi nulla alia re conſtaret; conſtat autem plurimis certiſſimis documentis: tamen vel uno Ciceronis loco, qui libro de Divinatione II. exſtat, conficeretur. Ibi enim: *Sed, quod caput eſt, inquit, cur iſto modo iam oracula Delphis non eduntur; non modo noſtra aetate, ſed* IAM DIU, *iam ut nihil poſſit eſſe contemtius*? Idque IAM DIU paullo ante ſtrictius quoque definierat hoc modo: *Praeterea Pyrrhi temporibus iam Apollo verſus facere deſierat.* Quorum verborum auctoritate etiam Minucius Felix aliquando uſus eſt. C. 57.

Sat. XIII. p. 345 littera z. ſic habet: *The Pygmies were a People of Thrace, not much above a Foot high, who had continual War with the Cranes.* In quibus verbis non unum eſt, quod poſſit notari. Sed breviter agemus. Eſt enim ad finem properandum. Non deeſſe autem interpreti omne, in hoc quod aſſerit, fundamentum, credimus nos quidem, ſed an ſatis tutum ſit, & maiori parte auctorum firmatum, qui Pygmæorum mentionem fecerunt, (quorum nubem Walchius ad Ov. Me- tam. VI. 90.

chius collegit,) valde dubitamus. Certe e Iuvenalis verbis, nec, cum ad *Thracum volucres* dicit *Pygmaeum currere*, elici poteſt, Pygmæos populum fuiſſe, aut fictum eſſe Thraciæ, nec inde, quod imminuendi cauſſa idem habet,

— — *tota cohors pede non eſt altior uno,*

neceſſarie conſequitur, hanc veriſſimam accuratiſſimamque eſſe eorum menſuram. Dicunt enim alii aliud. Sed priori quidem illi propoſito repugnant etiam Homerici verſus, ex Iliadis tertio, quorum hæc eſt ſententia:

Utque gruum eſt ſonitus pertendens aethere vaſto,
Cum fugiunt hiemes atque imbrica tempora brumae,
Et trans Oceanum cedunt clangore volucres,
Pygmaeoque ferunt caedes ac fata popello.

Itaque aut non valet Homeri auctoritas, aut Thraces genere habitos eſſe Pygmæos, negandum eſt; quandoquidem, ſecundum illum, Thraciæ tempeſtatibus fuga evitatis, trans mare ad eos debellandos Threiciæ grues venerunt. Utrumque autem, & patriam hanc Pygmæorum, & ſtaturam pedalem, convellit id, quod Gellius de his traditum refert, cum dicit: *Iidem illi Scriptores gentem eſſe aiunt apud extrema Indiae, corporibus hirtis, & avium ritu plumantibus, nullo cibatu veſcentem, ſed ſpiritu florum naribus hauſto victitantem. Pygmaeos quoque haud longe ab iis naſci: quorum qui longiſſimi ſunt, non longiores eſſe, quam pedes duos & quadrantem.* Plura de his non addimus. Id tamen commemorare iuvabit, quod hic generatim de interpretis noſtri more loquendi iudicare memini homines non imprudentes, cum dicerent, de rebus fabuloſis ſic loqui, tanquam vere ita geſtæ eſſent, ut fictæ ſunt, atque, ut in re ſeria, determinate concluſeque dicere, hoc factum eſt: id vero vel maxime eo comparatum eſſe, ut narratiunculis eiusmodi, eadem vultus ſeveritate factis, qua folium Sibyllæ recites, in errorem adducerentur ingenia hebetiora, atque ad iſtas ineptias arripiendas per ſe ſatis credula. Atque omnino egomet ipſe veriſſime dicere poſſum, me recordari hominis eiusmodi ſermonem, quo ille, etſi ſaniora ab eius ætate expectaſſes, tamen, quia fabulas plane

l. IX. c. 4.

Digitized by Google

plane ſic, ut divina myſteria, narrari audierat, etiam per animum iurans confirmabat mihi rem, ut putabat, vix de ſe credibilem, quæ erat, ſe multa eorum, quæ eſſent apud Mythologos, pro non verisſimis habere. Sed de ea re, ut cuique videbitur, ita per nos iudicet.

De fine Satyræ XV. p. 400. cuius hæc verba ſunt:

Pythagoras, cunctis animalibus abſtinuit qui
Tanquam homine, ac ventri indulſit non omne legumen,

prolixa eſt apud interpretem annotatio, qua primo & Pythagoram, & Pythagoreos, a fabis abſtinuiſſe, non dubitanter aſſeritur; deinde commemoratur, quod de Crotoniate quodam Pythagoreo, eiusque uxore, apud Iamblichum exſtat exemplum, qui ad Dionyſium iuniorem arceſſiti moveri non potuerunt, ut arcanas diſciplinæ illius ſuæ cauſſas proderent; denique tanquam veriſimillima eius abſtinentiæ ratio proponitur ea, quod apud Ægyptios ſacerdotes, a quibus acceperit inſtituta Pythagoras, fabarum ullum uſum facere nefas fuerit. Poteſtne autem, quod ad hoc poſtremum attinet, probabiliter dici de Philoſopho, quicquam eſſe ab ipſo inter ſanctiſſima diſciplinæ ſuæ myſteria relatum, haud alia de cauſſa, quam quod id ita vidiſſet factitari ab aliis? Aut quomodo poteſt quantumcunque in hoc inſanierint Pythagoræi, de Pythagora ipſo, ſine novis iisque certiſſimis documentis, ſic pronuntiari? ut in vulgus ſparſam eius abſtinentiam rem eſſe verisſimam putes, quæ niſi etiam falſa eſt, profecto apud hominem cautum magnam dubitationem habere debet. Nolo hæc explicatius ipſe proponere, ſed cauſſam pro me dicere volo eundem, quem & ante citavi, A. Gellium. Cuius adſcribam, rei breviter conficiendæ cauſſa, pluſculum: quo & hoc appareat, non argutiis, aut captionibus, uti rationem noſtram; & ſimul lectoribus conſulatur, qui forte, dum hæc legunt, in promtu Gellii librum non habent. Verba autem hæc l. IV. c. 11. ſunt: *Opinio vetus falſa occupavit & invaluit, Pythagoram philoſophum non eſitaviſſe ex animalibus: item abſtinuiſſe a fabulo, quem κύαμον Graeci appellant. Ex hac opinione Callimachus ſcripſit:*

 Καὶ

Digitized by Google

Καὶ κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχειν δνιάντων ἔδεσθαι
Κἀγὼ, Πυθαγόρας ὡς ἐκέλευε, λέγω.

Ex eadem item opinione M. Cicero in libro de divinatione I. haec verba poſuit: iubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, ut nihil ſit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne faba veſcerentur, quae res habet inflationem magnam. Is cibus, tranquillitatem mentis quaerentibus, conſtat eſſe contrarius. Haec quidem M. Cicero. Sed Ariſtoxenus muſicus, vir litterarum veterum diligentiſſimus, Ariſtotelis philoſophi auditor, in libro, quem de Pythagora reliquit, nullo ſaepius legumento Pythagoram dicit uſum, quam fabis: quum is cibus & ſubduceret ſenſim alvum, & laevigaret. Verba iſta Ariſtoxeni ſubſcripſi: Πυθαγόρας δὲ τῶν ὀσπρίων μάλιστα τὸν κύαμον ἐδοκίμασε, λίαν κινητικὸν γὰρ εἶναι, καὶ διαφορητικόν. διὸ καὶ μάλιστα κέχρηται αὐτῷ. *Porculis quoque minuſculis & haedis tenerioribus victitaſſe, idem Ariſtoxenus refert. Quam rem videtur cognoviſſe ex Xenophilo Pythagorico, familiari ſuo, & ex quibusdam aliis natu maioribus, qui ab aetate Pythagorae haud multum aberant. Ac de animalibus Alexis etiam poeta, in comoedia, quae vita Pythagorae inſcribitur, docet. Videtur autem de* κυάμῳ *non eſitato cauſſam erroris fuiſſe, quia in Empedoclis carmine, qui diſciplinas Pythagorae ſecutus eſt, verſus hic invenitur:*

Δειλοὶ πάνδειλοι κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι.

Opinati enim ſunt plerique, κύαμον *legumentum vulgo dici. Sed qui diligentius ſcitiusque carmina Empedoclis arbitrati ſunt,* κυάμους *hoc loco teſticulos ſignificare dicunt; eosque, more Pythagorae, operte atque ſymbolice* κυάμους *appellatos, quod ſunt* εἰς τὸ κυεῖν δεινοὶ καὶ αἴτιοι τοῦ κυεῖν. *Idcirco Empedoclem verſu iſto non a fabulo edendo, ſed a rei venereae proluvio, voluiſſe homines deducere.* Reliqua, qui volet, apud ipſum Gellium legat. Nos ad hæc nihil, niſi ut obſervemus, verba Q.

c. 30. Ciceronis & M. fratris, libro citato, in Ciceronianis exemplaribus paullo aliter eſſe poſita. Extrema enim ſic ibi leguntur: *quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis,*

vera

Digitized by Google

vera quaerenti, contrariam. Ac de Pythagoricorum quidem inſtitutorum ratione, quid certum, quid incertum ſit habendum, ex his ſatis, puto, apparet. Quæcunque autem adhuc de his rebus ſunt dicta, hæc omnia non eo a nobis in medium allata exiſtimari debent, ut incommodemus interpreti, aut laudi eius induſtriæ conſulto detrahamus; ſed ita comparata ſunt, ut officii ſui, id eſt, cautionis, admoneantur lectores. Quibus nihilominus, ſi ſapiant, ut iucundus, ita non inutilis hic liber in multis eſſe poteſt.

GERARD IQUAGLIA, MEDICI NEAPOLITANI, in Academia Salernitana Lectoris Phyſicae ac Geometriae, de Venae Sectionis uſu, pro medicina facienda, diſſertatio.

Neapoli, 1744. 8. plag. 13.

Magna eſt Auctorum, atque ipſorum, cum morbos curant, Medicorum, circa Venæſectionis modos & tempora diſſenſio: quibusdam ſanguinem fere in omni febre, etiamſi debilis eſt, etiamſi provectior illa iam eſt, detrahentibus; aliis ſanguinis effuſionem plus iuſto extimeſcentibus, putantibusque, ſine virium iactura, quarum tamen ad morbos ſuperandos magna ſit neceſſitas, aperiri venam non poſſe. Igitur, cum de Venæſectione oborta eſſet diſputatio, Clariſſimus Auctor, quid de heroico iſthoc auxilio, in quo facilis omnino error eſt, ſentiendum ſit, exponit. In omnibus morbis, quo tempore, in quo homine, quibus motibus naturæ abſentibus, vel præſentibus, magnum aliquod auxilium tentari debeat, diſpiciendum eſt ſedulo. Neutiquam ergo convenit ſanguinem ſubducere, cum febris aliqua iam adolevit, æger ex ſymptomatum caterva fractus eſt, & ſpontaneæ aliquæ, quæ ex natura morbi fluunt, excretiones, eandem ſolvere poſſe viſæ, iam comparent. Certe, ut virum ingenuum decet, arbitratus eſt Clarus Auctor, quando in aliquo febris exemplo, cum de vena ſecanda ambigeretur, *die ſeptima, qua ſanguinem quidam detrahendum putabat, quum vires proiectae eſſent,*

eſſent, frigidus ſudor per collum & frontem deſiliret, perque alvum ductam ſubtilis materia exturbaretur, venae ſectione aegrum interfectum iri, exiſtimavit. Eo autem maior futura erat temeritas in illo caſu, qui ſcriptionis argumentum eſt, ſi venam incidere voluiſſet homini, nulla motus ſanguinis auctioris ſigna oſtendenti, & pulſum habenti rarum ac parvum: quo in caſu vis vitæ augenda potius, quam imminuenda evacuantium uſu erat. Non enim intelligi poteſt, quid commoditatis habiturus ſit ægrotus ſubducto ſanguine, cuius motor ad coctionem humoribus præſtandam intra febrem haud ſufficit. Omnes certe auctores, quibus aliqua fides eſt, in eo conſpirant, quod ad virium præſentiam, in omni evacuantium, maxime autem venæſectionis uſu, reſpiciendum ſit. Ceteroquin nulla febris eſt, quin venæſectionem toleret, ſi ad conditiones generales, ſub quibus venam ſecare integrum eſt, Medicus reſpexerit; ut ne in peſte quidem ipſa, ſub initium febris, venæſectionem Celeberrimi Auctores detrectaverint, maxime cum affectus comatoſi intercurrerent. Omnium autem minimus venæſectionis uſus in præſenti caſu eſſe poterat, cum diarrhoea, ſeptimo die apparens, cauſſæ intra primas vias hærentis ſignificationem ederet. Non enim niſi ſanguinis viis opportuna eſt venæſectio, maiores tubos nihil attinet, niſi ſi illi ex inflammatione laborant. Ne autem ab omni venæſectionis uſu alienus videretur Auctor noſter, leges paſſim ſtabilit, iuxta quas ſanguinem mitti oporteat: ſi dolor fixus in aliqua parte cum febre eſt; ſi ſpaſmi urgent; ſi ſanguinis iter per aliquod viſcus impeditum fuit; ſique febris ipſa ex natura plethoræ eſt. Etiamſi autem Clariſſimus Auctor ſuam contra cenſorem ſententiam maſcule defendit, modeſte tamen ubique, & erudite, controvertit.

DISSERTATIONES DUAE, DE FEBRIBUS una, altera de Succo Nervorum. Cl. Medicis Neapolitanis.

Romæ, 1740. expenſis Benardini Geſſari.

plag. 4.

Prima

Prima, quæ theoriam febris ſiſtit, ſuccincta quidem, ſed ponderoſa eſt, quantum ad argumentum, expoſitio. Ignotus enim Auctor, etiamſi legum mechanicarum, quibus vivimus, ſit peritiſſimus, & tota ſcriptiuncula ad demonſtrationum rigorem exactiſſime ſit compoſita; ex machina tamen ſola febrium theoriam ſiſti poſſe negat, & motus ipſos febriles ab anima noſtra rationali excitari affirmat; ut propterea pnevmaticorum ſchola cauſſæ ſuæ patronum hic inventura ſit. Ille quidem Clariſſimus Auctor non eſt, qui omnes conditiones machinæ in febre abeſſe putet, quin de cauſſis atque ſymptomatis febrium, ad mentem acutiſſimorum mechanicorum ubique ſcribit; illud tamen ſibi perſuadere nequit, motum febrilem, ſeu conatum organorum vitalium, quo illa cauſſas morborum depellere annituntur, ex rationibus ſolidorum & fluidorum, & motu horum reciproco in ſe invicem, æſtimari poſſe. Proinde febris illi nihil quicquam eſt aliud, quam avtocratia animæ, qua illa, pro facultatibus ſibi a Deo datis, neceſſitatibus corporis proſpicere, & organa excretoria ita excitare poteſt, ut motus critici exſurgant, qui unicuique cauſſæ, innumeris modis diſcrepanti, & vix definiendæ, ſufficiant. Habet enim anima alias facultates apparentes, in ſenſuum atque intellectus exercitio poſitas, alias autem habet abſconditas, nec niſi ex effectu claras: quas uti in ſano homine negaturus facile nemo eſt, cum videt animæ motus certos, certos etiam humoribus motus inducere; ita iniurii omnino in animam ſunt, qui illam a convaleſcendi negotio excluſam omnino volunt. In febrium certe theoria, plurima intercurrunt phaenomena expoſitu difficillima, niſi ad motorem, ſecundum ideas præconceptas agentem, recurras. Quis unquam typum febrilem ad deſtinatas horas revertentem, quis frigoris & ſubſequentis caloris, quis excretionum viciſſitudines, niſi principium ſciens atque intelligens iſtis effectibus intercurrat, ex ullius machinæ rationibus ſufficienter expoſiturus eſt? Quam miſere ſe excruciant phænomenorum febrilium rationes expoſituri, cum volunt, ex reſiſtentia erga cor, & motu eius aucto, febrem eſſe; quæ tamen non

minus adeſt, etiamſi cordi nihil reſiſtat, uti fit in febribus ab humorum colliquatione, aut eorum defectu, ortis. Cur volunt frigus febrile eſſe a conſtrictis vaſis extremis? cum tamen, durante frigore febrili, ſumma adſit, veluti ex tremore ſentimus, fibrarum laxitas. Certe convenientius foret, veluti famem & ſitim, ſomnum & vigilias, pathematum leges, omnemque providentiam quæ ſanitatem nobis ſervat, animæ facultatibus largiri: ita etiam animæ non denegare facultates, in motu ſpontaneo erga cauſſam morbificam directo, conſiſtentes. Clariſſimus Auctor, ut mechaniſmi inſufficientiam in febribus declararet, varias profert propoſitiones. *Motus cordis mere mechanice declarari nequit: fibrarum cordis elaſticitas, eius motui perennando non ſufficiens eſt. Motus cordis perennari nequit, a motu circulatorio fluidi nervei. Cordis motus dependet tamquam a potentia motrice. Interdum cordis motus etiam remittuntur, prout variis animi pathematis afficimur: illud vero explicari nequit, niſi animae dominium in cordis motus agnoſcatur. Pulſus cordis auctus etiam illis eſt, qui non febriunt.*

Accedit de nervorum ſucco altera diſſertatio. Hic, defæcata aliqua lympha eſt, quam ſpiritum animalem vocant, cuius nervei ſucci exiſtentiam etiamſi Malpighius ex eo non ſatis probaverit, quod ex diſſectis nervorum tubulis liquor aliquis deſtillet, utpote qui crudior eſt, quam ut poſſit ſpiritus dici: non tamen deſunt argumenta alia, quæ liquidi nervorum præſentiam arguunt; ſcilicet, nervorum ad leges aliorum vaſorum directio, motus & ſenſus a compreſſo nervo eodemque ligato deficiens, & undulationis illius ſenſus, quem homo percipit, cum illi ſtupidi hactenus articuli reviviſcunt. Eſt autem ſubtilis iſtius fluidi, & ætheri ſimilis, tubulis nervorum, etiam non armato oculo, non conſpicuis, id eſt ſumme tenuibus, ſimillima ratio. Hanc ab optimo ſanguine arterioſo carotidis internæ ſeparat cordis impetus, corticalis cerebri partis auxilio Neque vero opus eſt, ut de motore fluidum nerveum propellente ſimus ſolliciti, cum vel ſanguis a tergo ſemper irruens, fluidum nerveum propellere, vel ipſi ſpiritus ſuis motibus ſufficere poſſint; non aliter ac

æther

æther, & ex corporibus magis materialibus ſpiritus chymici, & ſales volatiles, ac olea ætherea, ex ſe ipſis ſui motus cauſſas habere poſſunt.

UTIL USO DELLE BATTITURE IN MEDICINA.

i. e.

DE USU VERBERUM IN MEDICINA, OPUS phyſico medicum LUDOVICI VISONIS, Neapolitani. Dedicatum Illuſtriſſimo Domino Franciſco Buoncore, primario Regis Siciliarum Medico, Regni Neapolitani Protomedico.

Venetiis, 1741. plag. 18. in 4.

Etiamſi durum eſſe videtur, crudeli & illiberali medicina curare morbos velle: nihil tamen turpe eſt aut inhoneſtum, quod ſanitatem procuret, pro qua quidlibet facere aut pati, omnino decorum eſt. Igitur novum non eſt, flagrorum uſu curam variorum morborum inſtituiſſe medicos. Meibomius, invitis medicorum a Tito, diſcipulo Aſclepiadis, qui tempore Auguſti vixerat, conſultum fuiſſe ſcribit: maniacos flagellis coercendos, ut, ſiniſtro mentis iudicio repulſo, reſipiſcerent. Coelius Aurelianus libro I. tartarum paſſionum Capite V. phraſes libro I. cap. IV. aliique multi, quos Meibomius *de flagrorum uſu in re venerea* refert, erotomaniam ferularum uſu coercendam eſſe ſtatuerunt. De febre quartana Seneca refert, *quandoque flagellis diſcuſſam fuiſſe.* Alii ad obfirmandam ſanitatem, & robur corpori conciliandum, verberibus uſi ſunt. Ita refert Galenus libr. XIV. cap. XVI. de methodo medendi, cum de reficiendis corporibus extenuatis, ac reſtituendis particulis, quæ deficiunt, agit; quibus vero a natali die gracilia ſunt membra quædam, iis etiam mangones puerorum hoc ipſo præſidio ſuccurrent, & cum certa percuſſione, quam græce epicruſin vocant. Ferulas parvas ac leves, modice illitas, gracilibus partibus incutiunt, donec modice attollantur. Idem convaleſcendi modus fuit, cum membra obſtupeſcerent, veluti de

uſu urticarum Coelius Aurelianus Lib. I. tartar. paſſion. retulit. Recentioribus exemplis ferularum uſum in re medica ſuffulcit Clariſſimus Auctor, & ex Thom. Campanella refert, Principem Venuſiæ alvum deponere non potuiſſe, niſi verberatum a ſervo, hunc in finem conducto. Etiamſi autem pauci hac ratione convaleſcere vellent; argumentum tamen hoc commendatione dignum viſum eſt. Igitur ad fulciendam de utilitate verberum ſententiam, illorum actionem in ſolida illam eſſe ſupponit, qua oſcillatio minimorum deficiens, & dependens ab illa ſanguinis motus, reſtitui augerique poſſit. Eſtque in ipſa natura animalis repoſitum, plurimas actiones celebrari viſcerum tritura ac verbere. *Satis eſt,* ait Lanciſius de motu cordis, *oculos coniicere in organa triturationis alimentorum, deglutitionis, reſpirationis, motuumque omnium localium, vel totius, vel partium corporis, ut aperte Fabrilium pene omnium operum inſtrumenta dignoſcamus, ſcilicet infundibula, folles, vectes, trochleas, ſyphones, valvulas, reliquumque humanarum artium apparatum.* Ut autem intelligeretur, ſingulares verberum in machinam ignavam effectus eſſe poſſe, multa erudite de actione gravitatis auctæ in corpora ignava; de elatere languido elaſticorum corporum applicatu, mathematicis demonſtrationibus proponuntur, & ſuper hoc argumento doctæ diſputationes adducuntur, tandemque evincitur, illud omne ſalutare homini eſſe, quod vim inertiæ in illo quandoque prævalendis ſuperat. Etiamſi enim impetus ille, quem percuſſiones edunt, ſuperficiem ſaltim corporis tangit; in tantum tamen effectus illius totam attinet machinam, in quantum actiones cuti propriæ auctæ, hoc ipſo plus intenduntur, reditus autem ſanguinis venoſi plus magisque intenditur. Deinde illa quoque eſt verberum alicui parti extremæ applicatorum efficacia, quod ſanguis illuc, ubi pars afflicta eſt, maiore impetu feratur, ipſique ſpiritus plus magis illuc rapiantur, ubi dolor eſt. Ita Galenus loco adducto ſentit. *Primum quidem pars intumeſcit, poſt gracileſcit. Ergo, quibuscumque particulis bonam habitudinem reddere ſtudemus, has & fricare, & perfundere, & percutere, & picare oportebit tantiſper,*

tiſper, dum intumeſcant: hoc ubi factum eſt, protinus deſiſtere prius, quam digeri coeperint. Etenim quae caleſaciunt omnia, ſicut attrahere, ita etiam digerere apta ſunt. Si ergo perſtes, dum quod attractum eſt, digeſtum ſit, operam luſeris. Ad hunc modum mango quidem proxime nates pueri (fame conſumtas) brevi auxit, percuſſas, mediocri quotidie uſu, aut ſaltim alternis diebus; item moderata picatione. Ceterum, quibus totum corpus eſt extenuatum, iis lavari quoque poſt cibum eſt idoneum. Non minor flagrorum, ferularum, & id genus alia corporum durorum, applicatu ſuo dolorem, hinc calorem facientium, utilitas eſt, cum aliquid ex nobiliore corporis viſcere, ad extrema abripiendum revellendumque eſt. Cumque aliqua in parte ſanguis quieſcit, proinde dolori capitis proſunt verbera, plantæ pedum, aut natibus applicata. Lipothymicos excitamus, quando illis palmas virgis cædimus. Eſt etiam in affectibus ſomnolentis ſua doloribus iſtis efficacia. Nec minus compertum eſt, apoplecticos virgarum cæſione excitari potuiſſe. Quilibet autem facile perſpicit, ita comparatas eſſe iſtas afflictiones corporis debere, ut vi deſtruente ſolida deſtituantur. Cum enim vis gravitans elaterem vaſorum multis modis ſuperat, tantum abeſt ut illa robur accipiat, ut potius debilitatis parietibus humores transfundant, quos contineri oportebat, fiatque ecchymoſis; eo enim uſque intendi vis affligens haud debet, ut pars afflicta, ultra quam natura fert, irritetur. Sed caloris augmentum. & rubor ſeu inflammatio aliqua artificialis, qualis etiam a frictione & ſtrigilum uſu excitatur, huius experimenti modos & limites definit. Erudita hæc ſcriptio eſt antiquorum æque ac recentiorum lectione plena, cui ſub finem obſervationes aliquæ, de ſalutari flagrorum uſu, una cum exemplis de ſalutari eventu huius remedii, ſubiunguntur.

STORIA DELL' ACADEMIA CLEMENTINA di Bologna,

i. e.

HISTORIA ACADEMIAE CLEMENTINAE BO-

 nomien-

nonienſis, aggregatae Inſtituto Scientiarum & Artium, per LAELIUM DE VULPE

Vol. I. continens librum I. II. Bononiæ, 1739. 4to. 3. Alph. 4½. pl.

Vol. II. complectens librum III & IV. 2 Alph. 4. pl. cum tabb. 4. figg. æri inciſ.

Ill. Ioanni Petro Zanottio, qui huius operis videtur eſſe Auctor, viſum fuit addere formulam dedicationis ad D. Carolum Philibertum Eſtenſem, Marchionem S. Martini. Libri argumentum verſatur in exponenda Academiæ Bono-
Pag. 9. nienſis pictoriæ natura, & initio atque progreſſu. Primordia eius incidunt in annum 1606. Prima congregatio con-
13. tigit ad XI. Iulii, intra porticum palatii Comitis Fava. Inſtituit eam ac illuſtravit ſplendore novo Comes Ludovicus Ferdinandus, ex nobili & antiqua familia Marſiliorum Bononiæ natus, in ſago togaque illuſtris, Martis ac ſcientiarum honos, a. 1708, ac ipſe Pontifex Romanorum Clemens XI. Acade-
18. miam & patrocinio & nomine ſuo dignatus fuit. Numerus Academicorum adprobatus fuit quadragenarius. Leges Academiæ non eſt cur huc transferamus. Recens Academia a. 1709, 26. Dec. fuit aperta, & Inſtituto novo nobilitata anno 1712, quum Comes Illuſtriſſimus Senatui Bononienſi donaret rariora ac pretioſa, a ſeſe collecta, ac Academiam ſcientiarum adiungeret Academiæ pictorum ad 30. Nov. Poſſemus nomina Præſidum hic collocare, niſi brevitati eſſet litan-
81. dum. Præſidem iam agit ſucceſſor Mazzæ, Ioannes Petrus Zanotti. Hæc fere libri prioris eſt ſumma. Poſteriori ediſſeruntur Academici, qui e vita diſceſſerunt, eisque præmit-
113. titur Vita L. F. Marſilii Comitis, Ducisque bellici. Hic vero in lucem editus fuit Bononiæ, ex Marſiliorum familia pervetuſta a 1658, 20. Iul. patre Comite Carolo Franciſco, matre
114. Margareta Ercolani. Adoleſcentulum ipſum Lælius Triumphetti philoſophicis imbuit ſtudiis, Matheſin ei inſtillavit Geminianus Montanarius, doctrinam anatomicam præivit Marcellus Malpighius. Romam adiit a. 1677, Venetias a. 1679.

Digitized by Google

1679, ubi rem militarem cognovit. A. 1683. in Hungariam abiit militatum adverſus Turcas, auſpiciis Imperatoris Leopoldi. In manus hoſtium incidit 2 Iulii, liberatus demum a. 1684, 25 Martii, rediit Bononiam. Viennam redux fuit, iuſſus Strigonium permunire. A. 1689. primarium egit tribunum. Paullo poſt Imperator ipſi demandavit negotium pacificationis cum Turca. Quum huic operæ ſeſe accinxiſſet, obſervationes phyſicas congeſſit, ac ipſe tentavit varias, quas eruditi dudum ſuſpexerunt editas. Pax inter hæc coiit Carlovicenſis. Anno 1701. Bononiæ in ædibus ſuis ſpeculam aſtronomicam exſtruxit, eique ad coeli phænomena ſpectanda præfecit Euſtachium Manfredi. Anno 1703. dux bellicus fuit ipſe in Briſgovia, a Comitis de Arco iuſſis pendens, qui Briſacum, invito Imperatore, Gallis tradidit, cauſſæque dictionem morte ſua antevertit. Cudebatur itaque faba illa in Marſilium, qui dimiſſus Clementi XI. munia bellica præſtitit, copisque præfuit eiusdem. Poſthæc, ut telluris indolem propius noſcitaret, in Helvetiam, tum Pariſios, ac tandem Maſſiliam abiit. Singulari Regis Galliarum iuſſu, Academiæ Scientiarum Pariſienſi fuit adſcriptus. Opus de Mari Maſſiliæ ad finem perduxit, Amſtelodami expreſſum typis. Revocavit Marſilium Pontifex a. 1708, conſcribendo militi intentus numeroſiori. Bello facile profligato, Marſilius rediit cum Muſſis in gratiam, ac Inſtitutum Bononienſe ad umbilicum perducere ſtuduit. Quo facto, ſodales 40. domum ipſius coire a. 1710, 2 Iunii iusſit, & ipſe Academiam graviſſima initiavit oratione, quam eodem anno Clemens XI. probatam ſuo de nomine adpellavit. Ut Comes opus ſuum, de *Danubio* ſcriptum, curaret ſplendide edendum, a. 1721. Londinum ac Amſtelædamum abiit, Newtonoque ſeſe adprobavit. Anno 1723. Bononiam revertit; reportato inſigni animalium, fructuum, & rariorum naturæ gazarum adparatu. Anno 1727. Academiæ donavit reditus annuos, e quibus præmia dari poſſent certantium æmulantiumque principibus. Maſſiliam quum conceſſiſſet denuo, ab apoplexiæ ſpecie quadam tentatus fuit, qua impetum reſumente,

Pag. 117. 120. 122. 124. 126. 128. 129.

obiit

obiit a. 1730. die omnium Sanctorum. Senatus Bononienſis memoriam defuncti publice celebravit 23. Novembris die. Academici autem in eius honorem erexerunt monumentum in templo S. Dominici. Excipiunt Marſilii vitam vitæ Caroli Cignani Comitis & Equitis, a. 1719, 92. ætatis anno defuncti, Benedicti Gennarii, Ioſephi Mariæ Mitelli,
Pag. 221. Ioſephi Magnavaccæ, Ludovici Quaini, Iacobi Antonii Mannini, Marci Antonii Franceſchini, Ioachimi Pizzoli, Herculis Gratiani, Marci Antonii Clarini, Ioannis Hieronymi Boneſi, Ioannis Ioſephi de Sole, Ioannis Antonii Burrini, Franciſ-
T. II. ci Mariæ Franciæ, Ioſephi Moretti &c. Volumine ſecundo deſcribuntur reliquorum Academicorum vitæ, nominatim Io-
31. ſephi Mazzi, Ioſephi Mariæ Moretti, Ludovici Matthioli, Iacobi Bolognini, Ioſephi Mariæ Creſpi, dicti Hiſpani, Felicis Torelli, Remundi Manzini, Donati Creti Equitis, Angeli Michaëlis Cavazzoni, Andreæ Ferreri, Ioannis Petri Cavazzoni Zanotti, Aureliani Milani, Cæſaris Ioſephi Mazzoni, Angeli Michaëlis Monticelli, Ioannis Baptiſtæ Grati, Petri
193. Herculis Favæ Comitis, Ferdinandi Galli Bibienæ, Franciſci Monti, Iacobi Antonii Boni, Ioſephi Galli Bibienæ, Angeli Gabrielis Pii, Ioſephi Orſoni, Stephani Orlandi, Franciſci Galli Bibienæ, Herculis Gratiani, Victorii Bigari, Seraphini Brizzi, Ioannis Baptiſtæ Bolognini, Antonii Roſſi, Dominici Mariæ Frattæ. Hiſce nominibus honor libro tertio habetur. Liber quartus exhibet Academicos honorarios, & indicem diligentiſſime concinnatum. Vivant vigeantque ſucceſſores tantorum virorum, laudeſque eorum nunquam deſiſtant æquare! Theatrum, ſcientiæ & artis ipſorum teſtis, æri inciſum eſt, tabuliſque quatuor repræſentatur, quibus index datus: *Figura palatii Inſtituti Scientiarum Bononienſis.*

REFLEXIONS HISTORIQUES ET CRITIQUES SUR les differens Theatres de l'Europe,

i. e.

COGITATA HISTORICA ET CRITICA DE DIverſis Europae Theatris, una cum iudicio de Declamatione. Opera LUDOVICI RICCOBONI.

Amſtelodami, 1740, Sumtibus Societatis, 18. pl. 8.

Opuſculo, quod Eliſabethæ Farneſiæ, Hiſpaniarum Reginæ, conſecratum eſt, docemur, theatralem dramaticamque artem nondum ad id faſtigium adſpiraſſe, quod ipſi eſt optandum. Mendes eius & imperfectiones Cl. Auctor luculente delineat, eundo per omnem theatri Europæi claſſem. Poetas, qui ſcenæ ornandæ componunt ſcripta, hinc diſcere poſſe modulos, religioni, rationi, boniſque moribus convenientiores, ipſe ſibi perſuadet. Theatri Italici ac Hiſpanici rationes præmittit, temporum ſtudioſus. Tum vero exponit de theatro Gallico, Anglico, Hollandico, & Germanico. Edidit idem librum iam pridem, cui inſcriptio eſt, *Hiſtoire du Theatre Italien*. Paullo ante annum 1500 Itali rem comicam inſtaurarunt, ac *Calandrum* præbuerunt ſpectandam. Fabulis comicis aliis datum ea ætate fuit nomen *Farces*, aliis *Comédies*. Paſſionem ſervatoris olim ſcenice repræſentarunt Itali in Coliſæo Romæ, ac reſtant inde *Tragoediae* Pag. 4.
nonnullæ. Deſiit mos iſte paullo poſt annum 1549. Primordia eius ſunt ſatis vetuſta, nec tamen ad annum certum revocanda. Cionaccius retulit, Franciſci Belcari comoediam de Abrahamo & Iſaaco, in templo S. Mariæ Magdalenæ a. 1449. Florentiæ fuiſſe ſpectatam. *Myſteria* autem V. T. 6.
Londini iam a. 1378. & in Galliis a. 1398. publica in ſcena fuerunt recitata. Abrogatio ludi, quo Paſſionem Servatoris Itali in Coliſæum revocare ſolebant, ad Paulum III. eſt referenda. Extra Coliſæum nihilominus poſtea conſuetudo eadem 12.
viguit. Aquilæ enim a. 1614. adhuc tragice Paſſio Chriſti fuit repræſentata per Ioannem Baptiſtam Filaurum. Academici Senenſes, vulgo Intronati, primi fuerunt, qui exemplo ſuo accenderunt ſocietates litterarias alias, ad comoedias 15.
ſcribendas egregias, & ad eas edendas in ſcena. Quæ poſtquam Auctor eleganter commemoraſſet, rem omnem comicam Ita-

lorum, qualis ea nunc quidem eſt, percenſuit. Exeunte ſæculo ſuperiori, Italos inceſſerat cupiditas imitandi Hiſpanos eorumque dramatica faſtigia. Præcipiti ſæculo coeperunt Italis
Pag. 21. arridere ea, quæ Cornelius & Racinius, Galli, cecinerunt. Raro Itali fabulis ſcribendis novis adpellunt animum, ſiquidem Academiæ, his olim intentæ, in dies intercidunt, nec comicæ rei ſcriptoribus ſuppeditantur laborum impenſæ. Interpretes magis agunt Itali Gallicarum fabularum, quam inventores & ſcriptores propriarum. In Allaccii *Dramaturgia* memorantur poetæ tragici & comici Italorum bene multi, inde
23. ab a. 1500. deducti uſque ad a. 1660. In collectione Vaticana numerantur tragoediæ 235, comoediæ 500, bucolica 237, tragicocomoediæ 120, tragoediæ ſacræ 405. Comoe-
26. diæ extemporales, *Farces* adpellatæ, adprobant ſeſe iterum Italis, quæ ante inſtauratas litteras poſt latinæ linguæ ruinam ibidem vulgo placuerant. Dantur tamen artifices etiam ſcenici, qui in Italia ex memoria promta recitant fabulas, ſimulque id, quod *patheticum* & *magnum* dicitur, repræſentant.
29. Actores Itali ſingulis fere perſonis agendis ſunt apti. quæ ingenii felicitas haud æque locum tenet apud reliquos Europæos hiſtriones, ſcenicoſque artifices. Muſicam & concentum organorum diu iam Itali miſcuerunt comoediis, & eo ipſo produ-
36. xerunt in lucem id, quod *Opera* vocatur, cuius origo incidit in annum 1637 urbemque Venetiarum. Hiſtoriam eius habes recenſitam in libello, Venetiis expreſſo: *Le Glorie delle Poeſia & della Muſica*, a. 1730. edi coepto. & quotannis fere ſuppleri ſolito. Dum cantores Italorum præcipuos Auctor enumerat, admiratur *Fauſtinam Bardoni Aſſe*, & Carolum Broſchium dictum *Farinello*, Londini, Pariſiis, poſtea Madriti, famoſiſſimum. Hiſpani iam medio ſæculo XVI. theatrum inſtaurarunt, eamque redegerunt ad conditionem, qua illud ad-
47. huc ibi eminet. D. Lope de Rueda & Navarro, ætate ſuppares, comoediis coeperunt tribuere Actus tres, quum illæ antea conſtarent Actibus quatuor. Iuvat apud Auctorem legiſſe
53. partes, e quibus ſcena apud Hiſpanos exſtrui ſolet. Dramata ſacra, in quibus allegorice myſteria religionis exhibentur, vocan-

vocantur a gente illa *Autos ſacramentales.* Don Pedro Calde- Pag. 53.
ron eis concinnandis excelluit mirum in modum. Memoria,
voluntas, Iudaiſmus, Apoſtaſia, Eccleſia, & quid non? inibi
inſtar perſonarum prodeunt in ſcenam. Exeunt hæ repræſen-
tationes in mentionem de Euchariſtiæ miſſaticæ ceremonia. Po-
ſtea Auctor de theatro Gallico diſſerere inſtituit. Contrahit heic
vela, ſiquidem a. 1734. in lucem exiit liber: *Hiſtoire du Thea-* 67.
tre Francois, cuius ſententias aliquot ipſe incudi reddit, & ad
limam vocat. Quinque poemata Paraſſoli in tragoediarum
numero deputare recuſat, ſiquidem ea conſtent verſibus ſaty-
ricis, hiſtoriæ ſuperſtructis. Comoedias Gallicas, ab una
perſona haud recitatas, recentiores eſſe anno 1398. conten-
dit. Omittimus reliqua, memoratu adeo digna, ut apud 71.
Auctorem ſint evolvenda. Deinde comparationem ipſe inſti-
tuit inter Italorum, Hiſpanorum, ac Gallorum ſpectacula,
theatris ſolita exhiberi. Itali & Hiſpani de antiquitate eorum 113.
ſibi vindicanda mutuo certant, nec Auctor litem dirimit diu
diſceptatam. Itali, primorum theatri ſpectaculorum condi-
tores, ipſi videntur ſerviles fuiſſe Terentii ac Plauti
imitatores. Subſtituerunt enim fabulis de mancipiis feminis-
que ad libidinem proiectis, amores erga uxores, fallacias &
arcanas Monachorum fraudes, lenarum commercia, &c. Hiſ-
panorum vero moriones ſcenici abutuntur ad iocos ſuos nomini-
bus ſanctorum. Licentiam tragoediæ caſtigarunt ac correxe- 115.
runt inter Gallos Rotrou & Cornelius. Molerius primus indu-
xit in ſcenam puros caſtosque mores. Exſpectaveramus tamen
plura in illa comparationis inſtitutione. Sed conten- 116.
tos nos eſſe oportet hoc Catone. Nec tamen omittit
dicere, Carolum Paulum poſt annum 1626, primum exſti-
tiſſe in Germania comicorum, quæ Gallis vocantur *inpromtu,*
magiſtrum, ſtudioſis comitatum: Ioannem Velthemium, Velt-
hemii Theologi Ienenſis filium, ſtudioſos Lipſienſes & Ienen- 163.
ſes aliquot adſciviſſe ſocios, ludosque egregios in aulæ Electo-
ralis Saxonicæ ſcena luſiſſe. Id nobis dicendum reſtat,
exhiberi heic ſummam tragoediæ, quam Cl. GOTTSCHEDIVS 220.
noſter adornavit, nomine *Catonis* præfixo. Adiunxit notas

 Ano-

Digitized by Google

Anonymi criticas, qui in ea nonnihil nævorum & imperfe-ctionum detegere ſtuduit: hiſque ſubiecit redditam ad eas reſponſionem, Gottſchedi Vindicias. Commemorat & recenſet poſtea tragoedias & comoedias, ſcriptas ab Hanſo Sachſio Noribergenſi, defuncto 1567, a Martino Opitio, ab Andrea

Pag. 243 Gryphio, & Lohenſteinio. Agmen claudunt cogitata *de declamatione*, in quibus excellunt ea, quæ de diſcrimine inter orationem theatralem & ſermonem ſacrum, e ſuggeſtu recitandum, differuntur, & de tragica oratione, multo minus naturale habenti, monet.

RISPOSTA AL LIBRO INTITOLATO, DEL L'IMPIEGO del Danaro,

i. e.

RESPONSIO AD LIBRUM, QUI INSCRIPTUS eſt, de impendio pecuniae. Auctore P. IOSEPHO AUGUSTINO BRIGIDA, *ex Minimis.*

Auguſtæ Taurinorum. Ex typographia Philippi Antonii Campanæ. 1747, 1 Alph. 16 pl. 4.

Introductione præmiſſa, de inſtituto ſuo differit Auctor diligentiſſimus, laudatque Ballarinium & Concinam, qui ante ſe idem ſaxum iam volverint egregio labore. Laudat Benedicti XIV, Pontificis ſupremi, litteras encyclicas, quarum exordium eſt, *Vix pervenit*, & quibus damnatur *omne huiusmodi lucrum, quod ſortem ſuperat*, ac reputatur *illicitum & uſurarium.* At ideo patroni uſurarum haud deſeruerunt uſuræ vindicias, ſiquidem pecuniæ omnia obediunt. In primis Auctor libri, *dell'Impiego del danaro*, multos nactus eſt ſectatores. Cauſam deprehendiſſe ſibi videtur Noſter in moribus ſæculi corruptis. Intendit itaque in Auctorem illum & oculos & mentem potiſſimum, habens ob oculos illud Auguſtini: *Diligite homines; interficite errores.* Addit & hæc Ill. Scipionis Maffeii ex eius *Scienza Cavallereſca* I, 3. *Dottrina falſa*

Digitized by Google

falſa non fu mai coerente a ſe ſteſſa, error ſibi haud unquam
conſtat. Negat adverſarii ſui illud, contractum dipleuron, Pag. 9.
quo neuter læditur, ſed utilitatem reportat, eſſe honeſtum
ac iuſtum. Credit, Auctori ſententias excidiſſe, quibus fiat
planum, uſuras eſſe & licitas & illicitas. Namque ei tribuit 11.
negligentiam diſtinguendi inter indemnitatem & uſuram.
Maffeius contenderat p. 304, decimo tertio ſeculo demum
omnem uſuram fuiſſe proſcriptam, ratus idem p. 330, Baſilii
Macedonis ævo eam iam fuiſſe vetitam. Præterea venatur
alias contradictiones, quibus Auctor, uſuræ patronus, ſeſe
implicaverit. Subiicit hiſce diſcrepantiam doctrinæ, inter 17.
Benedicti XIV litteras encyclicas, & Ill. Maffeii ſententias in-
tercedentis. Inſerit deinde litteras illas encyclicas integras,
1745, 1. Nov. publicatas. Declaratur eis, omnem ex pe-
cunia mutuata uſuram eſſe peccati plenam ac illicitam, licet
hæc videatur moderata ac exigua, licet ea a divitibus exigatur.
Adduntur deinde a Pontifice hæc: *Per haec nequaquam nega-
tur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut
aiunt, titulos, eosdemque ipſimet univerſim naturae mutui mini-
me innatos & intrinſecos, forte concurrere, ex quibus iuſta omni-* 23.
*no legitimaque cauſa conſurgat, quiddam amplius ſupra ſortem, ex
mutuo debitam, rite exigendi. Neque item negatur, poſſe multo-
ties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſae prorſus natu-
rae a mutui contractus natura, recte collocari & impendi ſive ad
proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercatu-
ram & negotiationem exercendam, honeſtaque indidem lucra perci-
pienda.* Excipiuntur igitur hypothecarii fructus & montes
pietatis. At ſimulac ad doctrinam de quanto morali genera-
lem hæc revocantur, fundamentum elucet, unde omnis quæ-
ſtio facile decidi poteſt. Intexuit ſummus Pontifex reliquis
hæc memoratu digna: *Abſit a Chriſtianorum animis, ut per
uſuras aut ſimiles alienas iniurias, florere poſſe lucroſa commercia
exiſtiment.* Mutuum eſſe uſuræ impatiens, ex Chriſti doctri-
na, indicetur ex Matth. V. 42. Sunt multa monaſteria, quæ
ex pecuniis creditis, quibus debitores ſubſtituunt quotannis
frumentorum penſionem, vel pecuniam pretio frumenti æqua-

Digitized by Google

lem, vitam ſuſtentant. Ne quis hæc ad uſuras defendendas trahat, cavit Pontifex §. 5, adquieſcens in Eccleſiæ Romanæ de *Uſura* iudicio.. Hiſce præmiſſis, ſuccedit Tractatio ipſa, quæ libros tres comprehendit. Libro primo, argumenta e ſacris litteris depromta, uſuræ opponuntur. Libro ſecundo exhibentur argumenta, eodem tendentia, ex Patribus; Iure
Pag. 108. Canonico, & ſcriptoribus recentiſſimis. Libro tertio removentur argumenta, in utramque partem adferri ſolita, ut ea, quæ uſuram profligant, triumphent. Sub operis exordium
32. definitionem *uſurae* exponit, negans, hanc eſſe exactionem
35. inconvenientem, licitaque maiorem. Reſtituit definitionem Chriſtianorum veterem, per quam uſura ſit *lucrum ex mutuo exactum vel ſperatum*. Confugit, ut hanc ſtabiliendam ſuſcipiat, ad loca Ex. XXII, 25. 2. Esdr. V, 4. Deut. XXIII, 19. XV, 6. Luc. VI, 34. Lev. XXV, 36. Licuit tamen Ebræis recipere uſuras a gentibus non ebræis. Deut. XV, 6. Unde intelligitur, uſuram per ſe haud adverſam eſſe iuri naturæ. Oſtendenda igitur eſt æqualitas familiæ & civitatis Ebræorum ac Chriſtianorum, aut adferenda eſt ex N. T. *lex poſitiva*, chriſtianis univerſis uſuram interdicens. Uſuram damnarunt Lactantius *Inſtit.* VI, 18, Baſilius *Hom.* in Pſ. XIV. (noſtris XV.), Tertullianus *contra Marcionem*, IV, 17, Ambroſius in L. Tobiæ c. 14, 21. Hieronymus in Ezech. XVIII, Auguſtinus *Serm.* III, n. 6, in Pſ. XXXVI, *Serm.* CCXXXIX, n.
45. 5. Anno 397. Synodus Carthaginenſis can. XVI. Clericis uſuram omnem interdixit. Synodus Agathenſis ad a. 506. uſuram ita definivit: *Uſura eſt, ubi amplius requiritur, quam quod datur, v. g. ſi ſolidos decem dederis, & amplius quaeſieris, vel ſi dederis frumenti modium unum, & ſuper aliquid exegeris.* Legitur id apud Gratianum *Caus.* 14. *quaeſt.* 4 *cap.* Uſura. Urbani III. ſunt hæc de uſurario homine: *qui non alias mutuo traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, ut, licet omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat.* Et poſt pauca: *Iudicandi ſunt male agere, & ad ea, quae taliter ſunt accepta,*
47. *reſtituenda* uſurarii. Auctor operis imperfecti in Matthæum Hom. XII, in c. V. *Iubet nos Chriſtus mutuam dare pecuniam,*

non

Digitized by Google

non tamen ſub uſuris. Paulus ICtus: *Mutuum damus, receptu-ri non eamdem ſpeciem, quam dedimus, (alioquin commodatum erit aut depoſitum,) ſed idem genus.* Idem: *mutui datio conſiſtit in his rebus, quae pondere, numero, menſura, conſiſtunt.* Ex his aliiſque ſententiis Auctori viſum eſt ſtabilire veterem de mutuo definitionem. Ut doceat, peccato infectam eſſe uſuram, memorat loca, Amos. VIII, 4. Neh. II, 5. Zach. VII, 10. Ex. XX, 15, ubi furtum vetatur, Lactantii *Inſtit. divin.* VI, 18, Ambroſii *de bono mortis* c. 12, Auguſtini in Pſ. CXXVIII, Ex. XXII, 25, Cyrilli Alexandrini ad Amoſum VIII, Ioannis Damaſceni *Sac. parall.* tit. 9. Tobiæ I. 25. Deut. XXIII, 19. Lev. XXV, 35. Pſ. XIV, 5. LIV, 12. LXXI, 14. Ez. XVIII, 10. Eſdr. V, 7, 11. Matth. V, 43. 17. Luc. VI, 27. Poſtremum locum ad uſuram prohibitam transferunt Tertullianus l. c. & Bernardinus *Serm.* 36. *de Uſuris art.* 3. *cap.* 4, Bonaventura ad Luc. VI, 27, Thomaſius in III. *Diſtinct.* 37, *qu.* I. *art.* 6. *ſed contra* & 1. 2. *q.* 108, *art.* 3 ad 2, Concilium Melodunenſe, ac Rhemenſe, a Gregorio III. confirmatum 1583. c. 14, atque Burdegalenſe a. 1583. c. 29. Adde Tirinum in Lucæ locum, Merbeſium To. I. p. 325. Reſpondet ad Matth. XXV, 27. ac Luc. XIX. 13, parabolam ibi adferri, ab homine auſtero deſumtam, uſuris inhiante, haud exponendam convenienter ſenſui primo litterali, ſiquidem *littera occidat.* Auguſtinus *Quaeſt. Evang.* L. II, n. 2. ita: *Quod ſervi, reddentes rationem ex eo quod acceperant, laudantur, qui lucrati ſunt, ſignificat, eos bonam reddere rationem, qui bene uſi ſunt eo, quod acceperunt ad augendas divitias Domini.* Chriſtus parabolice laudavit iudicem iniquum, ac villicum iniquitatis. Remittit Auctor patronos uſuræ ad Io. II, 14, ad trapezitas, templo eiectos. Auguſtini L. I. *de Serm. Dom. in Monte* c. 21. ſingularis eſt ſententia, hæc edentis: *Neque quod in lege dictum eſt, oderis inimicum tuum, vox iubentis iuſto accipienda eſt, ſed permittentis infirmo.* Sic quoque Thomaſius D. 2. qu. 78. art. 1 ad 2: *Quod Iudaei ab extraneis uſuram acciperent, non fuit eis conceſſum quaſi licitum, ſed permiſſum ad malum maius vitandum, ne ſcilicet a Iudaeis Deum colentibus uſuras acciperent pro-*

Pag. 49. 74. 90. 92. 97.

pter

pt.r avaritiam, cui dediti erant. At fallitur Auguſtinus. Verba enim, *Oderis inimicum tuum*, haud leguntur in Moſe, ſed enata ſunt inter homines ebræos recentiores, a doctorum traditiunculis pendentes. An Thomaſii ſimilis Auguſtinianæ expoſitio, ſit omnium optima, contendere haud licet. Nam permittenda non ſunt hominibus mala, ut inde eveniant bona. Rom. III, 8. Libro II. Auctor loca, e Patribus græcis decerpta, uſuram damnantibus, exhibuit ſatura lance. Nobis iam haud vacat ea repetere, vel examine critico adhibito
Pag. 200. colluſtrare. Libro tandem III. argumenta, ut, uſuram eſſe peccatum, doceat, conquirit. Secus ſentiunt Hugo Grotius *de Iure belli & pacis* II, 12, Gerardus Noodt *de Foenore & Uſuris* I, 4, I. H. Boehmerus ad Fleurii *Inſtitutiones Iuris eccleſiaſtici* P. III, c. 13. *de Uſuris*. En argumentum primum. Omne mutuum debet eſſe gratuitum. Innocentius XI. pro-
204. pterea damnavit *contractum moatra*. En argumentum ſecundum. Deus iuſſit, ut ne furemur. Horatius illum prædicavit beatum, qui ſit omni foenore ſolutus. En argumentum tertium. Pecunia per ſe eſt res ſterilis, nec ad gignendum apta. Id phyſice capiendum. Pecunia enim gignit domos, naves, pileos, urbes & terras, æſtimatione morali, quæ facit, ut diverſa ſibi poſſint invicem ſubſtitui. Hieronymus ad Ez. XVIII. monet, *omnem fructum*, ex agro natum, *non iure ſeminis, ſed iure ſoli percipi.* At ſoli pretium ſubſtitui poteſt iuri pecuniæ. Sic alii. Nec tamen omnem uſuram fuiſſe olim damnatam, intelligitur ex L. 7. Dig. *de admintut.* cuius eſt titulus, *ſi tutor pecuniam pupillarem otioſam relinquit, te-*
239. *netur eius pecuniae uſuras praeſtare.* Adde Synodi Mediolanenſis primæ c. 68. *de uſuris*, ita ſtatuentis: *Ex mutuo - - nihil praeter ſortem a quovis homine percipi ex convento vel principaliter ſperari poſſit, tametſi pecuniae ipſae ſint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, niſi quatenus id iure nominatim permittatur.* At peccatum permitti numquam debet. Iam canones ſynodi Melinenſis, Burdegalenſis, Cameracenſis, uſuras quaſcunque in peccato deputant. Qui ſecus ſentiunt faciuntve, eis Concilium Viennenſe *ſententiam excommuni-*

communicationis irrogat, *Lib. V. Clement. de uſuris.* Inde, ſcriptorem *ſcientiae equeſtris* incurriſſe proſcriptionis ab eccleſia ſententiam, colligit Auctor. Baſilius & Auguſtinus iuſſerunt ſingulos homines chriſtianos reſtituere eis, a quibus acceperant, uſuras. Addit noſter, commercia olim ſine uſuris floruiſſe. Repetit illud Ieſu, *mutuum date, nihil inde ſperantes.* Uſurarum cultura & cura in cauſa eſt, quod negotia alia magis neceſſaria & culturæ poſſeſſionum negligantur. Argumentum hoc, Auctori probatum, laudatur ab Alexandro III. ac Innocentio IV, *Lib. de uſur.* c. 1. Solent autem argumenta in contrarium deſumi ex legibus civilibus. Ad hæc Auctori ita viſum fuit reſpondere, ut nitatur potiſſimum illo Auguſtini pronuntiato, *de lib. arbitr.* I, n. 13. *Videtur tibi lex iſta, quae regendis civitatibus fertur, multa concedere atque impunita relinquere, quae per divinam tamen providentiam vindicantur, & recte.* Idem Auguſtinus ep. 153. ad Maced. n. 25: *Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſae leges & iudices reddi iubent? -- Haec atque huiusmodi male utique poſſidentur, & vellem reſtituerentur; ſed non eſt, quo iudice repetantur.* Gerſon. To. III. P. II. Propoſ. 17: *Lex civilis, uſuras aliquas tolerans, non ideo ſemper dicenda eſt contraria legi divinae vel eccleſiaſticae. Legislator agit more prudentis medici, qui tolerat minora mala, ut peiora vitentur. Datum eſt exemplum de meretricibus, & in antiqua lege de libello repudii, & de uſura data alienis.* Pontifex a. 1563. conceſſit Iudæis privilegium, ſumendi ex ſorte centum thalerorum quotannis 24 thaleros uſuræ loco. Gregorius XIII. uſuram hanc ad 18. thaleros definivit. Montium pietatis indolem Noſter, eſſe diſcernendam ab uſurarum indole, contendit. Tractationi ſuccedit Index, atque tum lis eſt miſſa. Ill. Scipionis Maffei librum *dell' Impiego del danaro*, de impendio pecuniæ, Veronæ editum 1744, 4. quem Auctor impugnat, dudum in compendioſam enarrationem redegimus. Maffeii librum præterea refellere aggreſſus eſt Anonymus in libro: *la dottrina della chieſa cattolica circa l'Uſura, dichiarata e dimoſtrata contro le preteſe della novella opera intitolata, dell' Impiego del danaro.* Diximus de hoc libro alias. In præſenti monemus, eundem eſſe Bononiæ 1747, 4, recuſum, 9½ plagulis conſtantem.

Pag. 242. 272. 280. 282.

Digitized by Google

ANNALES ECCLESIAE DANICAE DIPLOMATICI, (oder nach Ordnung der Jahre abgefaßte und mit Urkunden belegte Kirchenhiſtorie des Reichs Dännemark) *collecti ab ERICO PONTOPPIDANO, regio eccleſiaſte aulico, SS. Theol. Prof. extraord. ac ſodalis collegii de curſu evangelii promovendo.*

Pars II. Hafniæ, 1744. Apud Chriſtoph. Georg. Glaſing. 5 Alph. 1 pl. 4.

O ſedulum hominem & numquam ceſſantem! Libuit Viro Ven. ac Celeberrimo, Tomum ſecundum ordiri ab initio Sæculi XIV. ac ad annum uſque 1536, quo Dania a ſuperſtitionibus fuit repurgata, reducere. Adſpiret Deus ter optimus ei porro vitam, otium, vires, ut Partem III. veluti colophonem huic monumento addere valeat, hiſtoriam ſcilicet ab a. 1536. ad ætatis noſtræ memoriam. Exhibuit ipſe iam a. 1734. *epitomen hiſtoriae reformationis Danicae*, Lubecæ editam. Diximus de ea *in ſupplem. ad N. A.* hæc *Eruditorum To. I. Sect. IV.* p. 173, ſ. Nec ulli dubitamus, Auctorem ad illam epitomen intra decennium inſignes paraſſe acceſſiones. Inſeruit idem Tomo ſecundo chartas, acta, & diplomata paſſim, quibus fides fieri dictis poteſt. Nec tamen ipſe litteris, quotquot reperit, indulgentiarum locum in illo eſſe voluit. Complectitur Tomus II. librum quintum ac ſextum hiſtoriæ eccleſiaſticæ Danicæ. Sequitur hic Ven. Auctor morem ſui inſtituti. Capite primo generatim Seculi cuiusque conſpectum exhibet, Secundo capite delineat Regum, Archiepiſcoporum, ac Epiſcoporum, vitas. Tertio hiſtoriam præcipue eccleſiaſticam ordine chronologico exponit. Sæculo XIV. in Dania faſces regni tenuerunt Ericus Mendeved, Chriſtophorus II. eius frater, Waldemarus III. ac Margareta, Semiramis Norwegica vulgo cognominata, nec non Olaus filius eiusdem. Summa rerum, regnante Chriſtophoro, coepit labeſcere. Ipſo mortuo, interregnum ſeptennale Daniam ad-
Pag. 2. flixit, malisque diriſſimis involvit. Margaretha copulavit tria regna ſeptentrionalia, erga Suecos minus cauta, quibus præfectos

fectos impoſuit Danicos, ſecuritatis ſuæ magis conſcia, quam Pag. 4.
benevolentiam Suecorum reſpiciens. Pontificum Romanorum
in Danos animum Auctor copioſe exponit. Oſtenus Epiſco-
pus a. 1395. litteris ſuis paſtoralibus hæc inſeruit: *Curate* 5.
omnes, ut tributum pendatis, unusquisque, qui Euchariſtiam
accedit, numeratum nummum minimum, qui ex incude regia de-
cidit. Hanc pecuniam ſanctus Petrus, qui Romae eſt, poſſidet,
ideoque tributum Romanum ſeu denarius Petri vocatur. Archie-
piſcopus Iorunder in Norwegia cum Rege Hacone ſe in idem
ſolium collocavit. Ius hoſpitalitatis ſeu cathedraticum auxerunt
Epiſcopi. Parochi reditibus ſuis augendis mirum in modum 7.
ſtuduere, ipſi ab Epiſcopis viciſſim tondendi, ni potius de-
glutiendi. Formula iurisiurandi Epiſcopalis, in medium ad-
lata, eius rei teſtis eſt. Convivia & inventaria perpetua Cano- 9.
nicorum erant ſplendida & ſumtuoſa. Synodi coactæ fuerunt
ſacræ octo, Koldingenſis 1314, Helſingburgenſis 1335, Haf- 11.
nienſis 1336, Helſingburgi 1345, Kallundburgi 1360, Oden-
ſeæ 1327, Malmoenſis 1373, Helſingburgenſis 1394. In-
terdictum eccleſiaſticum regno imperatum impoſitumque, fre-
quentatum quippe, coepit vilipendi. Pro domo regia publi-
cæ preces dici coeptæ iuſſu epiſcoporum regni 1386. Mos 12.
coepit mittendi unum vel duos iuvenes in academiam Pariſien-
ſem, e ſingulis Canonicorum Capitulis, eorumdemque ſumtu.
Hafnienſis ſcholæ iniicitur mentio ad a. 1340. Schola cathedra-
lis S. Mariæ Rewalienſis privilegio Regis fuit ornata. Diſci-
puli ſcholares geſtabant nigras talares, ac ſtipem oſtiatim cor-
rogabant, e qua præceptores partem percipiebant. Corroga-
tioni huic tamen poſtea lex obdita. Hemmingus Danus 13.
1312. Rector erat univerſitatis diſciplinarum Pariſienſis. M.
Petrus Danus, Canonicus Ripenſis, a. 1326. iterum eiusdem
fuit Rector, Wisbyæ in Gothlandia natus, Suecis potius adnu-
merandus, ſcientia mathematica clarus. Nicolaus, Archiepiſ-
copus Lundenſis, ſcripſit *Chronicon*, editum per Ioannem
Petrum de Ludewig in *Reliquiis Manuſcriptorum omnis aevi* 13.
To. IX, p. 166-175. Nicolai Brun, Epiſcopi Slesvicenſis,
Chronicon nondum in dias auras protractum eſt. Oliverius

Digitized by Google

ſeu Olaus, Dominicanus Neſtwedenſis ſec. XIV. ſcripſit com-
mentarium *in Lucain*, ac *ſermones de tempore.* Martinus Ma-
gni, magiſter Pariſienſis, fruſtra adgregatur Dominicanis.
Scripſit hic Danus ineunte ſæculo XIV. multa, ac in primis li-
Pag. 15. brum *de modis ſignificandi.* Anonymi Dani ex ſæc. XIV.
Chronicon edidit Ill. de Ludwig T. IX. n. I, nec non alterius
cuiusdam Anonymi æque n. 6. Rex Ericus Mendeved ipſe
iuſſit colligi acta, diplomata, ac documenta, ad hiſtoriam &
17. ius patriæ referenda. Utinam hæc ſupereſſet alicubi colle-
ctio! Bartholdus Schwarz, qui pro pulveris pyrii inven-
tore habetur, a nonnullis exiſtimatur Danus. Merita ope-
rum humanorum & indulgentiæ Sæc. XIV & XV. in Dania
20. ſummi facta. Feſta Euphroſynæ, Florentii, Urſulæ, &
XI. M. Virginum ſæc. XIV. celebrari coeperunt. Doctrinam
de cognatione ſpirituali in pretio Clerici habuerunt. Anniver-
ſaria feſta, poenitentiarum moles, fulmina eccleſiaſtica, pere-
grinationes & deambulationes pompoſæ ſacræ, aliique ri-
tus, pluris valuerunt, quam ipſum Dei verbum. Fuerunt,
qui panem euchariſticum non conſecratum ſumere maluerunt.
Eſchillus, Epiſcopus Ripenſis, morem præpoſterum ſuſtulit.
23. Docuerunt nonnulli damnatos non manere infernalem poe-
nam. Upſalienſi ſynodo a. 1368. huic opinioni obviam
itum. Vita Clericorum conſpurcata fuit vitio ebrietatis, con-
cubinatus, cædium, iracundiæ, vanitatis, ac ignorantiæ rerum
optimarum. Ericus VIII. Mendeved Rex a. 1302. mitigavit
fulmen in ſe evibratum Pontificium verbis perquam ſupplici-
bus, obiitque expers hærede a. 1319, 13 Nov. Chriſtopho-
33. rus II. ei ſucceſſit, crudelis, perfidus, miſer, & contemtus.
Obiit ipſe a. 1331. Waldemarus III. vicit Reges diſſimu-
landi ac ſimulandi peritia, Hanſeaticis urbibus parum favit,
itineribus crebris intentus, vendidit Enſiferorum Germanico-
41. rum ordini 18000. marcis Eſthoniam ac Livoniam, Papæ
Gregorio XI. a. 1370 renuntiavit per litteras, ſevere animad-
vertit in ſubiectos, concubinas aluit, ac per amorem furtivum
errans, ex Regina Helwige genuit Margaretham, obiit a. 1375.
44. ex doloribus podagricis. Succeſſit ei Olaus VI, Margaretæ
&

Digitized by Google

& Haquini Regis Norwegorum filius, ſub tutela matris, præmature exſtinctus a. 1387. decimo ſeptimo ætatis anno. Margareta mater vixit uſque ad annum 1412, virago, animi & conſilii plena, vicit a. 1388. die ipſo Matthiæ, Albertum Sueciæ Regem, a. 1398 *Calmarienſem* perfecit *Unionem*, ac per Pag. 49.
nævum politicum principatum Sleſvicenſem vacuefactum Comitibus Holſatiæ in feudum contulit. Conciliavit ſibi caro pretio fraternitates complures. Non eſt, quod repetamus Archiepiſcopos Lundenſes, Epiſcopos Roeskildenſes, Odenſeenſes, Sleſvicenſes, Ripenſes, Aarhuſanos, Wiburgenſes, Borglumenſes, Sæculorum XIV & XV. Omittimus chronologiam ſacram utriuſque Sæculi, diplomatibus ac chartis vetuſtis refertam. Nobilitatis decus in Dania ſæculo XV. crevit in immenſum. Nobilium Germanicorum familiæ in Da- 264.
niam infuſæ, ſibi vindicarunt haud ſecus ac Danicæ, ampliſſimas eccleſiaſticas dignitates. Commercia per Daniam exercebant tunc urbes Hanſeaticæ, quarum caput erat Lubeca. Sed Chriſtianus II. Hafniam mutavit in emporium, ringentibus illis urbibus, ac cauſam ad Imperatorem deferentibus. Clerici & Canonici cereviſiam divendebant Germanicam. Ruſtici 25000 inſurgebant in Epiſcopos & Clericos, eis penſionem denegantes. Legatus Pontificis, Martinus Fregenus, dictita- 267.
vit, illum *omnem creaturam humanam regere.* Epiſcopi ac plerique antiſtites ſacri, erant quidem *Nobiles*, at rei ſacræ imperiti. Quare Proteſtantibus cum impares eſſent, Ioannem Eccium evocabant fruſtra, ac per imprudentiam Epiſcopatus amittebant. Vitia eorum copioſe expoſuit Cel. Auctor. Rectores eccleſiarum rixabantur cum Monachis de reditibus. Illorum veſtes non erant definiti coloris. Monachi S. Salva- 280.
toris ac ſorores ſ. Brigittæ, in communia monaſteria congregati, Daniam ſæc. XV. intrabant, nec non Carmelitæ, & ſorores S. Thereſiæ. Franciſcani ad avia prolabebantur, propterea 286.
coerciti. Monachi omnes, ingruente Reformatione, dilapſi. Hæc & alia, ad ſtatum eccleſiaſtiqum & litterarium referenda, Ven. Auctor ſolide diſquiſivit ac copioſe deſcripſit; iam ad Epiſcoporum patriæ dignitatem ampliſſimam evectus.

ACTA DIVAE RESTITUTAE VIRGINIS ET martyris, cum philologicis enarrationibus IACOBI CASTELLII ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum, Benedictum XIV. P. O. M.

Neapoli, 1742. in 8. pl. 13.

Quotannis, in magna hominum celebritate, ſacra S. *Reſtitutae* fiunt Neapoli. Cuius res geſtæ quum plerosque propterea fugiant, quia vetuſti actorum codd. MSti in pluteis obſignati latent; maxima autem *Bollandorum* volumina, in quæ, patrum memoria, fuerunt acta relata, in amplis tantum bibliothecis ſervantur: Auctor clariſſimus ſuum eſſe putavit, illa ſeparatim emittere, neque tantum ad veterum codicum fidem caſtigare; ſed etiam pro virili parte, illuſtrare; *acta* quippe *ſui ſuarumque rerum tutelaris.* In fronte igitur epiſtola ad Pontificem M. comparet, quam præfatio ad lectorem, & litteræ Benedicti XIV. quibus gratias agit Auctori, ſequuntur. Ipſe vero libellus in tres partes deſcriptus eſt, quarum prima *Acta S. Reſtitutae virginis & Martyris, Aſiae, in Aenaria inſula primum ſepultae, deinde Neapolin translatae*, complectitur. Quibus præmittitur *Godofridi Henſchenii*, e. ſoc. Ieſu, præfatio, (ex Actis Antverpiens. Sanctorum) qua tria potiſſimum loca habitatione, ſepultura & translatione reliquiarum S. *Reſtitutae* celebria haberi indicat: nempe *provinciam Africam*, in eaque locum *Ponizarium*, ubi coram iudicio *Primarii*, ſeu Advocati illius provinciæ, utique proconſularis, ſe chriſtianæ diſciplinæ alumnam profeſſa ſit: deinde inſulam *Aenariam*, nunc. *Iſchiam*, ad quam funus eius delatum: tandem *Neapolin*, in qua urbe Conſtantinus, quem Magnum uſurpamus, in eius honorem templum exſtruxiſſe dicitur, in quo ſub altari ante annum 1610. reliquiæ eius repertæ pie creduntur. De actis ipſis idem vir doctus iudicat, *eſſe ea graviter*
Pag. 7. *ſatis, nec ineleganter (ut eo Saeculo) ſcripta: apparere tamen longas illas inter martyrem ac iudicem diſſertationes, & quas ipſa ad Deum fudiſſe dicatur preces, ab ingenio auctoris rhetorico fuiſſe adornatas, quales tali occaſione ac tempore crediderit conve-*

Digitized by Google

convenire. Utinam autem, ille ſubiungit, *ſimili libertate non ſint explicata cruciatuum Sanctae adhibitorum genera atque aliae plures circumſtantiae!* Quam viri acuti indignatiunculam nemo poterit non probare, qui quidem *acta ipſa,* quæ ex duplici Pag. 9.
MſC. eruta a *Caracciolo* dicuntur, & in tria capita deſcripta ſunt, perlegerit. Exponit vero c. I. *de profeſſione fidei coram iudice & erudita diſſertatione,* c. II. *poſt prima tormenta & conſul-* 18.
tum a iudice Praefectum, de nova fidei profeſſione, c. III. *de* 26.
poſterioribus tormentis, obitu, ſepultura. Sed ſatis de his, quæ pridem in actis ſanctorum Antverpienſibus publici iuris facta ſunt. Sequitur *altera* libelli *pars, Iac. Caſtellii* caſtigationes 33.
complexa, quas e tribus voluminibus ſcriptis ſumſiſſe ait, quorum formam faciemque ipſe ſatis deſcribit. Sed præter titu- 34.
lum ac diviſionem, quæ in MS. nulla eſt, quippe uno & integro excurſu ſcripturæ exarato, vix quidquam invenimus, ad res quidem verborumque ſenſus præſtans. Quamobrem 49.
ad *tertiam* venimus *partem,* quæ eiusd. *philologicas enarrationes in acta* exhibet, in quibus primo de nonnullis rebus in genere diſputat, quæ ad acta ſpectent, deinde vero ſingulos eorum locos illuſtrat. Illuc quidem pertinent, quæ de Auctore diſſerit, quem nihil commentum eſſe putat, partim propter virginis divæ ſagacitatem, quæ ideo ſubtiliter copioſeque diſputare potuiſſet; partim propter magiſtratuum conſuetudinem, qui ſedentes in foro late diſſerere quondam conſueti fuiſſent, partim propter exceptorum ſeu notariorum, qui litteris acta conſignarent, celeritatem. Eodem referendum eſt, quod de tempore martyrii prodit, quod non in Diocletiani, aut Valeriani, ſed Numeriani imperium, incidere iudicat. (p. 57.) Denique ibidem alias fuiſſe Reſtitutas commemorat, (p. 65) nec quatuor tantum illas, quod Caracciolus putavit, ſed quinque: tres nempe in Africa, quartam in Sardinia, quintam in Italia. Poſtremo, ſi S. Reſtitutæ corpus legatur ex Italia in Galliam translatum eſſe, id ſic intelligendum eſſe ait, ut Sanctorum corpora in partes diviſa, & oſſa translata eſſe alio, pronuntiet, ubi multus eſt in defendenda hac conſuetudine a lege quadam XII. tabularum, qua, homini

Digitized by Google

mini mortuo, vetitum eſt, oſſa legi. Quibus tamquam prælibatis, ad ſingularium rerum enarrationem progreditur; ſed implorata prius, votis ac precationibus, diva ſua, ut ipſa tutelaris coepti operis proſperos det ſucceſſus. (p. 73.) Pleraque, quibus acta illuſtrat, ex hiſtoria ritibusque antiquis ducuntur: idcirco per ſe fere nota ſunt iis, qui aliquem rerum veterum uſum habent. Interim tamen quædam non vulgaria paſſim etiam aſperguntur, quo referas, quæ de præfecto Africæ, (p. 80.) de primariis, (p. 109,) de iure iurando per limina ſacra templorum, (p. 156.) de elogiis chriſtianorum capitis damnatorum, (p. 162.) & id genus aliis, erudite diſſerit.

Pag. 201. Coronidis loco ex libro *Davidis Romaei*, qui eſt *de ſeptem ſanctis cuſtodibus ac praeſidibus urbis Neapolis*, (1570) adiecta ſunt, quæ ad d. *Reſtitutam* pertinent, de quibus, quod parum a ſuperioribus diſcrepant, in præſenti plura dicere neceſſe non eſt.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA

Tomi VIII. Sect. X.

VINDICIAE EXEGETICO-THEOLOGICAE de diſcipulis XII. Epheſinis in Ioannis baptiſma baptizatis, ac donis Spiritus Sancti miraculoſis exornatis, Act. XIX, 1-7. Auctore M. IOANNE ANDREA SIEPIO, eccleſiæ Sizenrodenſis Paſtore.

Torgaviæ, 1751. apud Io. Theoph. Peterſellium. 4. pl. 18.

Dividit Auctor reverendus opuſculum ſuum exegeticum in duas inprimis ſectiones, quarum *prior* exegetico-dogmatica; *poſterior* exegetico-elenchtica eſt. In priori, ante omnia, opera, labor, & ſtudium apoſtoli Pauli laudatur, &, quanta circa eccleſiam Chriſti inſtituendam et amplificandam eorum fuerit induſtria, ſtrictim docetur. Idem factum eſt in eccleſia Epheſina, ubi ſecundum Lucæ commemorationem, circa tempora Iohannis, iam diſcipuli quidam, ab ipſo baptizati, commorati fuerunt. Diſpar eſt ſententia de his hominibus, in Meſſiam advenientem aqua luſtrali initiatis. Proxime tamen veritati accedere videtur ſententia eorum, qui ſtatuunt, Iudæos fuiſſe illos, ex Aſia Hieroſolymam, ſacro-

Digitized by Google

rum cauſa, quondam peregre abeuntes & redeuntes, ita tamen, ut ante reditum a Iohanne fuerint baptizati; vel, Iohannis Baptiſtæ tempore in Iudæa illi fuerunt verſati, ab ipſo baptizati, & deinde ante perpeſſionem & mortem Salvatoris, incertum quo caſu, delati fuerunt in terras peregrinas, ubi rerum a Chriſto geſtarum expertes manſerunt. Optimo itaque iure hi diſcipuli in diſperſorum Iudæorum numerum ſunt referendi. Inquiritur hic etiam in ſignificationem *ſpiritus*, in textu occurrentis, de ſpiritu igneo, *Matth.* III, 11. & de donis extraordinariis æque, ac ordinariis, larga copia effuſis, explicandi; ubi celeberrimi *Lightfooti* ſententiam non improbat Auctor, dicentis, non omnem cognitionem donorum Spir. S. Epheſiis eſſe denegandam, ſed notitiam ſaltem effuſionis Spiritus S. non habuiſſe illos. Paulus igitur cum intellexiſſet, hos advenas Epheſios ignorare ſtatum eccleſiæ poſt Chriſti aſcenſionem in coelos, ſuggerere illis vult, unde factum ſit, quod donis illis illuſtribus & miraculoſis ſint deſtituti. Novam hinc illis quæſtionem proponit, ut eliciat eorum reſponſo, organon ſalutis, quo, fidei participes, confirmati fuerunt. Quærit itaque ex illis εἰς τί, *in quid* baptizati eſtis, in quam doctrinam & inſtitutionem? Nemo enim adultiorum, ſine prævia inſtitutione, baptizabatur, quia in iis baptiſmus erat inſtrumentum fidei obſignandæ, & confirmandæ. Hanc doctrinam ſuam & inſtitutionem nunc vocant Iohannis baptiſma, a potiori nimirum denominatione facta, & per ſynecdochen, toto Ioannis miniſterio, quod docendo & baptizando peragebatur, deſignato. Hac itaque ratione confitentur, ſe Ioannis doctrina atque miniſterio ornatos, & eccleſiæ initiatos quidem fuiſſe, ac de Spiritu Sancto audiviſſe, ſed dona eius extraordinaria non percepiſſe. Quo facto Paullus τρόπον παιδείας Ioannis Epheſiis indicat, quod ipſe videlicet primum fidem in Chriſtum docuerit, ac deinde candidatos baptiſmi de Chriſto informatos, in nomine Ieſu baptizaverit. Iohannes, vox clamans, ſeu clamantis dicitur ideo, quia verbum Dei de poenitentia ore ſuo tradebat, legem & Evangelium proponebat, & hac ratione vox prædicantis Dei merito ſe

ipſum

ipſum dicebat, utpote qui non ſua inventa protulerit, ſed eam quam Deus ipſi ſuggeſſit doctrinam propoſuerit. Hoc in loco inſerit Noſter quædam de Iohannis, primi N. Teſtamenti doctoris, vocatione ad miniſterium ſacrum, itemque de loco *Bethabara* & *Aenon*, ubi baptiſmali munere functus legitur. Infert inde Auctor, in Ioanne vaticinium Malachiæ eſſe completum, illumque quaſi limitem fuiſſe V. & N. Teſtamenti, quocum illud finitum, hoc vero inchoatum fuerit. Legem & Evangelium ſummam prædicationis Ioannis fuiſſe, quæ non nuda oratione, ſed fortaſſe catechetica etiam informatione, abſolvebatur, confeſſionemque illum exegiſſe publicam ante baptiſmum, ſatis conſtat; & notiora ſunt iſta, quam ut his recenſendis prolixius admodum inhæreamus. Confeſſionem quidem hanc Iohanneam ita exponit Noſter, ut ſtipulatio quædam, conventio, & pactum eiusmodi inter Deum & hominem baptizatum intelligatur, quando Deus in baptiſmo cum baptizando paciſcitur, eique ex pacto confert bonam conſcientiam, a reatu nempe ac poena, per Chriſtum, liberatam. Deus, ſe ei fore Deum, Patrem, Proviſorem, & Protectorem promittit; atque vice verſa fidelis homo pollicetur, ſe Deo patri futurum eſſe filium obedientem, ac fidelem ſervum, ſe novam vitam ingreſſurum, conſcientiam bonam ab eo acceptam conſervaturum, uſque ad extremum vitæ halitum. Pergit inde Auctor ad demonſtrandam divinam baptiſmatis Ioannis auctoritatem, ubi præter reliqua, ſatis nota, de proſelytorum baptiſmo in V. T. nervoſe breviterque diſputat, eumque prorſus negat, ideo, quia nullum plane eius in tota ſcriptura extat mandatum; deinde, quia huius baptiſmi veſtigia, ante tempora captivitatis babylonicæ, ſunt obſcuriſſima; & quia denique, nec apud *Ioſephum*, nec apud *Ariſteam*, nec *Philonem*, nec *Tacitum*, ullum huius cerimoniæ veſtigium deprehendimus. Accedit, quod nemo Patrum primævæ eccleſiæ baptiſmi huius meminerit, cum tamen ceteroquin de ritibus Iudæorum non taceant. Sed redimus ad rem, ubi differentia inter miniſterium Ioannis & Apoſtolorum explicatur; quod nimirum poenitentes a

Digitized by Google

Ioanne fuerint edocti credere in Chriſtum, natum quidem, ſed nondum publice manifeſtatum, quod is monſtraverit Chriſtum revelandum, & nunc præſentem: Apoſtoli vero Meſſiam paſſum, mortuum, in vitam revocatum, & ſublimia petentem templa coelorum, prædicarunt. Adeoque re vera finis miniſterii Ioannei alius non erat, quam ut homines ad poenitentiam & fidem in Chriſtum perduceret, ut baptizati in fide conſervarentur, vitæque ſpiritualis, ac donorum ſanctificantium incrementum caperent, nec non varios fidei fructus proferrent: cuius doctrinæ capita prolixius Auctor exponit, & eorum ſententiam ſubruit, qui cum *Grotio* & *Limborchio*, aliiſque, putant, per baptiſmum Iohannis homines tantum ad reſipiſcentiam obligatos fuiſſe, non autem illum Chriſto, eiusque diſciplinæ, eos conſecraſſe, ac fidem in adultis obſignaſſe. Sed perſpicue Ioannes, teſte Paulo, in noſtro loco, huius rei contrarium aſſirmat, &, quam curate ad Meſſiam populum adducere ſtuduerit, docet. Pergit inde Auctor ad verſiculum *quartum* & *quintum*, ubi Paulus auditorum Ioannis mentionem facit, ita ut omnes Baptiſtæ doctrinam de Chriſto recipientes, & credentes, baptizati fuerint. Hoc ſibi volunt verba, obſcuriora aliis viſa: Ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν κ. τ. λ. Per ἀκούσαντες, non præciſe intelliguntur diſcipuli Epheſini, quos Paulus tunc inſtituebat, ſed omnes ii, quos Ioannes Baptiſta docuerat, & ad baptiſmum ſuum præparaverat. Id evincunt connectendi particulæ, μὲν & δὲ, quæ ſibi invicem reſpondent & opponuntur, ita, ut comma *quintum* compleat ſententiam commatis *quarti*, atque hæc duo commata ita cohæreant, ut ambo contineant ſermonem Pauli, quo hos Epheſios diſcipulos plenius erudivit de Ioannis baptiſmo. Reliqua hinc verborum connexio & virtus ſine ullo negotio erit explicanda, ubi per ſe patet, Paulum Epheſios non denuo baptizaſſe, quia iam obedientes dicto Ioanneo fuerant antea Epheſii iſti. In *nomen* Ieſu Chriſti baptizare vero hoc in loco eſt, in mandatum, ſecundum ordinationem Ieſu baptizare. Nulla enim eſt dubitatio, quin Ioannes etiam eadem, quam Chriſtus præſcripſerat, formula,

in

Digitized by Google

in baptizandis diſcipulis fuerit uſus, & nomen Patris, Filii, & Spiritus S. adhibuerit, cum ex doctrina doctoris illius primi ſatis liquido appareat, eum perſpicuam Trinitatis populum docuiſſe notionem. Certiſſimum inde eſt, Epheſios diſcipulos dona ſanctificantia, ut illuminationem, regenerationem, converſionem, iuſtificationem, & ſanctificationem, accepiſſe, non vero dona adminiſtrantia miraculoſa & extraordinaria, per impoſitionem manuum. Ritus hic eſt antiquiſſimus, & quoties illius in Scripturis ſacris mentio iniicitur, toties quoque in memoriam nobis revocandæ ſunt eius preces, qui alteri manus ſuas impoſuit. Atque his precibus Numen divinum implorabatur, ut per ſuam omnipotentiam homini id concederet, quod ab illo per ſuos legatos & prophetas petebatur. Et facile eſt iudicatu, quod ardentiſſimis precibus Paulus in hac manuum impoſitione fuerit uſus, licet illæ non exprimantur. Hac itaque ratione, diſcipulis his Epheſiis, dona miraculoſa contingebant, & in numerum eorum iſti referebantur, qui antea non adierant ſcholas eruditorum, ſed audiendo Apoſtolum Paulum, eiusque manibus impoſitis, tot tantisque donis inſtructi erant extraordinariis, ut non ſolum vaticinia de Chriſto ipſi intelligerent, ſed aliis etiam hominibus, linguis peregrinis, Evangelium annuntiare potuerint. Quæ omnia ex effuſione Spiritus S. proveniebant bona; atque iſta erat obſignatio ſatisfactionis Chriſti, & fructus adſcenſionis Chriſti, ad patrem evecti. Succedit *Sectio* poſterior, quæ eſt *Exegetico Elenchtica*, ad quam ſatis eſt, paucis monere lectores, ut ſciant, Auctorem primo, & prolixe etiam, contra Cl. *Bennerum* inſurgere, minus caute ſtatuentem, iterum hos diſcipulos fuiſſe baptizatos. Omnia hic diſſentientis expenduntur momenta, ut nihil facile addi poſſit. Reliqui diſſentientes, v. g. *Limborchius*, *Bellarminus*, *Sociniani*, *Graeci*, aliique, in ceteris oppugnantur diſſertationis huius partibus, de qua vere dici poteſt, Auctorem clariſſimum, ſecumdum ſummum probabilitatis gradum, verba Lucæ ita expoſuiſſe, ut omnem Theologorum aſſenſum mereatur; &

 licet

Digitized by Google

& licet non omnia noviter dicta fuerint, nova tamen ratione, id eſt ſolide & curate, ſententiæ ſuæ cauſam oraſſe.

IOANNIS CHRYSOSTOMI A SANCTO IOSEPH, ex Clericis regularibus Scholarum Piarum, Diſſertatio de Canone ſacrorum librorum, conſtituto a ſanctis Patribus in magno Nicæno Concilio. Diſſert. II. de Numero Canonum, quos Sancti Patres in magna Synodo Nicæna conſtituerunt. Diſſ. III. de S. Athanaſii appellatione ad S. Iulium Papam, & perfugio ad Conſtantinum Imperatorem.

Romæ, ex typographia Octavii Puccinelli, Superiorum facultate. 1742, 4.
4 Alph. 12½ plagg.

Hiſtoriam eccleſiaſticam, artemque criticam, diiudicandis doctrinis theologicis non ſolum aptam, ſed neceſſariam quoque eſſe, nemo facile dubitat. Utramque callet pl. rev. Auctor, eiuſque peritiæ ſpecimen triplex orbi erudito in hoc opere exhibet luculentum, in opere, quod Pontifici Maximo Benedicto XIV. inſcripſit. Dederat ipſi Benedictus XIII. id negotii, ut conſignaret litteris hiſtoriam Synodi, quam ipſe in Laterano Romæ celebraverat. Scripſit Auctor Synodi decreta, interpoſitis paſſim ſcholiis, quibus lectorem ad decreta ſuperiorum conciliorum delegabat. Obtulit deinceps Benedicto XIII hiſtoriam illam. Hic eam voluit Archiepiſcopo Theodoſiæ, qui nunc eſt Benedictus XIV, inſcribi. Interrupit editionem mors Benedicti XIII. inopinata, & autographum Auctoris, in manus, quas ipſe neſcit, translatum fuit. Ita ſpes editionis intercidit. Commentatur itaque hoc libro de concilio oecumenico Nicæno, eoque canonicorum librorum ſeriem numerumque credit fuiſſe definitum. Implicatur hoc argumentum definitione numeri canonum Nicænorum, inter quos Auctor refert eos, quos ex arabico quodam codice, Baptiſta Romanus, Societatis

Ieſu

Digitized by Google

Ieſu presbyter, illico latine reddidit. Canones Nicæni græci æquant numerum XX, non ſuperant. Natalis Alexander negavit, provocaſſe Athanaſium ad Iulium Epiſcopum Romanum, reſpondens ad primum argumentum, Arabicis Nicænis canonibus accommodatum. Inde ſubnata fuit Auctori occaſio ſcribendi tertiam Diſſertationem. Ut primam ſcriberet Diſſertationem, adductus fuit a Cl. Ioſepho Blanchino, Patricio Veronenſi, ac Congregationis Oratorii Romani Presbytero, qui, publicaturus nonnullos Italæ verſionis bibliorum antiquæ Codices vetuſtos, primo volumini generalem præfationem præfixit, in qua recenſet ea, quæ ad catalogum biblicorum librorum pertinent. Voluit hic ad mentionem Concilii III. Carthaginenſis adnotari hæc: *Canon Scripturarum concilii huius in celebri Codice Vallicellanae bibliothecae inſcriptus eſt Concilio Nicaeno.* Neglecta fuit, inter feſtinationem preli typographici, hæc adnotatio. In mentem venit Auctori, rem tanti monenti exponere peculiari Diſſertatione. Adnuit Blanchinus, & inſtituti meminit p. 361. Patres Concilii Carthaginenſis tertii memorant, ſe a Patribus in eccleſia legendos accepiſſe libros. Canon Vallicellanus eis ſuffragatur, ſeculi VIII. aut IX. opus. En illum: *Ut praeter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur. Capituli* XXIV. *) *Nicaeni Concilii. Item ut praeter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae, id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Hieſus Nave, Iudicum, Ruth, Regum Libri IV, Paralipomenon Libri* II, *Iob, Pſalterium, Salomonis Libri* V, *Libri* XII. *Prophetarum, Yſaias, Hieremias, Hiezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Eſther, Esdrae Libri* II, *Machabeorum Libri* II. *Novi Teſtamenti: Evangeliorum Libri* IV, *Actuum Apoſtolorum Liber unus, Epiſtolae Pauli* XIV, *Petri Apoſtoli* II, *Iohannis Apoſtoli* III, *Iudae Apoſtoli una, Iacobi Apoſtoli una, Apocalypſis Iohannis, Liber unus. Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium Epiſcopis, pro confirmando*

Diſſ. I. p. 60.

*) Lege Capituli XLVII. Carthagin. Concilii.

mando illo Canone, innoteſcat: quia a Patribus iſta accepimus in eccleſia legenda. Bonifacius ille Epiſcopatum Romanum capeſſivit anno 418. Meminiſſe iuvat inter hæc, Afros, tempore huius Bonifacii, haud habuiſſe definita per Concilium Nicænum, eaque genuina, in manibus, ſed ea ſecum voluiſſe a Bonifacio communicari transmiſſa. Vide *Codicem Canonum eccleſiae Africanae* Chriſtophori Iuſtelli, Pariſiis editum 1615, 8, p. 349, 353, 354. Librorum in eccleſia legi ſolitorum canon fuit perſcriptus ſynodo Carthaginenſi 397, Bonifacio nondum Romanæ eccleſiæ præſidente. In catalogo ſynodi illius 397. celebratæ, canon N. T. ſic recenſetur: *Novi autem Teſtamenti viginti ſeptem. Pauli tredecim, eiusdem ad Hebraeos una* —. Differunt hæc a codicis Vallicellani modulo, non re ipſa. Auctori viſum fuit e re ſua fore, ſi in præfatione, Diſſertationi priori præmiſſa, iudiciis Guilielmi Whitackeri, Angli, Pappo Argentoratenſi, & ipſi Ioanni Calvino obviam iret, ratis, libros V. T. qui a Proteſtantibus vocantur *apocryphi*, ante Synodum Tridentinam publico concilio haud habitos fuiſſe pro canonicis. Opponit eis Noſter Innocentii I. epiſtolam ad Exuperium c. 7. Auguſtinum, Gelaſii ſynodum, cuius Acta alii intercidiſſe putant, Alcimi Carmen, Caſſiodori teſtimonium, nec non Iſidori Hiſpalenſis, auctoritatem ſynodi Carthaginenſis, Toletanæ I, Lateranenſis ad a. 1215. & Florentinæ ſub Eugenio IV. Illa verba: *Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium epiſcopis, pro confirmando illo canone, innoteſcat,* dicuntur vulgo ſpectare ad ſynodum Carthaginenſem VI. Sic enim legitur in margine To. I. Harduin. col. 968. At in hac ſynodo nulla iniicitur mentio canonis librorum, in eccleſia legendorum. Indicatur potius Bonifacius aliquis, epiſcopus Numidiæ, qui cum tractus vicini epiſcopis haud comparuerat in Synodo. Horum deſiderabatur ſubſcriptio, qua canonibus confirmationem adiicere more erat receptum. Canon biblicorum librorum, quibus doctrinæ chriſtianorum ſuperſtructæ erant, confundendus haud eſt cum canone librorum, qui in eccleſia legebantur, quorum nonnulli tantum inſerviebant

bant

bant ædificationi plebis qualicunque. Prælegebantur etiam publice vitæ & acta Martyrum. Canon biblicus differt a canone eccleſiaſtico. Hic enim præterea complectitur *apocrypha*, Sapientiam, Siraciden, Iudith, Tobiam, & unum vel etiam duos Maccabæorum libros, teſtibus Radulpho Flaviacenſi in Levit. L. XIV. c. 8. Glôſſa iuris canonici in c. *Canones* diſt. 16. in verb. *Apocrypha*, Hugone de S. Victore, Petro Bleſenſi, Hugone de S. Caro Cardinale in præfat. ad librum Ioſuæ, & *Commentario* ſuper Eſther circa finem, aliisque romano catholicæ eccleſiæ cultoribus. In Hieronymi *Prologo galeato*, qui Vulgatæ præfixus eſt, perſpicue hæc leguntur: *Hic prologus* (in Librum Regum), *ſcripturarum quaſi galeatum principum, omnibus libris, quos de hebraeo vertimus in latinum, convenire poteſt, ut ſcire valeamus, quicquid extra hos eſt, inter apocrypha eſſe ponendum. Igitur Sapientia, quae vulgo Salomonis inſcribitur, & Ieſu filii Sirach liber, & Iudith, & Tobias, & Paſtor, non ſunt in canone.* His adnumerat duos de Maccabæis libros. Idem in præfatione ad librum Iudith: *Eius auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea indicatur.* Idem in Præfat. ad Proverbia: *Libros Iudith & Tobiae & Machabaeorum legit quidem eccleſia, ſed eos inter canonicas ſcripturas haud recipit; ſic & haec duo volumina* (Sapientiæ & Eccleſiaſtici) *legit, ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* In canone biblico igitur his libris Hieronymus haud ſtatuit locum, tantum abeſt, ut librum Iudith crediderit in canonem biblicum a concilio Nicæno fuiſſe collocatum. In Præfatione quidem in Iudith ita videtur ſcripſiſſe, *ſed quia hunc librum ſynodus Nicaena in numero ſanctarum ſcripturarum legitur computaſſe, acquievi poſtulationi veſtrae;* attamen nemo unquam comprobabit, concilio Nicæno canonis biblici & eccleſiaſtici libros in cenſum numeri collectos vel computatos fuiſſe. Græci canones XX, arabici LXXX, arabici LXXXIV. Abrahami Echellenſis, tacent hic prorſus. Ad Synodum *Punicam*, vel *Nicaenam* Africæ, illa ſpectant, ad ſynodum Carthaginenſem tertiam. Eodem refer ex codice Vallicella-

 no

no mentionem *Nicaeni Concilii.* Carthagini enim novæ, ab
Auguſto prope locum veterem inſtauratæ, nomen quoque
adhæſit *Nicaeae, Felicis, Aureliae, Commodianae, Iuſtinianae.*
Hieronymo illa duo pronuntiata, *legere in eccleſia ad aedifi-*
cationem plebis, & *legere ad auctoritatem,* ſatis differunt. Au-
Pag. 20. ctor contra: *Quisque videt, pro uno eodemque accipi, librum*
legi in eccleſia, ac recipi in auctoritatem. Credit ipſe, patres
Carthaginenſis III. ſynodi, canonem librorum in eccleſia le-
ctorum, accepiſſe ex decreto concilii magni Nicæni. At in-
tra XX græcos canones huius concilii nihil legitur de canone
librorum, in eccleſia legendorum. Recipit ſe itaque Auctor
ad canones 80, immo 84, ex arabico latine factos, quos
evulgavit denuo Iohannes Harduinus To. I. *Concil.* col. 463, ſ.
Conquieverunt tamen in numero XX. canonum græcorum,
reiecto inter ſpurios Baptiſtæ Romani libro, Chriſtianus Lu-
pus, Bernardus van Eſpen, Natalis Alexander, alii. Ipſe
Auctor indicat, hanc adhuc cauſſam eſſe in medio, & litem
24. ſub iudice. Viginti modo canones concilio Nicæno tribuunt
Rufinus H. E. I, 22, licet unum canonem bis in geminum di-
viſerit, ac ita 22 numerarit; Theodoritus H. E. I, 8. Gelaſius
Cycizenus in *Actis Concilii Nicaeni* II, 31. Io. Richardſon
Prael. eccl. Vol. I, c. 16. Tillemontius *Memoir.* To. VI.
P. III, art. 16. Chriſtianus Lupus *Diſſ. de Synodo Nicaena*
c. 8. p. 278. To. I. Opp. Emmanuel a Schelſtrate To. I.
Antiqu. eccleſ. illuſtr. p. 292. arabicos illos canones poſt Iuſti-
nianum Magnum fuiſſe demum procuſos, docuit Romæ. Pe-
trus de Marca *de concordia Sacerd. & Imperii* II, 9, originem
eorum reiicit ad decimum uſque Sæculum. Diſpiciemus nunc
enuntiata pl. rev. Auctoris. Monet ille, ſacros Hebræorum
libros ab eccleſia chriſtiana fuiſſe pro divinis ſuſceptos, teſti-
bus inſuper laudatis Iuſtino Martyre, Tertulliano, ac Euſe-
bio. Adgregarunt Chriſtiani volumini illi ſcripta Evangeliſta-
rum & Apoſtolorum, quæ continentur ex conſenſu omnium
Chriſtianorum tabulis N. T. Tentarunt iam ſaeculo III. &
IV. utrique illi volumini aliquid addere homines, e. g. Hermæ
paſtorem, duas Clementis epiſtolas, octo libros conſtitutio-
num

Digitized by Google

num apoſtolicarum &c. Neceſſum itaque fuit, ut diſcernerentur libri canonici ac divinitus dati, a non canonicis. Synodus Laodicena indicavit *paullo ante* concilium Nicænum, apocrypha V. T. haud eſſe ſuo iudicio divina. Ea enim in catalogo haud recenſuit. Aliis videtur Synodus illa in annum 364. ponenda. Origenes apud Euſebium H. E. VI, 25. & Comment. ad Pſ. I. apocrypha V. T. omiſit, monens, *extra* divinorum V. T. *librorum cenſum* eſſe *libros Maccabaeorum*. Melito, Epiſcopus Sardenſis, apud Euſebium H. E. IV, 26, libros V. T, quos Iudæi pro divinis haud receperant, in canone haud refert. Auctor ſynopſeos, quæ ſolet Athanaſio tribui, ac Tomo II. Operum eius legi, dilucide: *Alii* V. T. *libri non canonici, qui catechumenis tantum leguntur, Sapientia Salomon. Sapientia Ieſu Sirach. Eſther* *). *Iudit. Tobias*. Libros de Maccabæis nequidem meminit. Auguſtini ſunt hæc de *Civ. Dei* XV, 23: *Multa ſunt ſub nominibus & aliorum propheta- rum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum, ab haereticis prolata, quae omnia ſub nomine apocryphorum, auctoritate canonica, diligenti examinatione, remota ſunt*. Inde colligit Noſter, ante Auguſtinum, remotionem, per concilii alicuius deciſionem, fuiſſe peractam. Ariani ex Hermæ Paſtore protuliſſe dicta, oſtendit Athanaſius, qui addit, *is liber ex canone non eſt*. Inde putat Noſter, iudicium hoc niti decreto Synodi. Paſtorem Tertullianus eximit libris N. T. canonicis, eo quod *ab omni concilio eccleſiarum inter apocrypha & falſa ſit iudicatus*, L. de Pudicitia. Origenes eum Comment. ad Romanos XVI. *divinitus inſpiratum* putat. Euſebius H. E. III, 3. negat eum ſcriptis, *omnium adſenſu adprobatis*, adnumerari. Rufinus in *Symboli expoſitione* libros V. T. & N. T. recenſet, quos *Patres intra Canonem concluſerunt, & ex quibus fidei adſertiones conſtare voluerunt*, omiſſis Sapientiæ libro, Eccleſiaſtico Siracidis, Tobiæ libro, Iuditha, & duobus Maccabæorum. Tum vero addit, eos, & *Paſtorem*, his præmiſſis: *ſciendum eſt, quod & alii libri ſunt, qui non ſunt canonici, ſed eccleſiaſtici amaioribus adpellati ſunt —, quae omnia legi quidem in eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei*

Pag. 4. 6. 9. 11.

*) Puta *Fragmenta*.

confirmandam. Provocat ad *Maiores,* ac reliqua ſcripta vocat *apocrypha,* & addit, *Haec nobis a Patribus tradita ſunt.* Athanaſius videtur dixiſſe, libros eos eſſe ſtatutos *decreto Patrum.* Inde Auctor concludit, deſignari Patres Nicænos, non Laodicenos, quippe qui Apocalypſin Iohannis omiſerint. Ipſe ſibi perſuadet, plerumque libros V. T. dictos fuiſſe *cano-*
Pag. 14. *nicos,* qui fuerint in canone ebræo; *eccleſiaſticos* vero, qui in canonem ab eccleſia chriſtiana fuerint præterea recepti. At canonicos N. T. libros Rufinus ſecernit æque ab eccleſiaſticis. Auctor ſynopſeos illos V. T. eccleſiaſticos dilucide vocavit, *non canonicos.* Eccleſiaſticos illos excluſerunt Rufinus, Hieronymus, alii, ab auctoritate doctrinarum eccleſiæ. At canonici fuerunt adhibiti, ob auctoritatem dogmatum divinam. Sunt tamen, qui illos eccleſiaſticos V. T. libros latiori ſenſu vocarunt *canonicos,* e. g. Auguſtinus C. D. XVIII, 38. Canonici ita adpellati diſtinguebantur olim rurſus in libros doctrinæ adſerendæ ac confirmandæ inſervientes, & extra hanc auctoritatem legi ſolitos, ad ædificationem plebis & catechumenorum. Eapropter Auguſtinus II, 23. adverſus Gaudentii epiſtolam ita: *Scriptura Machabaeorum recepta eſt ab eccleſia non inutiliter, ſi ſobrie legatur vel audiatur.* Athanaſius in *Feſtali Epiſtola* de Apocryphis V. T. didaſcalia apoſtolorum, &
19. paſtore, ſic iudicat, eos, *a patribus decretum eſſe, legendos ab iis, qui nuper ediſcendi pietatis verbi gratia acceſſerint, non ad dogmata inde comprobanda.* Si *decretum Patrum* in concilio Nicæno factum fuit, omittendi erant ab Athanaſio *Didaſcalia* & *Paſtor.* Per *decreti* mentionem tranſit Auctor ad concilii deciſionem. At græcus Athanaſii ſermo ut id indicet, veremur admodum. Nec *Paſtor,* temporibus Athanaſii, in libris vel canonicis vel eccleſiaſticis fuit relatus. Scrupulum hunc
21. Auctor animis legentium eximere ſtuduit magnopere. In epiſtola ſynodi Alexandrinæ, quam Athanaſius ad omnes ſcripſit
25. eccleſias, hæc leguntur: Ex *Paſtore, quamquam is liber non eſt ex canone, etiam* nonnulli doctores *allegationes faciunt.* Decretum igitur illud Patrum haud ſpectat ad canonis formationem. In Nicæno Concilio *de Scripturis ſacris* adverſus Arianos

nos

Digitized by Google

nos diſceptatum fuiſſe, Noſter contendit. Arianos, in enuntiatis codicis ſacri perperam interpretandis, eo concilio fuiſſe diligentes, tradit Theodoritus H. E. I, 4. p. 11. (ed. Cantabrig. 1720, f.): at, ipſos de numero librorum canonicorum litigaſſe, nemo veterum adfirmavit. Conſtantinus Maximus remiſit diſſidentes in concilio ad libros evangelicos, apoſtolicosque, ac veterum prophetarum oracula, quibus, quid de Deo ſit ſentiendum, aperte doceatur, teſte eodem Theodorito I, 7. p. 26, f. Nihil a quoquam de numero librorum canonicorum fuit obmotum, nihil obiectum. Examen & diſceptatio fuit ad communem fontem remiſſa. Euſebius, qui ad Conſtantini mandatum codices 50. divinorum librorum venuſte deſcribi iuſſit, a nemine fuit reprehenſus, ob libros aliquot, vel librorum partes, omiſſas vel corruptas, licet ipſe ſubtiliter eſſet Arianus. Noſter monet, vocabulum *Photinianorum* irrepſiſſe, aliunde intruſum in canonem VII. Synodi Laodicenæ, ac ſubſtitutum expoſitionis ergo voci *Paulinianorum.* In editionibus quamplurimis, vocabulum utrumque deficit. Auctori viſum eſt ſeſe munire teſtimoniis Caſſiodori & Auguſtini, quæ nobis ad id, quod inde ivit comprobatum, minus apta adparent. Monet, acta Chalcedonenſis Concilii haud exſtare, ſiquidem Anaſtaſius autographa iuſſerit comburi. Maioris momenti eſt Hieronymi Stridonienſis teſtimonium, ex præfatione ad librum Iudith, quod ſupra iam adtigimus. Mirum eſt, quod Hieronymus utitur illo *legitur*, atque libro Iudith auctoritatem canonicam ſimul detrahit his verbis: *cuius auctoritas ad roboranda ea, quae in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur.* Si unus ac alter adſeſſorum concilii Nicæni magni adhibuiſſet enuntiationes e libro Iudith, dici omnino poterat, librum Iudith a Nicæna ſynodo legi in numero Sanctarum Scripturarum computatum. Computatio enim illa fieri poterat vel facto, vel verbis. Si credidiſſet Hieronymus, librum Iudith tunc inter canonicos fuiſſe relatum, cum haud ubique excluſiſſet a canonica auctoritate. Nullum in concilio Nicæno canonem de numero librorum canonicorum fuiſſe editum, monuit iam Natalis Alexander.

Pag. 27. 31. 34.

Pag. 43. At peti ſic, quod eſt in principio, tradit Noſter. Id tamen
momenti alicuius eſt, quod poſt concilii Nicæni ætatem, Pa-
tres quidam, librum Iudith pro canonico haud reputarunt, ita
haud ſenſuri, ſi auctoritas canonica ei per ſynodum Nicænam
46. acceſſiſſet. Sic Natalis Alexander. Reſpondet Noſter, diſtin-
guendo inter canonem Ebræorum, & Chriſtianorum. An di-
ſtinctio hæc ſit genuinis fundamentis ſuperſtructa, diſquirant
51. alii. Tum vero Antonii Faji, Theologi Genevenſis, argu-
menta, libro Iudith oppoſita, retundere adgreditur, laudans
illa Hieronymi ex *ep.* 22, & Prudentium, qui in *Pſychoma-
chia,* typum chriſtianæ pudicitiæ, ex triumpho Iuditæ de Olo-
60. ferne depromſit. Deinde proponit canonem codicis Valli-
cellani biblicum, quem ſupra dedimus. Inquirit porro, qua
via biblicus canon a Nicæno in concilium Carthaginenſe de-
rivatus ſit, credens, recenſionem epiſtolæ Pauli ad Ebræos
77. in canone Carthaginenſi, indicem eſſe illius ex concilio Nicæ-
no derivationis. Putat enim, de epiſtolæ eius θεοπνευϛίας
paſſim ante hoc concilium dubitationem viguiſſe, licet Hiero-
nymus, ſua adhuc ætate, eam Latina conſuetudine recipi nega-
82. verit. S. Athanaſius in *feſtali epiſtola,* & Rufinus *ad Symbo-
lum,* eam tamen canoni inſeruerunt. Hieronymus *quosdam*
85. Latinæ eccleſiæ deſignavit. Martini Chemnitii ratiocinatio-
nem, ex Auguſtino *Doctr. Chriſt.* II, 8. deductam, examinat,
92. nec adplaudit Bellarmino, qui *de Verbo Dei* I, 10. reſpondit,
Auguſtini ævo numerum canonicorum librorum a concilio
generali nondum fuiſſe definitum. Monet, ſe diſſeruiſſe in
96. *Bibliotheca Paſſionea* de variis bibliorum interpretationibus,
per Proteſtantes curatis. Recenſet denuo earum nonnullas,
immemor diſcrepantiarum, quæ olim regnarunt inter *verſio-
nes* latinas, & has inter ac Hieronymianam, atque porro in-
ter manuſcripta vulgatæ, licet ad hanc ſexies fuerit emenda-
tio traducta. Conſervavit Deus fontes, ut ad eos examinen-
tur rivi, quos haud licet invenire tam puros ut fontibus æ-
102. quiparent. Fuit iam olim, florente Auguſtino, in eccleſia,
mirabilis, tum Interpretum, tum Codicum latinorum varietas,
quemadmodum refert præſul Hipponenſis *de Doctrin. chri-
ſtian.*

Digitized by Google

ſtian. II, 16, col. 19. nec non c. II, 12. Tom. III. Antwerp. 1700, f. Idem adiungit hoc moniti, ob *latinorum interpretum infinitam varietatem*, ad exemplaria hebræa & græca eſſe recurrendum. Idem repetit ipſe *contra Fauſtum* IX, 3. Auctor ſe putat inveniſſe, in ipſo hoc Auguſtini libro, veſtigia canonis biblici, per Concilium Nicænum confirmati. En Auguſtini verba: Pag. 108.
Noſtrorum librorum auctoritas, tot gentium conſenſione, per ſucceſſiones Apoſtolorum, Epiſcoporum, Conciliorumque roborata, vobis adverſa eſt, XIII, 5. Ipſe tamen eam dixerat *confirmatam Apoſtolorum temporibus*, IX, 3. Cur S. Auguſtinus in adferendis libris canonicis non fuerit uſus auctoritate canonis 112.
Nicæni, Auctor diſquirit deinceps. Originem libri ſapien- 114.
tiæ negat Philoni Iudæo eſſe tribuendum, ſuſpicans, Philonem fuiſſe interpretationis græcæ auctorem. Prævidet id telum, 121.
quo uſuri ſunt quidam, mirati, cur poſt Synodum Nicænam Patres diſſenſerint, ſi ea numerus librorum canonicorum fuiſſet conſtitutus. Hieronymus certe haud congruit aliis aliorum ſententiis, niſi quis cum Auctore crediderit, Hieronymo *canonis* vocabulum probari ſenſu Ebræorum. Epiphanii ſententiæ ab Auctore haud aliter exponuntur. Expendit ac illuſtrat ſententiam Gregorii Nazianzeni de *Apocalypſi* 131.
Ioannis, quam, hoc tradente, maior pars a cenſu librorum ſacrorum voluit removeri. Reſpondet Noſter, Gregorium adtuliſſe falſas aliorum opiniones, ac diſputationes ſcholaſticas. Id vero ex iambis Gregorii non patere, alii monebunt; rati, Gregorium ita haud fuiſſe ſcripturum, ſi numerus librorum canonicorum definitus eſſet iam Synodo Nicæna. Hieronymus ad Dardanum ſcripſit *ep.* 129: *Apocalypſin ab Eccleſiis* 133.
Graecorum haud ſuſcipi. Cyrillus tamen Alexandrinus *de Adoratione & ſpiritu* L. VI. eam *Patrum iudicio comprobatam eſſe*, tradidit. Gregorius ex ea argumentum unum atque alterum dogmaticum depromſit, Or. 32. 35. Unde Andreas Cretenſis collegit, Gregorium & Cyrillum habuiſſe Apocalypſin pro libro canonico. Iudicat inde Noſter, Gregorii iudicium de Apocalypſi fuiſſe manu aliena e carmine eius iambico abraſum. Hieronymo rem eſſe cum paucis, iisque fortaſſe hæreticis

Græco-

Digitized by Google

Pag. 135. Græcorum eccleſiis, putat, præeuntibus Baronio ac Bellarmi-
no. Rufinus, recenſioni librorum canonicorum, quibus Apo-
calypſin Ioannis adnumerat, ſubiunxit hæc: *Haec ſunt, quae*
Patres intra canonem concluſerunt. Adiecit Auctor *feſtalem*
138. Athanaſii *epiſtolam.* At ſynodi Nicænæ modo XX. canones fue-
runt ſanciti. In his nihil de canone & cenſu librorum biblicorum.
Reſpondet Auctor, eum in Actis Synodi relatum fuiſſe, quæ
adpellentur ab Athanaſio τὰ τῶν πατέρων, & ab interprete
145. Latino *Acta Patrum.* Pagius & Valeſius, Acta eiusmodi
Nicæna litteris fuiſſe conſignata, negarunt. Euſebius eorum
haud meminit. Sed Noſter ſibi perſuadet, canones eſſe A-
ctorum indices, &, teſte Nicolao I, inter Acta conſtitutos, &
Synodi Chalcedonenſis Patres profeſſos eſſe, ſe Synodi Nicænæ
ordinem ſequi, ponentes canonum ſeriem inter Acta. Vide
148. *Act.* 12. & 13, ubi id ipſum ita haud legitur. Hieronymi
adverſus Luciferianos hæc ſunt: *Superſunt adhuc homines, qui illi*
Synodo interfuerunt. Et, ſi hoc parum eſt, quia propter tem-
poris antiquitatem rari admodum ſunt, & in omni loco teſtes
eſſe non poſſunt, legamus Acta & nomina Epiſcoporum ſynodi
Nicaenae: & hos, quos ſupra diximus ſuſceptos, ſubſcripſiſſe
homouſion inter ceteros reperiemus. Hæc ad ſymbolum, niſi
fallimur, ſpectant, partim ad hiſtoriam ſynodi, a multis tunc
ſcriptam. Provocat Auctor ad ſymbolum Synodi Antio-
chenæ, quod copioſius eſt Nicæno: ad Hilarii *libellum adver-*
ſus Conſtantium, cuius locus varie legitur: ad Athanaſium,
qui enuntiata concilii Nicæni de Filio Dei adfert, quæ nec in
151. Epiſtola, nec in canonibus exſtant. Confugit ipſe ad Synodum
Chalcedonenſem, cuius hæc ſunt: *Itaque Patrum* Nicæno-
rum *veſtigiis inſiſtentes, unum atque eundem profitemur eſſe Fi-*
lium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: & una voce omnes
depraedicamus perfectum eundem in humanitate —. Non cuius-
vis eſt, hinc intelligere, Patres Chalcedonenſes indicaſſe, hæc
verba de Chriſti divina & humana natura, ex ſententiis Patrum
Nicænorum ſcriptis deſumta eſſe. Arius in Nicæna Synodo
haud fuit accuſatus opinionis, quæ ſomniat, filium Dei ad-
ſumpſiſſe corpus, non animam hominis, ſupplente partes &
munia

Digitized by Google

munia huius, Verbo. In Symbolo Nicæno legitur: *Et homo factus eſt.* Homo, animæ expers, certe non eſt homo. Huc reſpexiſſe videntur Chalcedonenſes, & ipſe Leo Magnus *ep.* 79. qui copioſius expoſuerunt Synodi Nicænæ ſententiam. Noſtro autem viſum, ſpectare enuntiata Chalcedonenſium, ac Leonis Magni ad Acta Synodi Nicænæ. Non negat, canones Nicænos eſſe modo XX. Poſtulat vero ſibi dari, præter illos Pag. 153.
canones exſtitiſſe Synodi Acta, & in his non paucas alias definitiones, partim ad diſciplinam ſpectantes; atque inter eas fuiſſe catalogum librorum canonicorum, derivatum inde in Synodos poſteriores. De hac ſua ſententia tandem Auctor modeſte ita ſentit: *Conſtanter eam nunc teneo, diſceſſurus ab ea-* 154.
dem ſine moleſtia, quando validioribus evincar rationum monumentis. Sicuti enim illa a me eſt libenter propoſita, ut viri eruditi ad eam illuſtrandam excitentur: *ita ſane, ſi contra dicant pro veritate, libenter pariter a me deſerta erit.* Fuimus copioſi in delineando huius Diſſertationis ſenſu atque argumento, ne quid deeſſet iudicio, & noſtro qualicunque, modeſtiſſime interpoſito, & lectorum potiſſime.

Progredimur nunc ad *Diſſ.* II. *de Numero Canonum, quos ſancti Patres in magna Synodo Nicaena conſtituerunt.* Diſtributa ea eſt in Partes duas. Summa iſtarum in eo verſatur, ut Natali Alexandro, aliisque fiat 2.
ſatis, qui pro XX. Synodi Nicænæ canonibus pugnarunt, & ut omnibus adpareat, multo potiora eſſe rationum momenta pro pluribus quam viginti canonibus, quam argumenta in contrarium allata. Eo ipſo demonſtraturus eſt, ſacrorum librorum canoni facilem aperiri aditum, ut inter canones Nicænos numerari etiam debeat. Recenſet ſingulas Natalis Alexandri rationes, reſpondendi ad argumenta, quibus plures quam viginti canones, concilio Nicæno, a quibusdam, non ab omnibus ecclesiæ Romanæ viris eruditiſſimis, tribuuntur. Tum vero Auctor illis reſponſionibus ſubiungit animadverſiones ſuas, nondum a Natali obiectiones penitus fuiſſe extricatas, oſtenſurus. Verſatur cauſa in teſtimoniis, quæ ex Zoſimi epiſtola, Ambroſio, ſynodo Carthaginenſi, litterarum formatarum canone, Iſidoro, Innocentio I, ſynodo Cpolitana,

Nicæno Paſchatis canone, aliisque canonibus, vulgo Nicæ-
Pag. 6. nis, arceſſi ſolent. Zoſimus ius adpellandi ad ipſius conſul-
tum deduxit ex privilegiis, a Ieſu impertitis Petro Apoſtolo.
Idem ſenſere Bonifacius, Gelaſius, & Nicolaus, Papæ, ſtatuen-
tes, tantum ſibi ideo eſſe auctoritatis, ut nemo poſſit *de* ipſo-
rum *retractare* ac reſilire ſententia. In argumento adpella-
tionum Romanarum, originem manaſſe ex canonibus ſynodi
Sardicenſis, Petri de Marca fuit opinio. Longe lateque ad-
10. verſus eam ſententiam diſputavit Auctor, ratus, Sardicenſes
canones eſſe additamenta ac expoſitiones Synodi Nicænæ, ideo-
que in numero Nicænorum canonem fuiſſe quemdam, adpel-
lationibus ad Apoſtolicam ſedem proprium. Videtur ad eum
provocaſſe Leo Magnus *ep.* 25. ad Theodoſium Imperatorem,
quum tamen canonem Sardicenſis concilii proferat, præmit-
tens hæc: *Canonum Nicaeae habitorum decreta id teſtari.* Inno-
centii I. epiſtolam, ad Victricium Rothomagenſem datam,
13. peræque laudat. Perſuadet ſibi, concilium Nicænum univer-
ſo orbi, Sylveſtro ſummo pontifice auctore, per Conſtantinum
196. Magnum fuiſſe indictum. Synodi illius durationem a Creſconio
diebus XXXVII. potuiſſe concludi, vix ipſi videtur probabile.
Dedit ei annos tres & ultra præfatio, cuidam codici arabico præ-
fixa. Conſentiunt huic Nicephorus VIII, 14. & Caſſiodorus
in *Chronico.* Ad ſex fere annos produxerunt Photius *Bibl.*
cod. 88. & Euſebius in *Chronico.* Videntur nempe Epiſco-
pi præparaſſe antea deſtinata per ſecretos conventes atque com-
municationes. Quicquid vero eccleſiis ſingulis in more fuit
poſitum antea & poſthæc uberius expoſitum, illud dictum
fuit per Nicænos Patres, eorumque decreta, confirmatum, li-
cet canonibus ſingulis id haud fuerit declaratum. Innocen-
tius I. haud aliter videtur ſenſiſſe, ſcribens Epiſcopis Galliæ,
voluiſſe Nicaenos Patres, traditiones apoſtolicas atque eccleſiae in-
ſtitutiones ad notitiam omnium pervenire. Quicquid igitur
erat diſciplinæ vel auctoritatis epiſcopalis pars, a ſynodo
haud ſublata, id dictum fuit Nicænum, & Patrum Nicæno-
rum decretum. Auctori id laudi cedit, quod ſynodi Ni-
198. cænæ præſidem fuiſſe Oſium, fuerit confeſſus. Eiusdem ar-
gumen-

Digitized by Google

gumenta, quibus, plures fuiſſe quam viginti canones ſynodi
Nicænæ, ivit demonſtratum, repetere haud vacat ſingula. Res Pag. 201.
ipſi ac lis eſt potiſſimum cum Natali Alexandro. Atticum,
Epiſcopum Conſtantinopolitanum, putat e numero canonum
Nicænorum aliquos ſuſtuliſſe. Id nobis videtur minus pro- 207.
babile, ſiquidem faſciculus ac ſylloge canonum illorum, haud
in unius Attici erant manibus, ſed peculium fuere Imperato-
ris, præfectorum, epiſcoporum. Præfectis illos fuiſſe ad ma-
nus, intelligitur ex legibus & conſtitutionibus Imperatorum,
quarum normam præfecti ſervare fuerunt iuſſi. Theodoſius
ad a. 421. Philippo, præfecto prætorio, qui Illyrico præſide-
bat, ita: *omni innovatione ceſſante, vetuſtatem & canones pri-*
ſtinos eccleſiaſticos, qui usque nunc tenuere, etiam per omnes Il-
lyrici provincias ſervari praecipimus, ut, ſi quid dubietatis emer-
ſit, id oporteat non abſque ſententia viri reverendiſſimi, ſacroſan-
ctae legis Antiſtitis Eccleſiae urbis Cpolitanae, quae Romae ve-
teris praerogativa laetatur, conventui ſacerdotali, ſanctoque iudi-
cio reſervari. Noſtro videntur Acta Synodi ſextæ Carthagi- 218.
nenſis eſſe vel omnino ſuppoſita, vel vehementer ſuſpecta.
Theodorito, qui H. E. I, 8. canones modo XX. Synodi Ni-
cænæ tribuit, opponit id, quod idem, Epiſcopos modo 270.
ad illam conveniſſe tradidit; cum nemo dubitet, interfuiſſe
ei Epiſcopos 318. — Gelaſii Cyziceni teſtimonio II, 3, quod 238.
numero XX. canonum favet, opponit varia. Examinat
græcum canonum codicem, in Synodo Chalcedonenſi
lectum. Ad auctoritatem Hincmari Rhemenſis minuendam, 246.
adfert eruditionem omnino magnam. Diſſertatione III. diſ-
putat de Athanaſii, Alexandrini Patriarchæ, ad Conſtantinum
Imperatorem perfugio, eiusque ad Iulium Romanum Epiſco-
pum provocatione, opponens ſeſe Natali Alexandro, cuius
ad Sec. IV. Diſſ. XXII. hæc ſunt verba: *S. Athanaſius, a Sy-*
nodo Tyria damnatus, & ſede ſua exturbatus, Iulium Pontificem
Maximum non adpellavit. Indubie verum eſt, Athanaſium
cum Euſebianis diu concertaſſe, viro, cui ex damnato Arii er- 9.
rore bellum fuit enatum & illatum. Sectatores Euſebii Ni-
comedienſis obiecerunt Athanaſio, vixdum electo, magicæ ar-

tis ſtudium atque operam. Eum apud Conſtantinum in crimen violatæ maieſtatis vocarunt. Conflata fuit ad cauſam inveſtigandam Synodus Tyri. Athanaſius, cum non paucis Aegypti Epiſcopis, eo venit accitus. In diſcrimen maximum adductus Patriarcha, perfugit ad Conſtantinum. De hoc perfugio exararit diatriben Auctor, Diſſertationi III. ſuffixam. Arceſſit Imperator eos, qui Synodo interfuerant, univerſos ad ſe. Innocens Athanaſius ab Imperatore in Gallias mittitur exſulatum. Obiit paullo poſt Imperator, cum ſtatuiſſet iam reddere eum ſedi ſuæ, licet Euſebius ſecus rem
12. evenire voluiſſet. Filius Conſtantinus iuſſa patris expediri fecit, frendentibus inter hæc Euſebianis. Ariani Alexandriæ turbas ſeditionesque in reverſum concitarunt. Euſebius Conſtantium in Athanaſium incendit, irritationibus repetitis. Utroque auctore Synodus Antiochena exſtitit, quod putabant, ſic decreta ſynodi Nicænæ ſubverti, ipſumque Athanaſium ſede ſua deturbari poſſe. Abrogarunt Patres Athanaſium muniis, ac ei Georgium quendam Cappadocem ſurrogarunt. Fugit Athana-
33. ſius e turbis Romam, ad Iulium Epiſcopum. Adpellationem vocat id perfugium Noſter, innixus teſtimonio epiſtolæ, ex Synodo Romana, ſub Damaſo habita, datæ, & litterarum Coeleſtini Epiſcopi Romani, ad Clericos Cpolitanos ſcriptarum. Habentur hæ in Parte I. Concilii Epheſini. Provocat præterea ad Gelaſii epiſtolam, Dardaniæ Epiſcopis ſcriptam, nec non ad Socratem III, 25, & Sozomenum III, 8, atque Liberatum
44. Diaconum. Poſthæc expendit Natalis Alexandrini argumenta, uſque ad tractationis finem.

ΟΡΘΟΔΟΞΟΣ ΟΜΟΛΟΓΙΑ,

i. e.

ORTHODOXA CONFESSIO CATHOLICAE ATQVE apoſtolicae eccleſiae orientalis, cum interpretatione latina, & verſione Germanica: praemiſſa eſt hiſtoria huius homologiae a D. CAROLO GOTTLOB HOFFMANNO Prof. Prim. Theol. Vit. &c.

Wratislaviæ, 1751. apud Io. Iacob. Korn 8. mai.

Alph. 1. pl. 1½

Con-

Confeſſio hæc Ruthenica longe eſt notiſſima ex prioribus editionibus, quam ut ſummam illius in noſtris enarrationibus inſtituamus. Duo itaque ſuperſunt momenta hic indicanda, quorum alterum ad *hiſtoriam* præmiſſam, alterum vero ad *rationem* novæ huius editionis ſpectat. Prioribus ſæculis, religio Ruſſorum non adeo Germanis erat cognita, quia nulla fere inter utramque gentem commercia intercedebant, & a mutua conſuetudine uterque populus abſtinuit. Noſtris vero, & patrum temporibus noſtrorum, & plura, & certiora ad nos, de doctrinis Ruſſorum religioſis, allata ſunt. Ex quo enim tempore bella cum his geſta, commercia magis culta, & legationes frequenter miſſæ ſunt; ex quo etiam *Petrus I.* varias ſuperſtitiones terris ſuis exulare iuſſit, & *ordinationem eccleſiaſticam* promulgavit, quin & ſacra ipſa emendare ſtuduit; & Ruſſi ipſi cum noſtratium quibusdam doctoribus commercium literarium ſusceperunt, ſuos quoque ſanctioris doctrinæ candidatos ad exteras academias miſerunt, ſcholasque & monaſteria bibliothecis inſtruxerunt: magis magisque conſtare coepit, quænam ſint capita præcipua religionis inter Ruſſos receptæ, & quæ illi immerito, etſi vulgo, affingantur. Certius autem iudicium de religione Ruſſorum ferri non poteſt, quam ex illo ipſo *Catechiſmo Ruſſorum*, qui liber eſt ſymbolicus eius gentis, publica auctoritate *Petri I.* conſtitutus, & Patriarcharum Moſcoviæ, & ſynodi perpetuæ conſenſu, ita confirmatus, ut ea confeſſio, publica eccleſiæ genuinæ Ruſſicæ vox habeatur, & ad cuius normam omnes, in Ruſſia ſacris operantes, doctrinam in academiis & eccleſiis conformare teneantur. Variæ huius libelli adſunt denominationes, dum v. g. modo *Catechiſmus Ruſſorum*, modo *Expoſitio fidei Ruſſorum*, modo etiam *Homologia* appellatur, & *Catechiſmus maior*, ideo, quod alius *minor* proſtat, iuſſu *Petri I.* compoſitus, præcipua doctrinæ capita breviſſime complectens. Apud Græcos audit ὀρθόδοξος Ὁμολογία τῶν Γραικῶν, i. e. Orthodoxa Confeſſio Græcorum, quem titulum eſſe voluit *Nectarius*, Patriarcha Hieroſolymitanus, quemque deinceps *Laurentius Normannus*, & alii, de Græcorum religione diſputantes, ſervarunt. Nec hoc male fit. Non ſolum enim de

Ruſſis, ſed & de omnibus Græcis, per quatuor illos patriarchatus viventibus, ex hac confeſſione intelligitur, quam fidem & religionem profiteantur, vel ſaltem profiteri debeant, ſi membra eccleſiæ græcæ orthodoxæ eſſe velint. Auctor huius catechiſmi vero non eſt *Meletius Syrigius*, neque *Nectarius*, ſed *Petrus Mogilas*, Kievienſis Metropolita. Hinc emendandus eſt error in *praefatione*, Normannianæ quondam editioni præmiſſa, ubi hæc confeſſio *Nectario*, ut auctori, falſo adſcribitur. *Petrus* ille *Mogilas* a patriarcha Hieroſolymitano *Theophane* electus atque creatus erat metropolita Kievienſis, illuſtri ex ſanguine, ſtirpe nimirum ducum Moldaviæ Valachiæque, prognatus. Hic catechiſmum noſtrum componens, tres epiſcopos ſibi ſubiectos, & a Conſtantinopolitano Patriarcha conſecratos, in conſilium adhibuit, deque ſingulis fidei capitibus cum iis ſuam ſententiam contulit, ſynodum in urbem metropolitanam congregavit, & celebribus dioeceſeos viris libellum ſuum propoſuit diiudicandum, cumque ab omnibus probatus eſſet, cum eccleſia conſtantinopolitana, huiusque ſynodo, tandem eum communicavit. Miſit itaque in Moldaviam *Ieſaiam Trophimum*, *Connoricium*, & *Xenovicium*, Ruſſos: quo etiam venerant *Porphyrius*, metropolita Nicææ, & *Meletius Syrigus*, patriarchæ Conſtantinopolitani & ſynodi perſonam partesque tunc in Moldavia agentes. Hi communi conſilio ἔκϑεσιν hanc auxerunt, emendarunt, mutarunt, tandemque quatuor patriarchis confirmandam exhibuerunt, atque deinde confirmationem ac ſubſcriptionem retulerunt. Facta eſt hæc approbatio publica, teſte patriarcha *Parthenio*, anno poſt Chriſtum natum MDCXLIII, die undecimo menſis Martii. Patet exinde omnino, multam diligentiam *Petrum Mogilam* adhibuiſſe, ut eccleſiæ ſuæ mentem rite ac plene adſequeretur, & accurate exprimeret, quod ipſi, viro erudito atque aſſiduo, non male ceſſiſſe, unanimis applauſus eccleſiæ Græcæ ſatis ſuperque docuit. Occaſionem conſcribendi hunc libellum, ſine dubio, *Petro Mogilae* dederant turbæ ſectariorum quorundam, qui, *Cyrillo Lucare* forte auctore, novas quasdam Genevenſium opiniones in eccleſiam Græcam introducere ſtudebant. Primo græce & latine conſcribe-

ſcribebatur catechiſmus hic Ruſſorum. Poſtea vero, ubi approbatus a quatuor patriarchis fuerat, in linguam Ruſſicam transferebatur, in qua typis exſcriptus, a Ruſſis aſſiduc legebatur atque tractabatur. Extant nunc etiam Slavonicæ verſiones, diverſis formis, & diverſis locis impreſſæ, quod inter omnes conſtat. Notiſſimum etiam eſt, latinam verſionem, a Laur. Normanno editam, non eſſe illam a Patriarchis perlectam, ſed aliam, & ab ipſo *Normanno*, uti præfatio docet, confectam. Prima catechiſmi huius Græca editio, cura atque impenſis *Panagiotae*, interpretis quondam orientalium atque occidentalium linguarum in aula Conſtantinopolitana, Amſtelædami MDCLXII. aeræ Dionyſianæ fuit edita, & gratis divulgata. Poterit ex his emendari error *Caroli du Freſne*, ubi de *Panagiota* tradidit, ac ſi ille catechiſmi Ruſſorum verſionem in linguam Græcam vulgarem compoſuerit; cum *Nectarius* patriarcha clare doceat, *Panagiotam* ὁμολογίαν tantummodo edidiſſe, non vertiſſe. Hac occaſione *Arnoldus* refert, *Panagiotam* pecuniam quidem miſiſſe, ſed Ordines Foederati Belgii eam remiſiſſe, & ſuis impenſis ὁμολογίαν exprimi curaſſe, ut *Panagiotae*, interpretis aulici, favorem ſibi conciliarent. De auctoritate catechiſmi Ruſſorum, in coetibus eorum, vix ac ne vix quidem dubitare licet; etſi nonnulli, minus quidem recte, de ea dubitare voluerint. Ordo rerum pertractatarum, a *Petro Mogila* electus, totum opus in tres partes, *fidem*, *ſpem*, & *charitatem*, dividit. Ad *primam* partem referuntur duodecim fidei articuli, ſymboli nempe Nicæni & Conſtantinopolitani I. & neque plures, neque pauciores credendos eſſe, *quaeſtione quinta* contendit catechiſmus. Ad *ſecundam* partem reiicitur expoſitio orationis dominicæ, & novem beatitudinum. In *tertia* parte divina præcepta decalogi explicantur, præmiſſa ſpecialiori inſtitutione de ieiunio & elemoſynis, de prudentia, iuſtitia, fortitudine, & temperantia. Methodus cum ſit catechetica, reſponſiones ſubinde volunt confirmare teſtimoniis S. Scripturæ, Synodorum, & Patrum, tanquam tribus principiis theologiæ cognoſcendæ, in eccleſia Ruſſica receptis. Sunt vero multæ iuſto prolixiores, & nimis diffuſæ,

fuſæ, catechumenorum captum ſæpe ſuperantes; id quod etiam *Petrum I.* commoverat, ut minorem catechiſmum, antea commemoratum, conſcribi iuberet. Quod ad novam *Hoſmanni* editionem ſpectat, ſciendum eſt, triplicem verſionem hic exhiberi lectoribus, *graecam*, *latinam*, & *germanicam*, typis Breitkopfianis egregie, & charta maiore, formaque elegantiori, Lipſiæ excuſam. Græcus textus idem ille eſt, quem *Panegiotes* vulgari dialecto compoſuit, & *Normannus* Lipſiæ anno Chriſti MDCXCV. publici iuris fecit. Variæ lectiones, a *Normanno* additæ, ſervatæ ſunt & in hac editione, textuique ſubiectæ, etſi nondum conſtet, unde ſint petitae aut collectæ. Latina verſio eſt *Normanniana* illa, ſatis bona, textum commode exprimens, nec prorſus inelegans. Germanica verſio auctorem habet *Friſchium*, Berolinenſem, Slavonicæ linguæ peritisſimum, qui ex Slavonica etiam lingua confecit Verſionem, exemplari uſus, quod Petroburgi, cum præfatione & commendatione Patriarchæ, *Adriani*, anno aeræ Dionyſianæ MDCCXXII. prodierat. Retinuit tenorem literæ, ita tamen, ut elegantiæ ac perſpicuitati vernaculæ noſtræ linguæ nihil decederet. Multos habuit hic labor applauſus, quod & huic trilingui editioni ominabamur cum prodiret, certo confiſi, bibliopolam, honeſtisſimum virum, magnam & Ruſſorum & exterorum gratiam ſibi inde eſſe collecturum.

IO. IAC. FREY A. M. COMMENTATIO DE Muntmannis, quaſimul, quid Mundeburdium fuerit, uberius oſtenditur.

Noribergæ & Altorfii, ſumtibus Laur. Schupfelii A. S. R. 1749. pl. 11. in 4.

Gratulamur ſæculo noſtro, quo res Germaniæ priſcæ mediæque ſollicitius inveſtigantur. Laudandus erit hoc nomine pariter auctor hic noſter, qui Noricarum præſertim antiquitatum ſtudioſus, auctoritate iuſſuque ſummi viri, b. *Hieronymi Guilielmi Ebneri* ab *Eſchenbach*, ex illo celebri diplomate, quod Friderico II. debet Norimbergenſium reſpublica, ſelegit ſibi de Muntmannis argumentum, interpretationum

tionum varietate ſatis impeditum. Ita tamen id expoſuit, ut ſimul nobis ſitim relinqueret *Schwarzianae*, ,quam pollicetur, huius diplomatis illuſtrationis, quam primum fieri poſſit, non ſine generali fructu videndæ. Noſter interim, ad ipſum vocabulum quod attinet, *Goldaſti*, *Cangii*, *Pfeffingeri*, *Schwarzii* ſententias, exponit. *Goldaſtus* homines proprios eſſe putat, cum *Mont* apud veteres *poteſtatem* aut *dominationem* deſignarit; vel cum etiam tutelam *mundium* dixerint, eos qui quidem in tutela ſint magiſtratus, civitatis autem iure careant. Cl. *Frey* ad *Neumanniana*, dudum exploſa, in Ebræa lingua principia relabitur, & ad patrium quoque ſermonem eadem accommodat; quaſi vero, quæ profert, exemplis, non totidem, aut plura poſſint in contrariam partem opponi. Vel hic tamen etiam ſunt obſervationes criticæ, non omnino nullius momenti. Colligit ex iiſdem, *Mundiburdium*, vel *Mundburd*, ut in charta *Ludovici* II. legitur, eſſe defenſionem, patrocinium, tutelam: cuius interpretationis varios teſtes adpellat, ac ſecus ſentientes refellit. Nominatim autem ſententiam *Stadenii*, *Pol. Lyſeri* (qui Helmſt. 1727. edidit *de Mundiburdio obſervata hiſtorico-diplomatica*), & *Io. Ge. Wachteri*, perquirit. *Wachteriana* præſertim argumenta fuſius excutiuntur, & modeſte, non ſine iuſtis critici noſtri laudibus, confunduntur. Hinc per partes itur diſtinctius. Sic autem in eccleſiis manu miſſi ſervi fuerunt illarum in *mundeburdio*, licet non ſemper: in principum vero, quod violare præcipue nefas, per denarium manu miſſi ſteterunt, aliique. *Mundeburdium* ergo duplex erat: regium, & ſacrum; cum utroque vero poteſtas aliqua coniuncta. Principes habebantur defenſores eccleſiæ, quod Carolingicorum exemplis probatur, ut Imperator hodieque dicitur divini coetus advocatus. Inde, ſingularem *mundeburdii* promiſſionem a principibus eccleſiæ petebant; cuiusmodi chartas innumeras dedere principes. Eundo per exempla, probatur iſtud documentis *Dagoberti*, *Theodorici*, cuius quidem charta ſuſpecta, *Caroli* M. *Ludovici* pii, *Pipini* R. Aquitaniæ, *Lotharii*, *Ludovici* II. *Caroli* calvi, *Arnulphi*, *Hugonis* Italiæ Regis, *Ottonis* M. *Ottonis* II & III. *Henricorum* II.

(Margin: §. 2. at "non ſine generali fructu videndæ. Noſter interim, ad ipſum"; §. 3. at "lius momenti. Colligit ex iiſdem"; §. 4. at "rit. Wachteriana præſertim"; §. 5. at "Hinc per partes itur diſtinctius"; §. 6. at "in principum vero"; §. 7. at "coniuncta. Principes habebantur"; §. 8. at "tur divini coetus advocatus"; §. 9, ſq. at "taniæ, Lotharii")

III. IV. VII. & aliorum. Ubi ſæpius iudicium inſtituitur non
§. 11. ineptum, & ſpuria præſertim diplomata ſeiunguntur a legitimis.
Plerumque mundeburdio iungebatur immunitas, cuius fru-
§. 12. ctus exſtitere varii. Simul autem aderat ſubiectio, qua fa-
ctum eſt, ut nec eccleſiæ principum a poteſtate liberæ forent; qui potius & defenſores vicarios dabant. Epiſcopis ſingulatim & Abbatibus minora monaſteria commendabantur. Adhæc pupilli, viduæ, & omnes infirmiores *mundeburdio* principis
§. 13. gaudebant. Occaſionem disquiſitioni novæ præbet, an mundeburdium ſolis ſit eccleſiis datum? & cur exempla nulla reperiantur exhibiti civitatibus mundeburdii? civitatumque diſtinctione facta, tales in imperatorum *mundeburdio* revera
§. 14. ſtetiſſe comprobatur. His expeditis, ad Muntmannos pergitur, quibus *Mundiliones, Mundiculi, Mundlingi, Iamundilingi, Vogtleute, Vogtmanni*, ſimiles fuiſſe putantur, ſcilicet advocatum agnoſcentes ac defenſorem, id quod ævi medii
§. 15. quibusdam monumentis corroboratur. Hinc & in *Notkero*
§. 16. *Muntmannum eſſe vaſallum*, contra *Schilterum* oſtenditur. Poſtea quæritur: an aliorum ſe tutelæ commendare prohibitum ſit? agiturque de Romanorum clientibus, Gallorum *ambactis, devotis, ſolduriis*, priſcorum Germanorum comitibus. Potiſſimum in hiſce comitibus principum, *vaſallorum* imaginem, verorum nimirum, & ut ita dicamus *feudalium*, ſibi cernere viſus eſt *Struvius* in *ſyntagmate iur. feud.* c. I. §. 3. p. 8. Nec mala iſthæc ſententia apparuit *Heineccio*, in *elem. iur. Germ.* L. I. tit. 3. §. 66. Noſter autem, inter hos comites & *vaſallos feudales* luce clarius diſcrimen agnoſcens, clientum Germanicorum exemplum eos
§. 17. præbere putat. Ad ipſam motam quæſtionem quod attinet, negatur, urbium civibus licere, potentioris alicuius principis tutelæ ſeſe dicare, cum iam habeant dominum, atque *Muntmanni* tales, in interregni turbis exorti, civitati ſuæ damnum
§. 18. adferant. Id ut uberius confirmetur, Imperatorum Romanorum leges adverſus eos excitantur, qui vel ſpe cauſæ obtinendæ, vel tributorum vitandorum, eligant ſibi patronos; & quid ſtatuant leges Germanicæ, de more duos habendi patro-

nos,

Digitized by Google

nos, evincitur. Porro talium malus animus probatur, & poenæ *Muntmannorum* Norimbergenſium edicuntur; præcipue dum civium Norimbergenſium ipſe ſit Imperator Advocatus. §. 19.
Hac occaſione, mentio *Muntmannorum*, in diplomate *Carolino* Oſnabrugenſi, ſed ſuſpecto, examinatur. A *vaſallis* propriis *Muntmanni* diſtinguuntur; neque minus a *Pfalburgeris* ac *Usburgeris*, ut & a *propriis hominibus:* cum cives non homines proprii fuerint iſti. Sic & ab *Hinderſaſſiis* differebant, aliisque, quibuscum iam quidem exoleverunt. Valent tamen hodieque leges, quæ ſubiectos aliis in tutelam recipere vetant; ſic autem, ut paſſim exceptio habeat locum. Supereſt appendix, quam conſtituunt formulæ *Mundeburdii*, & diploma, quo *Ludovicus* pius monachos *Balneolenſes* in *mundeburdium* recipit ad §. VIII. lex Imperatoris *Sigismundi*, contra *Muntmannos*, ad §. XIV. & exempla civium Argentoratenſium, in tutelam receptorum, ad §. XVII. §. 20-25.

SOGNO FILOSOFICO INTORNO ALLE CAUſe della Pioggia, &c.

h. e.

SOMNIUM PHILOSOPHICUM DE CAUSSIS PLUviæ, Auctoris recentioris.

plag. 2. tab. æn. 1. in 8.

In lunam cum amico, ope machinæ cuiusdam volantis, delatum ſe ſomniavit, ibique cum aliquo lunæ incolarum, philoſophatum Auctor. Ille pluviæ cauſſas explicaturus, primo ſolares radios graves adſerit, idque probat hoc experimento: ſi libere ſuſpendatur bilanx accurata, quali aurifabri utuntur, & in eius lancem unam proiiciatur radiorum ſolarium, vitro cauſtico unitorum, focus, deſcendere bilanx obſervabitur. Experimentum in loco ventis non expoſito inſtituendum, Auctor monet; ſuumque inſtrumentum, eo fini adhibitum, quinque pollicum circumferentia fuiſſe. Addit, radios ſolares igneos eſſe, ignem autem vi repellente præditum; quod pateat, cum

Digitized by Google

collocatis roſarum foliis recentibus in vaſe, cuius fundus perforatus eſt, iisque impoſita charta ſpiſſiore arena tecta, huic autem vaſe carbonibus pleno, humidum ex roſis per fundi foramina *per deſcenſum* deſtillet; cum, ſi attrahens vis ineſſet igneis particulis, in arenam migraturum ſit. Obtendatur loculamento ligneo pannus madefactus, & ſitu obliquo ſoli exponatur, ut aliam ſiccus obumbret, & poſt aliquod tempus madefactus hic in umbra poſitus conſpicietur, quod propellentem radiorum ſolarium vim, lunarita autumante, arguit. Si vero duo vaſa æqualia ventricoſa, collo anguſto longo recto prædita, æqualiter liquore repleantur, alterum vero in umbra collocetur, alterum ſoli ſic exponatur, ut radii ſolares orificium colli eius feriant, ex hoc minus evaporaſſe ponderando deprehenſum iri, quam ex illo, aſſeverat lunæ incola. Hæc omnia eo tendunt, ut *ſolem attrahere vapores*, qui ex terra aſcendunt, refutet: quod ſane nos credimus firmioribus multo argumentis a phyſicis terricolis refutatum diu eſſe. Adſcenſum vero vaporum, & caſum pluviæ forma, ex legibus gravitatis ſpecificæ explicat lunarita, plane ut noſtri phyſici. Tum reditum parare, tempeſtate infeſta deiectus ex machina, cogitur Auctor, eſtque ſubito in lecto ſuo cum evigilaret. Totum opuſculum maioris momenti quam ſomnium æſtimare vix poſſumus, ſed ficti etiam quo placere poſſit nihil habet, præter titulum: nam quæ lunarita ille diſſerit, a quovis terricola poterant proferri, præcipue cum Italos Auctores & Gallos perpetuo citet.

ANTIQVITE'S ROMAINES EXPLIQVE'ES

i. e.

*ANTIQUITATES ROMANORUM EXPLICATAE in commentariis Comitis de B *** quæ acciderint ipſi complexis, ut & inſignem numerum hiſtoriarum & arcanorum perquam notabilium, perveſtigationes item ac novas inventiones, ad antiquitates Romanæ civitatis, & alias*

alias curioſitates Italiæ pertinentes, in tres partes diviſis, & ultra centum figuris aeneis ornatis.

Hagæ Com. apud Ioannem Neaulmium 1750. 4. 1 Alph. 22½ pl. 1 Alph. figg. æn.

Opus iſtud, ad morem commentariorum eiusmodi Gallicorum conſignatum, potius politulis illis, ut vulgo dicuntur, hominibus, & nobilioribus natu, quam ſeriis elegantiorum litterarum & antiquitatum amatoribus, proderit. Varietas delectat, opiniones plurimæ mixtæ iuvant, diſſerturos magis, quam iudicaturos. Velut ab initio vitæ curriculum & itinerum enarrat Auctor, vel fingit. Pueritiam exponens, de ſcholis etiam publicis iudicat, inprimisque mollem eorum verſandi rationem reprehendit, quibus principum iuventutum & nobiliorum cura, tanto conſenſu permittitur. Nimirum & hic mundus regitur opinionibus, quique vigilans eſſe creditur, multam in lucem ſtertere poteſt. Intentius multo commendat mortuos doctores, & in iis præſertim admirabiles meditationes morales Marci Aurelii Antonini, pretioſas vitæ regulas Rochefoucaultii ducis, ac Fenelonii Telemachum inimitabilem. Progreditur inde, ut de ſermonibus ſacris iudicia ſileamus, ad principis cuiusdam, Gallis æque ac Germanis cari, quosdam amores cum *Adriana Couvreur*, virgine comica vere generoſa, de qua, quemadmodum aliis de perſonis alibi, ſcriptis Romanenſibus digniſſima memorantur. Carpuntur, hac occaſione, præſertim rationes ſacerdotum Pariſinorum, cadavera perſonarum comicarum, quibus ordinaria ſepultura negatur, tractandi. Sed vel magis adficitur beatiſſimus ille iniuria, licet antea perquam laudatus, dum ideo pontificiorum caſtra ſequi noluiſſe dicitur, quoniam iſti noluerint amicam ſepelire. Iunguntur aliæ quædam amatoriæ Pariſinæ narrationes, quibus addat quis, vel demat fidem, per nos licet. Iam ad alteram partem progredimur, itinera noſtri percenſituri. In civitatem Senenſem

Digitized by Google

ſem principio venit, ibique primarium antiſtitem adiit, qui vix antiqui ſplendoris rudera præbentem monſtravit urbem, & Romam aliquatenus antea deſignavit. Sed actutum, ubi comitem noſtrum comitari laboramus, in recentem incidimus fabularum amatoriarum labyrinthum. Tandem inde revertimur Lugdunum Gallorum, quam urbem, ut ſoli Lutetiæ ſecundam, noſter deſcribit. Reperitur ibidem, in curiæ veſtibulo, Claudii imperatoris cenſoris oratio pro Lugdunenſibus, antiquitus æri inciſa. Montem peſſulanum deſcribens noſter, novos errores amatorios miſcet, qui paſſim inſperſi, ſi conſideres ſingulatim, haud omnem veri ſimilitudinem excedunt, ſed iunctim omnem ita ſuperant fidem, ut iuſtiſſimam acutiorum nauſeam pariant. Maſſiliam, ob hilaritatem incolarum, in ipſis non raro plateis publice ſaltitantium, deſignat, quorum tamen mores alioqui rudes ſugillat. Ob incolarum potius ſuperbiam, quam ædificiorum, Genuam eſſe ſuperbam dictam, arbitratur. Licet iſti, vel nobiliores, optime ſibi videantur educare liberos, ſi apud viliſſimi pretii magiſtrum, lectionem, ſcriptionem, & computum edidicerint. Iisdem obiicitur, quod natu maiores contemnant minores, neque liberaliter cum illis converſentur. Multo magis laudatur Siena, Gallisque commendatur, ob inſigne pretium eruditionis, ac litteratorum copiam, frugalitatem, & amabilem converſationem. Sequitur pars tertia, nominatim Romam contemplata, cuius, temporum antiquorum habito reſpectu, triſtis hodieque adſpectus indicatur. Plurimos ibi reperit ſacerdotes ac religioſos homines, quos potius ruinis, quam opibus civitatum adnumerat. Prima vero quæ monumenta deſignantur, ſunt columnæ Traiani & Antonini. Priorem ædificavit Adrianus, centum quatuordecim pedum altitudine, excepta marmorea baſi, cuius poſt portam, per ſcalas 185. graduum, interius aſcendi poteſt ad ſummum, XLV. rimis aut feneſtris minoribus immittentibus lumen. Superius erat coloſſus eius imperatoris, urnam auream manu tenens, Adriani cineres complexam. Ea vero ſtatua, cum iniuria temporum cecidiſſet, S. Petri 1589. imponendam curavit Sixtus V. Exemplar ea columna præbuit Anto-

Antoninianæ, quæ quidem Antonini philoſophi triumphos deſcribit, cuius & ibi cineres conſervabantur. Multum damni cum paſſa eſſet hæcce columna, eodem anno cum altera renovabatur, & accipiebat ſtatuam Pauli. Expeditio Marci contra Marcomannos hic vel imprimis exſculpta conſiderari meretur. Eſt alia columna Clemente XI. pontifice 1705. reperta, cum inſcriptione: DIVO ANTONINO PIO, ANTONINVS AVGVSTVS ET VERVS AVGVSTVS FILII, & ſculptura, qua Antonini pii & Fauſtinæ coniugis conſecratio repræſentatur. Deportata fuit ex horto, ubi inventa, in curiam Innocentii, longitudine pedes habens quinquaginta. Adduntur deinceps numi quidam antiqui, ſed explicatio deeſt, cuius locum occupat ſatis trita priſcæ Romæ primordiorum narratio. Generatim nobis ſatis confuſe ſcripta, neque cum antecedentibus accurate cohærere videtur, pars hæc poſtrema. Comes, antea novis extraordinariis & amatoriis intentus, nunc alia ſequitur omnia, & ipſius amaſiæ lectiſſimæ, cuius abſentiam ægerrime tulerat, obliviſcitur, ſolis nunc juderibus intentus, & aliis momentis, nec ab eius educatione, nec a moribus exſpectatis. Hoſce tamen ſpirant ipſæ narrationes tam inordinatæ, quam minus paſſim accuratæ. Sed contenti hæc dixiſſe, comitabimur eum ad alia viſitanda. Oſtendit nobis turrita moenia. Turres partim *eremitae*, ſive ſanctam ſolitudinem adamantes, partim feminæ famoſa vita, partim noctuæ & eius generis aves, inhabitant. Porta Nomentana nunc a Pio IV. pia nominatur, quod ille pontifex reparavit. In ipſis moenibus urbis rudera ſunt amphitheatri, forſitan a Seiano, prætorianarum cohortium ad uſum, conſtructi. Non procul inde reperitur circus Antonini Caracallæ, curſibus inprimis equeſtribus deſtinatus: qua ſimul occaſione de circo maximo A. diſputat, & de aliis. Sic & dum Coeciliæ Q. Cretici Metellæ magnificum ſepulcrum, quod a capitibus boum inſculptis iam *Capo di Bove* nominant, conſideratur, occaſio præbetur aliis de mauſoleis & monumentis loquendi. Oſtienſem ad portam ſermo fit de

Caii

Caii Ceſtii pyramide; quo loco etiam de Ceſtio multa dicuntur. Neque minus eſt verboſa teſtacei montis, & illius qualitatum, deſcriptio. Moles Adriani, multo minus invenitur munita, quam dicitur vulgo. Ceterum illius fatum & incrementa ſatis accurate percenſentur. Pons Aelius, hodie caſtelli angelici nomen habet, ut A. putat. Triumphalis arcus Titi, narrationem amatoriam immixtam, ſequitur. Eſt is æneus partim, partim marmoreus, & oſtendit inter reliqua vaſorum Hieroſolymitani templi ſacrorum imagines. Alius eſt Conſtantini, cui, noſtro iudice, magni cognomen indidit adulatio, quique falſo, & ad uſurpationem iniuſtiſſimam velandam, pontifici dicitur Petri patrimonium donaſſe. Totus eſt marmoreus, ac triplex arcus, quaſi ter maior Tito fuerit Conſtantinus. Dici tamen poterit potius arcus Traiani, cuius ænea ſtatua medium occupat locum. Ad latus, iuxta pietatem, conſpicitur Salus dea, manu ſerpentem tenens, vel potius extremis dextræ digitis attingens. Arcus Septimii Severi, & eius filii Caracallæ ſerviens honori, dimidiam ultra partem eſt ſepultus. Iuxta viſitur ædificium marmoreum, Iani ſcilicet quadrifrontis templum, quatuor anni tempora repræſentans. Obeliſci memorantur, ac partim deſcribuntur, ſex, admodum inſignes. Templorum primarium locum occupat Pantheon, a M. Agrippa Auguſti genero ſtructum, rotundum illud, ac diametrum habens pedum CXXXII. Huic addita porticus, templum ipſum, ſuperbiſſimum licet, pulcritudine vincit. Auguſti thermæ, in monte Palatino, nihil hodie reperient eminentius. Attamen, ut ibi nihil ſingulare, ſic nec de amphitheatris, theatris, & aliis huius generis antiquitatibus, neutiquam hic invenimus, quod non alibi iam legere nos meminimus. Relinquimus igitur, ſpeciminibus illis, ad faciendam fidem, excerptis, iure noſtro, talis generis theſaurum oculo potius quam animo, & hic pariter delectationi magis, quam amplificandæ antiquitatum cognitioni.

CHRI-

CHRISTIAN. GUIL. FRANC. WALCHII PHIL. Prof. Publ. & Societ. Lat. Ienenſ. Ephori, hiſtoria Patriarcharum Iudæorum, quorum in libris iuris Romani ſit mentio.

Ienæ, ſumtibus Guthianis 1752. 18. plag. 8.

Qui ad replicandas res Iudæorum appellunt animum, non unam rationem ſequi ſolent. Sunt enim qui mores eorum, inſtituta, & ſacra tantum digna iudicent, in quibus illuſtrandis, in hominumque memoriam revocandis, induſtriam ſuam operamque collocent; ſunt, qui reipublicæ illorum formam deſcribere ſatis habeant, ac feliciſſimam tantum eius gentis ætatem attingant; ſunt denique, qui doctores modo, horumque ſectas & diſciplinam perſequantur, reliqua omnia vero tacita relinquant. Quod ut ad librorum ſacrorum intelligentiam apprime accommodate fieri exiſtimamus: ita optandum etiam erat, ut ad ea tempora hominum eruditiſſimorum cura deſcenderet, quibus, poſt excidium Hieroſolymorum, everſionemque reipublicæ, magis illa gens, rebus, ac legibus etiam Romanorum, implicata eſt. Nemo enim paullo eruditior facile reperitur, qui, quantis adhuc tenebris immerſa ſint, quæ a Romanis aliisque hiſtoricis exteris prodita de Iudæis legantur memoriæ, non intelligat, aut, quam multa hoc in genere poſterorum relicta ſint diligentiæ, non videat. Non immerito hoc loco etiam habendos putavit WALCHIUS V. C. *Patriarchas* Iudæorum, quorum & in libris Chriſtianorum doctorum, & in utroque iuris Romani codice, frequens eſt memoria. De quibus enim etſi a magnis hominibus, *Iac. Gothofredo, Sam. Petito, Camp. Vitringa, Iac. Rhenferdio, Io. Morino, Petro Zornio,* & inprimis *Io. Frid. Meyero,* exponi iam vir doctiſſimus meminerat: longius tamen a vero pleroſque abeſſe, vel ex eo apparet, quod alii Iudæorum annales non adhibuerint in conſilium; alii Roman. Imperatorum edicta, Chriſtianorumque ſcripta, neglexerunt; omnes vero propemodum ea, quæ auctores Græci Romanique de iis tradiderunt, ad eos illuſtrandos con-

Digitized by Google

ferre obliti ſunt. Itaque operæ, quam in eo argumento tamquam refingendo poſuit Vir doctiſſimus, omnino fecit pretium, magnamque ab artium honeſtarum cultoribus gratiam iniit. Quicquid vero eſt, quod de *Patriarchis Iudaeorum* ex monumentis veterum collegit, in *octo* deſcripſit capita, quorum *primum* de legibus Imperatorum, quibus eorum fit mentio: *alterum* de Iudæis, quibus patriarchæ præfuerunt, eorumque in occidentales & orientales diviſione: *tertium* de nominis origine, & varios honores ſignificandi poteſtate: *quartum* de ſummis Iudæorum poſt N. C. magiſtratibus, ex doctrina Talmudica: *quintum*, quinam fuerint *Patriarchae* Iudæorum: *ſextum* de officio illorum, poteſtate, & reditibus: *ſeptimum* de tempore, quo præeſſe Iudæis & coeperint, & deſierint: *octavum* de genere illorum ac ſerie, notatis temporum rationibus, exponit. Hæc velut ſumma eſt totius operis, maxima diligentia confecti: nunc pauca quædam ex eodem tamquam delibabimus, lectoribusque noſtris, faciendi guſtus cauſſa, exhibebimus. *Caelicolae* quinam ſint, qui & in legibus & inſcriptionibus ſæpenumero adiunguntur quidem Iudæis, ut intereſſe aliquid inter utroſque facile intelligatur, quærit, atque, cum graves in ea re diſſenſiones virorum doctiſſimorum reperiantur, vero ſibi proximum videri, ait, homines indicari, qui doctrinas nonnullas Chriſtianorum, ſacraſque cærimonias, placitis Iudæorum religionibusque impie voluerint coniungere. Qua vero de re, quum divinarint magis inter ſe, quam definiverint aliquid alii etiam viri docti, certare nunc quidem nolumus; vellemus tamen, ratio quoque nominis, quæ ita minus apparet, nobis aperta ſimul eſſet, ducenda fortaſſe ex Flori quodam loco (III, 5.) ſi recte legatur, recteque intelligatur. Leges novem ſunt, quæ iſtorum Patriarcharum faciunt mentionem, totiusque cauſſæ tanquam argumenta continent. Quod ad terras attinet, in quas, victi ab Aſſyriis, Iudæi exules deducti ſint, Samuelis Bocharti ſententiam (in Phaleg L. III. c. 14. p. 220. ed. Cadom.) inprimis probandam eſſe iudicat. Præclara etiam ſunt, quæ de variis Iudæorum diſperſionibus, non ſolum clade Aſſyriaca & Babylonica,

ſed

ſed variis etiam, poſt utramque, migrationibus eorum, accurate diſputat, quarum omnium, in ſacris novi foederis libris, διασποϱᾶς τῶν Ἑλλήνων nomine, fiat mentio. Iudæorum doctores ipſos ſuæ gentis homines in *viros terrae Iſraeliticae*, ac *viros Babelis* deſcripſiſſe, idoneis eorum teſtimoniis probatur. Unde etiam aliud eorum diſcrimen manaſſe dicitur, quo in *orientales*, Perſiam vicinasque huic regiones inhabitantes, & *occidentales*, per totum orbem Romanum, ſingulasque eius provincias, tam Aſiaticas & Africanas, quam Europæas, diſperſos, dividerentur. De origine nominis patriarcharum, varioque illius in libris ſacris uſu, erudita ſunt quæ diſputantur. Neque minus eleganter de vi nominis πατϱιᾶς diſſeritur, eiusque a Φυλῇ diſcrimine; hoc quidem tribum, illo autem tribus indicante partem: unde difficilior etiam locus Eph. III, 15. lucem accipit. Patriarchæ nomen altero a C. N. ſæculo, ad honorem dignitatemque docet ab Iudæis translatum eſſe, quos ſecuti ſint Montaniſtæ, quod tamen unius Hieronymi, a ſtudio partium haud liberi, teſtimonio, non ſatis recte credi dicitur; tandem etiam chriſtiani ſummis ſacrorum antiſtitibus illud tribuiſſe perhibentur; quod, quantum quidem ſcimus, a Socrate Scholaſtico primum factum eſt; immo ipſis etiam Abbatibus, qui religioſorum cælibum domicilia regunt, idem interdum conceditur. Binos habuiſſe Iudæos principes, alterum qui orientalibus, ἀιχμαλωτάϱχου nomine, præeſſet; alterum qui Principis (*Naſi*) auctoritate moderaretur rebus occidentalium, teſtimoniis idoneis evincitur. Quod ut eo magis appareat, quænam in Babylonia fuerint inde a Sæc. III. celeberrimæ ſcholæ, quæritur; atque *Sorana* in primis, quæ ſedem in urbe מתא מחסיא habuiſſe creditur, *Nahardeenſis*, *Pumbetitana*, *Nareſchana*, *Machuſenſis*, *Peruzenſisque* commemoratur. Singulas vero illas, ישיבות appellatas, illa tempeſtate nihil aliud fuiſſe docetur, quam iudicia quædam (בית דינין), in quibus imitatio eſſet aliqua imperii & iurisdictionis, civilisque obedientiæ. Præterea etiam quævis habebant ſuos rectores, quorum princeps erat ille, quem *caput captivitatis* (ראש גולה) vocare conſueverant. Quem etſi ſupra diximus Iudæis orienta-

 libus

libus præfuiſſe: tamen, quæ fuerit ratio eius muneris, impedita eſt quæſtio. Noſter igitur, corrogatis ſumma diligentia, ſuper ea re, doctiorum Iudæorum ſententiis, id ſibi ad verum accedere proxime videri pronuntiat, Aechmalotarchas eosdem quondam fuiſſe, qui Rectores academiæ Soranæ, quem aucto Iudæorum & academiarum numero, caput exulum eſſe iuſſerint, ut eo maior illius eſſet auctoritas, eidemque omnium academiarum velut magiſtratum quemdam detulerint: cætera, quæ de illo Iudæi glorientur, vanitati gentis adſcribenda eſſe. Sequitur, ut de Iudæorum occidentalium capite ac principe pauca quædam adhuc afferamus. Synedrii magni caput quum principis olim ornaretur titulo, magnaque auctoritate eſſet, factum eſt, ut academiarum præſes eodem mactaretur elogio, & נשיא vocaretur. Plura vero Synedria, quæ florentibus Iudæorum rebus erant, plures ex ſe Academias tamquam pepererunt, quarum tamen princeps erat illa, in qua ruinæ Synedrii magni velut ſpirabant. Quo loco quum Tibërienſis haberetur ab Iudæis, rectores illius non ſplendido ſolum Principis nomine ornabantur; verum etiam auctoritate inter ſuos valebant plurimum. Qui deinceps, permiſſa Iudæis liberiore, ad leges ſuas vivendi, ratione, ſummum inter ſuos magiſtratum conſecuti videntur, ut teſtimoniis etiam Chriſtianorum conſtat; ita, ut Aegyptii, perinde ac reliqui Iudæi, per imperii Romani provincias diſperſi, eidem eſſent ſubiecti, neque ſuum ſibi ἐθνάρχην, ut Vitringa cum aliis opinatus eſt, haberent, quod teſtimoniis luculentis evincitur. Quæ obſtare videtur lex XIII. *cod. Theod. de Iudaeis*, in qua fit de *archiſynagogis patriarchisque* mentio, ita noſtro emendanda videtur, ut, pro *patriarchis, hiereis* legatur: partim quod manifeſto ii hic enumerantur, qui rem ſacram in Synagogis faciebant; partim quod aliis in locis *hierei* & *patres ſynagogarum* coniunguntur. Duo igitur quum principes eſſent Iudæorum, alter orientalium, alter occidentalium; hic, qui Tiberiade domicilium habebat, is maxime fuit, quem Imperatores chriſtianique doctores ſæpe *Patriarcham* vocent; etſi Babylonicus non minore, inter ſuos, eſſet auctoritate. Relinquebatur vero Patriarcharum dignitas poſteris, iure hereditatis; ipſique imperio tantum precario uteban-

utebantur, atque in viros ſacri ordinis poteſtatem habebant, variosSynagogæ honores conferebant, novas ſcholas condebant, de ſuorumque litibus, tanquam arbitri, cognoſcebant; qui etiam tributum ei ſolvebant,quod varie ſolebant vocare, ut ἀποςολὴν, *aurum coronarium*, &c. Orti ſunt, cum Synedrio dicendi iuris poteſtas omnis adimeretur; ac circa 420. annum eſſe deſierunt. Quo genere nati eſſe debuerint, parum liquet; ipſa autem eorum nomina, iis, quibus eſt volupe, videnda relinquimus in libello, in quo ſi novi nihil admodum invenitur, magna tamen diligentia congeſta ſunt omnia, quæ pertinere ad materiem propoſitam videbantur.

DE LINGUARUM ARTIFICIO ET DOCTRINA.

Pariſiis, apud viduam Eſtienne & filios, via Iacobæa ſub ſigno virtutis, cum approbatione & privilegio regis 1751.

pl. $11\frac{2}{3}$ 12. mai.

Nondum penitus exſulant apud Gallos Muſæ latinæ, eædemque caſtiores. Parvus iſte libellus, inſignibus autem Gratiis obſeſſus, hoc ipſum demonſtrat. Laudat in primis Romanæ linguæ ſtudium atque commendat, ita vero, ut a generalibus ad ſingularia procedat. Agens de linguæ Atticæ ſtudiis apud Romanos, & apud Gallos latinæ, præfatio, iuſtas ſimul querimonias de poſterioris corruptione, difficultatibusque temere paſſim adiunctis, complectitur. Ipſius tra- Pag. 12.
ctationis liber primus, commune linguarum artificium exhibet. 31.
Loquendi beneficium, ante generalem eluvionem viventibus præſtitum, communemque Noachidarum omnium linguam, ad poſteros traductam, DEUS ipſe primus, ab illa priſtina ſimplicitate paullulum mutavit, & cum quadam inter hos & illos diverſitate, ſi non vocum, certe flexionum, exerceri voluit. Attamen e. g. Iſmaelitis, Europa tota pulſis, articulus 35.
Arabs manſit, nominibus rerum commode præfigi ſolitus, & ſonos finales, quorum ſumma fuit iis temporibus incuria, in caſibus aliquot, haud in omnibus tamen, ſupplevit. E Megæloneſi agro, & meridionali Gallia, e Salernitano litore, ac

Digitized by Google

meridionali Italia, ex Hiſpania demum univerſa, ſubinde diſce-
dentes Arabes, in iis potiſſimum locis, poſt ſe ſuperſtitem
reliquerunt verſuum ſimiliter deſinentium, vel puerilitatem,
Pag. 44. vel, ſi vis ita, concinnitatem. In ſingulis autem linguis na-
turale fundamentum, ædificium hominum arbitratu ſuperſtru-
45. ctum, & ornamentum ab eruditis additum, reperiuntur. Inde
grammatica triplex, elementorum ſcientia, proprietatis & au-
46. ctorum, critica. Naſcitur hinc optima, ſi non unica diſcipli-
47. na linguarum, docendique minime dubius ordo. Ita libro
ſecundo continetur linguarum doctrina, & expedita omni æta-
48. te diſcendi facultas. Ab uſu legitimo noſter vult ad regu-
61. las tranſiri, non contra. Uſum vero non vult interprete-
mur eo ſenſu, quo Poloni, Hiberni, Bohemi, Belgæ, aliique
non pauci boreales accipiunt, quorum eſt ſummus quidem
ſciendi ardor & ſcribendi, ſumma tamen in pluribus incuria
ſermonis & ſtilus abnormis: quod vitium eſt ab ipſo ſcripto-
rum neglectu, grammaticæque doctrinæ falſitate profectum.
62. Suos habent Angli, Germani, Batavi, Helvetii, ſcriptores opti-
mos, & laude latinitatis illuſtres: at imitatores eiusdem ſtili
pauciſſimos. Tædium lectoribus creant *Walenburgii* fratres,
inculto ſtilo, *Boerhavius* aſpero, *s'Graveſandius* horrido, tot
75. Belgæ theologi nullo. Melius aget poſitus in tuto linguæque
ſecurus, quam fecit uſu ſuam. Talis deinde commodius ad-
ſciſcet *Valgelaſium*, *Menagii* origines, adverſaria *Buhurſii*, *Ma-*
reſii, *Buſſerii*, *Reſtaldi*que recentiſſimas de Gallico ſermone
commentationes. In eiusmodi grammaticorum libris verſa-
bitur libenter & fructuoſe, quos antea ne quidem aſſecutus
intelligendo fuiſſet, ſi primordium ab iis ignotæ linguæ du-
xiſſet. Ipſe noſter paſſim inſerit huiusmodi grammaticas ob-
105. ſervationes. Eo pertinet, falli qui putant, in veteribus linguis
ordinem rerum inverti, cum ſit re vera noſtrarum linguarum
inverſio propria, von veterum. Sic hiſtorica latinitas ima-
115. ginem profert rei geſtæ. Hinc inverſionis, quam conſtru-
ctionem quærendam vocant, in ſcholis uſitatæ, utilitas nulla.
116. Triplex ergo cautio proponitur initium interpretandi facien-
tibus: ut ſcriptoris ad legendum propoſiti, quamquam proba-
117. tisſimi, ſit plurima tamen ſimplicitas; ut adiungatur interpre-
tationi

tationi frequens uſus elementorum; & ut in interpretando ſtet
latinitatis ordo ſemper inconcuſſus. Hinc a doctore vult, Pag. 132.
quæ ſint in ſcriptore veteri legenda, gallice prælegi, vel exponi;
mox verſionem & interpretationem adiungi; demum oratio-
nis latinæ lectionem reſumi, ad fluxum ſonumque colloquii
familiaris. Diſcentibus autem dat exercitationem, interpreta-
tionem repetendi, non turbata ullatenus latinitate; gallice 133.
rem totam enarrandi; fideliter ad elementarem grammaticam
latinas dictiones revocandi; gallicam interpretationem in
eandem latinitatem convertendi; & eiusdem orationis in
latinum ſermonem converſæ extemporalis interdum ſcriptio-
nis. Quæ de claſſibus & curſibus diverſis ſequuntur, vel pe-
culiaris ſunt indolis, vel partim alioqui trita, nec ita compara-
ta, ut nos morari debeant. Eodem referimus, quæ ſingula-
tim de ſcientiis & artibus afferuntur. Speciminis tamen loco,
de dimenſo ſermone nonnihil commemoramus. Sanctiſſimi 211.
religionum præſides perpetuis huiusmodi verſibus utebantur,
quos & canerent commodius alii, & memoria comprehende-
rent. Quicquid autem adiutrice muſica docerent, ænigmatum
aut fictionum involucris tegere ſolebant, ac veri concitare deſi-
derium, ex quo poetarum ipſis nomen accrevit, hoc eſt vel
fictorum, vel artificum. Eadem cauſa eſt, cur & hymni, &
heroum laudes, & præcepta, & morum vetuſtiſſimi quique ſer-
mones, poetice ſcripti reperiantur. Sic facile ſolvitur nodus,
quem facit legentibus Homerica lectio. Nihil tam inſolens, 212.
aut a noſtro ſenſu magis alienum, quam ab Agamemnone,
Troianum ad bellum proficiſcente, traditam & commiſſam
vati ſeu poetæ fuiſſe pubeſcentem Clytemneſtram, quæ magi-
ſtrum haberet virtutis eum ac ducem. Adiungitur huic tractatio-
ni de imitatione fuſior diſputatio. Creſcit artificum laus & fortu- 219.
na, pro imitandi gradu, & in ſumma tum operum tum ingenio-
rum diſparitate, conferetur cum *Homero Fontanus* ipſe, cum *Ci-
cerone Lullius*; quia par in omnibus imitandi felicitas. Nec
ſuperat *Cornelius* imitationis virtute *Racinium*, ſed inventio-
nis. Ex noto *Racinius* pingit: agnoſcunt omnes morum pi-
cturæque mirabilem veritatem. In lectione tamen Homerica 235.

mirum

Digitized by Google

mirum id videri ſolet, & omnem ſuperare fidem, illiteratis nempe temporibus exſtitiſſe virum, qui, quæ vellet, imitationis optimo genere pingeret, & cum eſſet nemo, quem ſequeretur ducem, fabulæ ordinem contexeret artificio ſingulari. Magiſtris iisdem uſus eſt *Homerus*, quibus ætatum omnium
Pag. 267. artifices optimi, natura, ſocietate, ingenio, ſtudio, ſapientia. Sic & paſtoralia cecinerunt *Segreſius* & nobiliſſima *Deſuleria*, (*Antoinette du Ligier des Houlières*), bene, ac Romane. Mores hominum pingunt *Bruherius* & *Adiſſo*, graphice & Romane. Chriſtiana ſcribunt *Boſſuetus* & *Burdaluaeus*, magnifice & Romane. Tales una imaginum veritate ſimiles, mirum quam pro varia materiarum facie varias abeant in formas, & in eodem ſæpe genere, quantus omnium ſit, at inter ipſos tamen diſſimillimus, lepos. Ea naturæ fecunditas eſt; & quamquam ſit imitari naturam una lex omnium, & ſuprema, quemadmodum naturæ multiplex eſt in omni materie vultus, ſic imitationis veræ non poteſt exhauriri varietas.

VITA DEL VEN. CARDINALE D. GIVS. MARIA TOMASI de Clerici Regolari.

i. e.

VITA VEN. CARDINALIS D. IOSEPHI MARIAE Thomaſii, Clericis Regularibus adſcripti, ſcripta a DOMINICO BERNINO.

Romæ, apud Fratres Pagliarinos. Permiſſu Superiorum. 1746.
2 Alph. 10. pl. 4.

Clemens XI. iuſſerat vitam Purpurati Thomaſii, ſimul e vita exceſſiſſet, litteris breviter conſignari. Dicto audiens ei fuit Dominicus Berninus, ac compendium vitæ Purpurati defuncti edidit Romæ 1714, denuo ibi 1722. evulgatum, teſtimoniis luculentis refertum. Prodit hic tertium liber, *Indice* auctus. Viri doctrinam, & virtutes, orbis eruditus perpetuo ſuſpiciet. Tentarunt quidem nonnulli eius famam. Fuere tamen, qui eam vindicarent. Huius generis controverſiam experta fuit Thomaſii ſententia, rati, Anaſtaſium

ſium haud fuiſſe totius *Pontificalis Romani* auctorem. Eam enim & falſam, & periculoſam eſſe, gravi libro, Romæ edito, quidam ivit comprobatum. Reſpondit vero vindex Thomaſii, opuſculo italice ſcripto, ac Panormi 1723. in lucem emiſſo. Propugnavit famam & ſententiam Thomaſii L. A. Muratorius, in Præf. ad Tomum III. *Scriptorum Rerum Italicarum*. Confer hæc *Acta* ad a. 1724. p. 378. Noſtrum eſt, dare quædam ex Thomaſii vita. Abſolvitur ea capitibus 24. Originem ſtirpis Thomaſii Auctor refert ad vetuſtisſimam Romanam familiam *Leopardorum*, quæ cum Conſtantino Maximo Conſtantinopolin ſedem transtulit, Heraclio Imp. defuncto Anconam traducta. Poſtea ob gemellos fratres, Iuſtinum & Artemium, poſteri eorum perhibentur adpellati *Thomaſii*, id eſt *gemini*, non in lingua græca, ut Auctori ſedit ſententia, ſed in ſermone hebræo ac aramæo. Ancona gens ea ſe contulit Senas, Capuam, inde in Siciliam. Carolum Thomaſium Philippus IV, Hiſpaniarum Rex, a. 1636. ſolemni diplomate declaravit *Palmae Ducem*. Patre Cardinalis noſter gaviſus eſt Duce Palmæ, Principe Lampeduſæ, Barone Montis Clari, Equite S. Iacobi, *Iulio Thomaſio*, matre Roſalia Traina. Iulii huius Vitam ſcripſit *Biagius della Purificazione*, Carmelita diſcalceatus, ordinis ſui hiſtoriographus. Roſaliæ vitam dedit Hieronymus Turanus, Canonicus baſilicæ Agrigenti, primis capitibus vitæ, quam idem ſcripſit de *Maria Crucifixa*, ex illa olim nata, inſertam. Iulii frater primum genitus, Carolus, renuntiavit primogenituræ, victurus & mortuus in Congregatione Clericorum Regularium Teatinorum, Auctor librorum 73, quorum e numero 56. fuerunt formis publicis expresſi. Vitam eius ſcripſit Ioannes Bonifacius Bagatta, ſacerdos eiusdem religioſæ ſocietatis. Mariæ ac Caroli frater, Ioſephus, cesſit ius primogenituræ fratri Ferdinando. Huius vitam æque ſcripſit Biagius. Quatuor ipſorum ſorores conſecratæ fuerunt rationibus vitæ votivæ, in monaſterio quod pater olim Palmæ condiderat. Unam earum fuiſſe *Mariam Crucifixam*, monuimus. Eam, novimus, in ſacra Rituum Congregatione renuntiatam fuiſſe ***beatam* & *venerabilem***. Ioſe- 7.

Pag. 4.

phus Maria 1649. 12. Sept. natus fuit Alicatæ, Siciliæ urbe,
Thomaſiorum ad tempus feudo. Mater eum potisſime edu-
cavit, ex qua beneficentiæ ſtudium in egenos didicit feliciter.
Oſcula nutricis, ac aliorum, iam puer reſpuit. Amavit ab ineun-
te ætate eccleſiaſtica veſtimenta. Proverbio uſus fuit, in teneriori
ætate, *Moriatur peccatum & vivat Deus.* Valetudinis erat te-
nuisſimæ, ac vitæ admodum auſteræ, & a conſortiis aliorum re-
Pag. 18. ductæ. Puer didicit linguam Hiſpanicam, præter grammati-
ces & rhetorices elementa aridiora, cantu eccleſiaſtico ac mu-
ſice devota ſeſe oblectans. Mature in ſolitariam vitam Cle-
ricorum Teatinorum ſeſe immerſit, a matre eo animo imbu-
tus. Voto ſeſe adplicuit ordinis Teatini 1664, 11. Nov.
die Martini Turonenſis, in urbe Panormi. Paullo poſt fa-
ctus hoſpes, hinc novitius vitæ monaſticæ candidatus, tandem
ſodalis, voto nuncupato adſtrictus a. 1666. Mutinam con-
tulit ſe, philoſophiæ ornamentis condecorandus. Romam in-
de abiit, theologiæ operam navaturus, ſalutatus in baſilica
48. S. Ioannis Lateranenſi *Subdiaconus* 1670, 20. Dec. & Diaco-
nus 1671, 2 Dec. Palmam rediit. Miracula itineribus eius
immixta, prætermittere libet. Revertit Romam 1683, ſacer-
dotio ibi ornandus. Magiſtrum Iudæum, quo in addiſcenda
77. lingua hebræa uſus fuerat, ad chriſtianam traduxit Romæ re-
ligionem. Chaldaicam arripuit, præeunte R. Moſe Cave, Ro-
mano, quem æque ad religionem ſuam impulit amplecten-
dam, ac nomine Thomaſii, aqua ſacra imbutum, inſigniri
109. curavit. Inprimis animum adpulit ad hiſtoriæ eccleſia-
ſticæ antiquioris ſtudia recondita; ut doctrinas, ritus, diſcipli-
nam primi chriſtiani orbis inde erueret. Luſtravit eo fine
antiquisſima MSta, & Codices Vaticanæ, & aliarum Bibliotheca-
rum, inprimis Chriſtinæ Reginæ, cui vicem vice relaturus,
librum paullo poſt inſcripſit ac tradidit obſervanter. Edidit
1679. *Speculum divi Auguſtini*, reſpiciens ad Posſidii Vitam
115. Auguſtini c. 28. Eo fine libellum eum edidit Romæ, ut le-
ctor ſuam erga Deum obedientiam explorare, ac probare poſ-
ſet. Adiecit ſ. Doctoris Pſalterium, quod matri ſuæ compo-
ſuerat. Anno 1680. evulgavit Romæ *Codices ſacramentorum,*

non-

Digitized by Google

nongentis annis vetuſtiores, nimirum Libros tres Sacramentorum Romanae Eccleſiae, Miſſale Gothicum ſive Gallicanum vetus, Miſſale Francorum, Miſſale Gallicanum vetus, ac Reginæ dedicavit Chriſtinæ. Edidit ibidem 1683. *Pſalterium iuxta duplicem editionem, Romanam & Gallicam, una cum Canticis, ex duplici item editione, Hymnarium atque Orationale,* ex MStis exemplaribus. Editio illa duplex fuit olim ab Hieronymo profecta, una Romæ, iuſſu Papæ Damaſi, altera ad Bethlehe- Pag. 118.
mum, ad preces Paulæ ac Euſtochii, matronarum Romanarum, curata. Romana, olim, per occidentem totum fuit in uſu. Pius V. eam reſervavit eccleſiæ Vaticanæ, & alteram Gallicanam in communem pſalmodiæ uſum traduxit. Prodiit Thomaſii libellus 1684. ibidem, hoc titulo: *Exercitium fidei, ſpei, charitatis.* Exiit in lucem 1686. Romæ novum eius opus, cui titulus eſt, *Reſponſalia & Antiphonaria Romanae Eccleſiae, a S. Gregorio Magno diſpoſita.* Sucesſit 1687. eiusdem Opuſculum, *vera norma di glorificare Dio, e di fare Orazione, ſecondo la dottrina delle divine Scritture, e de' Santi Padri, eſpoſta da* G. M. *Caro, Prete Theologo.* Anno 1686. edidit ibidem *Sacrorum Bibliorum, iuxta editionem ſeu 70. interpretum, ſeu b. Hiero-* 123.
nymi, veteres titulos ſive Capitula, Sectiones, & Stichometrias, ex parte maiore ante annos mille in occidente uſitata, una cum antiquis prologis, argumentis — ex MStis Codicibus deprompta —. Dedicatoriæ, Relationes, ac Præfationes ad Conſtitutiones Monachorum Palmæ Benedictinorum, 1690. emiſſas in lucem, a I. M. Thomaſio ſunt profectæ. Adparuerunt ipſius antiqui *Libri Miſſarum Romanae eccleſiae, id eſt, Antiphonarius S. Gregorii Papae Comes, ab Albino emendatus, una* 125.
cum aliis Lectionariis, & Capitulare Evangeliorum, ex Mſtis codicibus, ſive primum edita, ſive emendata. Poſt tempora Gregorii, accesſiones variæ rituum in liturgicis fuerant factæ. Operæ pretium erat, antiqua noſſe, acceſſionibus vacua. Litteris conſignaverat Purpuratus Thomaſius duos libros *de Fermento,* unum *Priſci fermenti novam expoſitionem, ſeu de fermento hebdomario,* alterum *de fermento paſchali.* Fermentum, cre- 126.
didit, iam ſæculo II. ſignificaſſe ſanctisſimum corpus Chriſti,

Digitized by Google

datum per acoluthos ſummorum Pontificum, quibus tunc ſa-
cerdotes præſto fuerint, receperintque ab eo corpus Ieſu Chriſti
ab illis conſecratum, datum presbyteris titulorum ſeu paro-
chiarum, quæ erant Romæ per VII. regiones. Venerunt hi
libri in manus Ciampini, qui inde compoſuit *Coniecturas de
perpetuo Azymorum uſu in Eccleſia Latina, vel ſaltem Romana,*
editas Romæ 1688, in cuius præfatione laudat Ioſephi Mariæ
Thomaſii operam, huic tractationi impenſam. Edidit porro
Thomaſius *Officium dominicae paſſionis ſecundum ritum Graeco-
rum,* Romæ 1695. Hoc fuit primum græcorum *officium,* quod
latino ſermone prodiit in lucem. Evulgavit idem ibidem 1697.
*Pſalterium cum Canticis, verſibus, priſco more diſtinctum, argu-
mentis & orationibus vetuſtis, novaque litterali applicatione bre-*
Pag. 133. *viſſima dilucidatum.* Succeſſit eiusdem liber, Romæ 1699. edi-
tus, tituloque hoc ornatus: *Breve riſtretto de' Salmi, che compren-
de i verſi d'orazione, in quelli contenuti, per uſo quotidiano di fa-
re orazione, e ſpecialmente ne' giorni ſanti di Feſta ò di penitenza,
e nell tempo dell'agonia della morte.* Ad devotionem Chriſtia-
norum liber fuit omnis ſcriptus, vel potius libellus. Colle-
git Thomaſius porro *Inſtitutiones theologicas antiquo-
rum Patrum, quae ſparſo ſermone exponunt breviter theolo-
giam, ſive theoreticam, ſive practicam.* Formatus fuit inde po-
ſtea libellus, qui 1701. Romæ prodiit, titulum nactus *Indicu-
li Inſtitutionum theologicarum veterum Patrum, quae aperte &
breviter exponunt theologiam ſive theoreticam ſive practicam.* Ex-
cellunt tamen pronuntiata Chriſti & Apoſtolorum, præ auctori-
tate eccleſiæ, poſterioris magiſtri & præceptorum. Ex indiculo
nati fuerunt poſtea Tomi III, quibus eſt index: *Inſtitutiones
theologicae antiquorum Patrum, quae aperto ſermone breviter*
141. *theologiam ſive theoricam ſive practicam exponunt.* Tomus I,
exiit in lucem Romæ 1701, complectens Librum Tertulliani
de *Praeſcriptione adverſus haereticos,* Orationem S. Gregorii Na-
zianzeni *de moderatione in diſputationibus ſervanda,* & *quod
non ſit cuiusvis hominis, nec cuiusvis temporis, de Deo diſputare*
&c. Tomus II. adparuit ibidem 1710, continens Librum III.
Cypriani *Teſtimoniorum ad Quirinum,* operas aſceticas S. Ba-
ſilii

ſilii *de Iudicio Dei, de vera ac pia fide*, & octoginta eiusdem regulas, incluſas libro, *Ethica, ſeu Moralia.* Tomus III. prodiit 1712, complexus *Ancoratum* Ephiphanii, & *Expoſitionem fidei*, inſertam illius L. III. To. II. Panarii. Inſtitutum illud, edendi doctrinas ac libros Patrum vetuſtiſſimorum, iam in Synodo Bononienſi probatum fuerat præſidibus Marcello Cervini & Ioanni Mariæ Montano, poſtea Summis Pontificibus. Deducere illud in exitum conatus fuit Thomaſius. Edidit igitur 1712. Tomum I. *Moralium* S. Gregorii, ſermone Italico. Evulgaverat iam 1710. librum, *Breve Iſtruzione del modo di aſſiſtere al ſanto Sacrificio della Meſſa, ſecondo lo ſpirito & intenzione della Chieſa, per le Perſone che non intendono la lingua Latina.* A. 1710. edidit ἀνωνύμως *Eſſercitio quotidiano, per la famiglia & Reviſione eſattiſſima del nuovo Miſſale.* Famam ſibi & exiſtimationem his operibus collegerat Thomaſius. Elogia Pag. 148.
eius congeſſit Berninus. Ipſe pontifex Clemens XI. ei graviſſima commiſit munia, quibus ſeſe iam dudum præſtiterat dignum. Anno 1712. Purpuram obtinuit, diu reluctatus. Celebran- 265.
tur eius virtutes, & conſcientiæ integerrimæ famæ, frugalitas, amor in omnes, miſericordia in egenos. Obiit 1713. Kal. Ian. eſtque adhuc celebratiſſima eius, etiam inter doctos homines, memoria. Collegium, quod *propagandae fidei* vocant, 384.
hereditate ſua donavit. Quæ illi miracula tribuuntur, ſcire a nobis nemo certe cupiet.

CORPORUM LAPIDEFACTORUM AGRI VERONENſis Catalogus, quæ apud IOAN. IACOBUM SPADAM Gretianæ Archibresbyterum aſſervantur. Editio altera, cui accedunt Annotationes, & marmorum, quæ in eodem agro reperiuntur, Elenchus.

Veronæ, 1744. pl. 10. Tab. 10. in 4.

Cum hiſtoriæ naturalis ea ſit conditio, ut quoscunque in ſui rapiat amorem, mirum non eſt, plures extare viros, qui omnem adhibent operam, ut vel cognita iamiam, vel

 recens

recens inventa, ſub certas diſponant claſſes, aliorumque in iis addiſcendis & perluſtrandis facilitent induſtriam. Hic quoque erat Cel. *Spadae*, in edendo hoc opere, præfixus finis. Conſcripſerat autem primo corporum tantum, quæ in muſeo ipſe aſſervaret, naturalium, & rariorum, & formæ elegantia præ aliis ſeſe commendantium, catalogum: aucto deinde eorum numero, ut ſecundum methodum diſponerentur, & vulgaria quæque adderentur, ſuaſerunt amici, quorum ſatisfacturus voluntati, novam hanc molitus eſt editionem. In qua & ea præſtitit, quæ deſiderabantur, & locorum, ubi deſcripta corpora naturalia inveniuntur, nomina, vocumque, quæ huic ſcientiæ propriæ ſunt, etymologiam adiecit, & brevem, ſed elegantem ſatis, de lapideſactis in genere, præmiſit præfationem. Corpora, quæ petreſiunt, diverſo ſe habent modo, ut vel cruſta lapidea inducantur tantum, vel intus extusque lapideſcant ſimul, vel intus materia repleantur lapidea, exteriori ſuperſtite cruſta, vel exteriori cruſta pereunte, ſolus interior lapideſacti corporis nucleus relinquatur. Ex quibus mutationibus noſtro videtur ſequi, inepte pro ſolo naturæ luſu haberi corpora petreſacta; id quod ulterius, oſſium cervi, piſcium, aliisque corporum lapideſactorum exemplis, comprobat, quæ quoad externas æque ac internas conditiones nativis eruuntur ſimillima. Quo autem corporum in lapides permutatio intelligatur, ad lapidum generationem contemplandam ſe A. convertit. Quotidie novi formantur lapides. Conſtat enim inter phyſicos, cum aqua arenæ metallorumque abraſas commiſceri particulas, & pro variis particularum generibus, diverſa fluida, atque ex his vel coeuntibus inter ſe, vel alia ratione digeſtis, diverſa foſſilia ſuam habere originem. Idem in geneſi lapidum valere, putat ex lapidibus patere, varia corpora, foſſilia, vegetabilia, animalia, heterogeneaque continentibus; vel ex iis quoque, qui lapidea veſtiuntur materie, ut ex impoſitis ſibi lamellis tunicati quaſi eſſe videantur. Moles, ex glarea & ſaxis fluviatilibus compactæ, in duriſſima ſaxa converſæ reperiuntur. Marmor, quod *della Pernice* vocant, ex conchis minimis; aliud ex argilla & bucarditis componitur:

marmo

Digitized by Google

marino roſſo Ammonis cornua includit; alia vero alia eiusmodi corpora in ſinu ſuo fovent. Immo marmora ſæpe terræ ſuperimpoſitæ colorem referunt. Aquæ nonnullæ herbas, & alia naturalia corpora, lapidea maſſa incruſtant. Quod, uti de novo lapidum incremento & geneſi clare teſtatur: ita ad diluvium univerſale, tanquam harum mutationum cauſſam, ut reſpiciamus, prohibere autumat; hancque ſuam ſententiam eo confirmari credit, quod ordine ſuo cuncta conſiſtant, & in uno monte piſces, in alio Ammonis cornua, deprehenduntur, quæ a diluvio ſi huc deducta fuiſſent, non absque confuſione collocata invenirentur. Hiſce in præfatione expoſitis, ad ipſam corporum lapidefactorum recenſionem progreditur, atque in *claſſe prima* de *univalvibus* diſſerit, ex quibus, inter *intorta*, & *ſerpentum inſtar inter ſe convoluta*, primum genus conſtituit
cornu Ammonis, alterum *Nautilitae*, qui cum priori forma Pag. 13.
quidem conveniunt, ſed in eo differunt, quod extus unico tan- 19.
tum orbe donentur ſquammato, intus concameratis cellulis, in medio perviis, conſtent, cum Cornu Ammonis plures habeat circumvolutiones, intuſque anguſtas valde & terebratas cellu-
las exprimat. Ab his progreditur ad *univalvia intorta & tur-* 20.
binata, & primo de *Cochlitis* agit loco, qui in leves, lineatos, cælatos, ſulcatos, reticulatos, & ſtrumoſos dividuntur; deinde
de *Neritithis*, ore plano, vel hiatu non roſtrato donatis; de 23.
Trochitis, conum referentibus, baſi planum, & mucrone acu-
minatum; de *Buccinitis*, medio latis, in margine vero produ- 24.
ctis, ut os bifidum repræſentent; nec non de *Turbinitis*, qui 25.
tortuoſi ſunt, & in longum deſinunt mucronem; & tandem
de *Purpiritis*, ſinubus ornatis, multiplicibusque cuſpidibus, pul- 27.
chre diſpoſitis, armatis, roſtroque longo gaudentibus, diſſerit, diverſasque ſpecies, inter lapidefacta repertas, recenſet. Hæc vero corpora cuncta ſpiris vel anfractibus ſunt prædita, quæ in ſubſequentibus *univalvibus, helice carentibus*, deſiderantur. *Echinitae* enim globoſi tantum ſunt, & a marinis quoque ſpina-
rum vel radiorum abſentia diſtinguuntur. *Belemnitae*, qui 32
& Lyncurii nominantur, parva ſiſtunt ſpicula, in quibus radii conſpiciuntur. Hæc primam claſſem conſtituunt. *Secunda* continet

Pag. 33. tinet *bivalvia,* quæ duabus valvis conſtant, cardine coniunctis. *Conchitae* a forma, quam cum conchis communem habent,
36. nomen traxerunt, prout *Chamitae*, Chamæ nigræ Rondeletii, *Muſculitae*, muſculis fluviatilibus, *Bucarditae*, cordi bubulo, *Pe-*
37. ſq. *ctinitae*, pectinum dentibus, *Oſtreitae*, teſtæ oſtreæ lapidefactæ, ſimiles quodammodo inveniuntur. Sed cum corpora naturalia ita ſæpe ſint comparata, ut cognitas nobis figuras rerumque ſimilitudines non exprimant: ea, quæ magnitudine vel forma a ceteris diſcrepant, anomia vocat, atque *Conchitas anomios*,
40. qui *Gryphitae* & *Terebratulae* dicuntur, hoc nomine comple-
42. ctitur. *Tertia* denique *claſſis Tubulata* exponit, quorum unicum *Tubulitarum* genus eſt, qui oblongi ſunt, & inſtar canalis cavi: quod vero nonnullorum ſingularis plane eſt figura, delineari eosdem curavit Cl. Auctor in tabulis, huic operi adiectis. Aſt non teſtacea tantum, ſed vegetabilia quoque, & animalia, haud raro in lapides convertuntur, eaque vel integra, vel quoad partes. Hæc in *quarta claſſe* in unum caput colle-
44. cta ſunt. Detexit enim diverſis in locis, quæ ad animale regnum pertinent, gloſſopetras, oſſa cervi, integros piſces, vel eorum vertebras. Vegetabilibus vero corporibus annumeranda ſunt corallia, ſemina ſeu lapides frumentarii, quos tamen conchas bivalvas eſſe autumat, hisque oolithos & dendrolithos, tandemque plantas herbaceas, ſeu arborum frondes, ſaxis nigri-
52. cantibus & cinereis impreſſas, & fructus adiungit; fungitas tandem, dendrophorosque, una cum ſtellatis lapidibus, qui Madreporæ ſpecies eſſe videntur, ultimo deſcribens loco. In appendice corpora cryſtallina, pellucida, lapidesque Selenitæ & Botrytæ dicti, Stalactitæ, Stalagmitæ, & Fungi glaphyri recenſentur, nec non lapides obſcuri & obſcure pellucidi, ætitæ, geodæ, & draconitæ exponuntur. Quibus omnibus, marmorum agri Veronenſis, una cum nominibus locorum, in quibus reperiuntur, catalogus adiicitur. Aeneæ tabulæ montis Bolca delineationem, variaque corpora lapidefacta, ſiſtunt.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA

Tomi VIII. Sect. XI.

Πλȣτάρχȣ περὶ Παίδων Ἀγωγῆς.

i. e.

PLUTARCHI DE LIBERORUM EDUCAtione Commentarius, cum nova interpretatione latina, & adnotationibus CHRISTIAN. AUG. HEUMANNI. Editionem curavit, GUIL. XYLANDRI ſuasque obſervationes addidit, IAC. FRIDER. HEUSINGERUS. Accedunt indices locupletiſſimi.

Lipſiæ, apud Mich. Carol. Frid. Mullerum 1749. in 8.

Clariſſimus huius libri editor gratum fecit & Plutarcho, & ſibi, & aliis. Illi librum egregium ſtrenue vindicavit, luculenter ſatis expoſitum; ſibi litteratorum ſpem excitavit atque exſpectationem, haud quaquam inanem; aliis iter munivit ad optimi libri intelligentiam multo expeditiorem. Plures iam illius editiones proſtare novimus, quas vero negligentiæ, potiſſimum in corruptiore contextu ſignificatæ, accuſat Heuſingerus. Accurationem igitur maiorem exhibiturus, ſicubi in Scriptoribus Græcis adhuc deſiderandam, *Guilielmi Xylandri* veſtigia ſequitur, editionem de anno 1620, rariſſime,

nec ſine rationibus redditis, deſerens. Eiusdem interpretationem, a ſe ita emendatam, ut nova videri queat, debemus V. C. *Chr. Aug. Heumanno*; quam hic, ut accepit, noſter exhibet, licet in obſervationibus non raro ſecedat. Idem liberaliſſimus *Heumannus* addidit editionem Lipſ. 1705. ab *Olao Heſychio* curatam, atque Heumannianis obſervationibus manu adſcriptis inſtructiſſimam. Item *Io. Chriſtophorus Wolfius* Prof. Hamb. celeberrimus, manu ſua deſcriptas lectiones variorum antiquiſſimorum codicum transmiſit, in obſervationibus, non ſine fructu inſigni, uſurpatas, omnesque, una cum iis quas Francofurtenſis laudata editio ad operum calcem exhibet, pariter ſub finem fideliter repetitas. Ab editore Londinenſi *Ge. Sylvano* eximia quælibet exſpectarat *Heuſingerus*, at invento demum exemplari, non ſolum nihil emolumenti accepit, ſed quoque dubitare coepit, puerisne illæ obſervationes, an a puero ſcriptæ eſſent. *Franc. Fabricii* autem ſcholiis perquam invitus carere coactus eſt, quod, *Xylandro* indice, manuſcriptos codices adhibuit vir alioqui accuratiſſimus. Illius autem locum ſupplevit *Io. Tob. Krebſius*, qui noſtri obſervationes correxit, illuſtravit, ſupplevit. In rudiorum gratiam *Heuſingerus*, *Io. Heinr. Rappii* pleniſſimum indicem, quo ſingula fere vocabula copioſius illuſtrantur, adiiciendum putavit, eumque ex Plutarcho Argentorati 1663. edito deſcripſit, numeriſque in ſcholis vulgo receptis accommodavit. Nos autem ad ipſos novos labores accedimus. Prima ſtatim obſervatio, in prima linea, ἔχοι εἰπεῖν ſupplet per ἐξουσίαν, ideoque allegatur Luc. XII, 4. 5. itemque Act. IV. 14. 16. Ubi nos quidem admodum laudamus diligentiam, omiſſionem, adeo ſingulis linguis ſollemnem, exquirendi: ſed ita, ut vel ad voluntatem reſpiciat, vel ad facultatem. Ad facultatem aut poteſtatem pertinebit prior ille Lucæ locus: ad voluntatem forſitan Plutarchi noſter; idque aliis linguis conſentientibus. Germanus e. g. reddere poſſet, *was iemand vielleicht zu ſagen haben moechte*: de latinis forte fortuna locus Ciceronianus occurrit L. I. ep. 5. *de cauſſa regia tantum habeo polliceri.* Suppleamus in Plutarcho noſtro ἐξουσίαν, & videbimus alienam ab Auctoris opinione ſententiam

tiam

Digitized by Google

tiam inde naſcentem, quippe qui temerarius eſſet, ſi facultatem plura vel alia dicendi cuipiam negaret. Et ſicubi etiam quam commodiſſime ſic reddi poteſt; regula tamen, quæ a propria verborum ſignificatione recedere prohibet, niſi urgeat neceſſitas, huc pariter accommodari poterit, ut eo uſque nihil ſuppleamus, donec alioqui interpretari commode nequeamus ſententiam. Accommodamus id ſtatim ad ſequentes obſervationes, ubi commodius ad σπουδαῖοι τοῖς τρόποις & τοὺς τρόπους, omiſſiones particularum ἐν & κατὰ notari potuiſſent atque confirmari, dum ſine iſtis ſalva non eſt notio & coniunctio grammatica; quamquam, quia trita ſunt, nihil hic omnino peccavit cl. editor. Maluiſſemus autem, in ſequenti obſervatione βέλτιον per ἔλλειψιν, quam ἐναλλαγὴν expoſitum fuiſſe, ob eandem ſuperiorem regulam, forte ſic: *Melius autem forſitan erit, ab ipſa generatione primum incepiſſe*, ſcilicet *nonniſi deinceps ad alia progredientes, quam ſecus facere*. Qualis explicatio, mutatis mutandis, ad omnia facile exempla, quæ vulgaris grammaticorum error, ad fulcrum figuræ plerumque vitioſiori quærendum, cumulavit, accommodari poterit. Ἴσως hic per forſitan interpretati ſumus, quamquam eſt, qui ad Ariſtotelis eth. X, 9. provocans, per *certe* exponere maluit. Dum ad ſequentem loquendi modum, τυχούσαις γυναιξὶ συνοικεῖν, duplici de cauſſa, obſervationem quærimus, ad indicem confugere coacti, pia deſideria in animo naſci ſentimus, accuratiorem derivationem, cum eadem ſignificationum coniunctionem, earumdem legitimum ordinem, ac deinceps imminutionem, a ſenſu cognatis vocabulis, ut & diverſarum in verbis radicum, (quarum confuſio ex deficientibus tot anomala fecit,) accuratiorem diſtinctionem, præ ceteris expetentia. Optaſſemus ideo, ut novum cl. editor, quod ipſe maluit, indicem elaboraſſet; quamvis ſit etiam, quod paſſim correxit, meritum inſigne. In oculos incidit ſequens cel. Heumanni obſervatio, qua λέγω, ait, *non ſignificat inquam, ſed ſignificat ich meyne*: aſt in deteriorem vir ſummus non accipiet partem, ſi regula, iam ante fundamenti loco poſita, iterum nos in ſignificatione propria contineat, ita ut Lutheri verſionem Eph. V, 32. ubi *ich rede aber* interpre-

terpretatus eſt, amplectamur. Illa ſola regula, ſi ſpatium permitteret nos ulterius progredi, plurimas ſane gigneret emendationes, vel etiam qualescumque meditationes, quas tamen ideo pariter eo libentius tacemus, ne forſitan quis iudicet, reprehendere nos, quam commendamus, diligentiam: licet exploratum habeamus, auctores ipſos tanto id æquius conſultûros, quo magis iuvat perfectionem, qui vel minima, quæ forte reſtant, menda indicat; ſincerus præ eo, qui promiſcue ſingula prædicat, hoc eſt adulatore. Unum adiungemus votum, ut cl. *Heuſingerus*, repetenda ſuo tempore editione, huius, vel aliorum, quorum ſpem fecit, *Plutarchi* librorum, philoſophi Chæronenſis, inde a Neronis tempore clari, adeoque Scriptorum N. T. ſacrorum æqualis, ſtilum cum ſacris libris comparet, cuiusmodi comparationis ſpem fecerat in parte poſtrema deſcriptionis Germanicæ vitarum in Europa eruditorum p. 485. b. *Strodtmannus.*

OBSERVATIONUM IURIS CIVILIS ROMANI LIber ſingularis.

Hagæ Comit. apud Petr. de Hondt 1743. pl. 10. 8. mai.

Pervulgata querela eſt, ſanctiſſimas Romani iuris reliquias eodem modo, quo cætera, quæ ad nos pervenerunt, antiquorum ingeniorum monumenta, cum a librariis, tum a Triboniano, eiusque ſociis, peſſime habitas fuiſſe ſæpius, eoſdemque ſincerum verborum ſenſum, negligentia ſua & inſcitia, vehementer compluribus in locis turbaſſe. Hærent inde ac miſere torquentur ICti, dum ad hanc vel illam legem perlati, tot nodos Gordios obſervant, quibus diſſolvendis & tempus perdunt, metallo quovis pretioſius, & patientiæ, qua utuntur, vim inferunt incredibilem. Quod ipſum quo certius efficit, ut legendi retardetur, celeritas operoſisque ingeniis, & graviora cogitantibus, illiberalis ac moleſtus divinandi labor imponatur: eo ſane magis laudandi, omniumque digni adplauſu ſunt, qui non perſcrutari tantum hæc vulnera, ſed medicas etiam manus adplicare iisdem ſtudent. In eiusmodi virorum collegio, haud vulgare ſibi vindicat ſubſellium, harum obſervationum

Digitized by Google

num Auctor politiſſimus, quippe qui viginti ac duobus capitibus, partim varias iuris Romani dictiones, levi correctione, tranſpoſitione, aut geminatione, integritati ſuæ reſtituit; partim lectiones receptas mutatione indigere nulla oſtendit; partim etiam Florentini Codicis dignitatem tuetur, & quæ aliis ſuſpecta in eo viſa ſunt, merito eſſe retinenda contendit. Atque hæc omnia tam eſt modeſte exſequutus, ut vix futuri ſint, qui doctiſſimas eius coniecturas ſuo comprobare adſenſu dubitent. En, earundem exempla quædam. *Cap. II. p. 11. ſq.* verba *Caii* in *l. 20. D. de damn. inf.* ſub examen vocat Auctor. Dicit enim ICtus, *refectionem aedium ad fructuarii onus* non *pertinere.* Quod quum plane repugnet iuri recepto, facile adparet, aliquid vitii in his Caii verbis latere. Ut igitur hoc obſtaculum removeretur commode, Caiusque in concordiam redigeretur cum ICtis cæteris, Cuiacio, aliiſque, particulam *non,* in qua omnis hic difficultas eſt, e medio tollere placuit. Sed dura emendandi ratio, quæ in verborum necem exercetur, iam dudum reiecta eſt a criticis recentioribus. Clariſſimus Auctor, leviſſima mutatione rem expediri facillime poſſe credit, poſita quidem negatione poſt verbum *pertinet,* ita ſane, ut legendum ſit in poſterum: *Nam de ruina aedium neuter ab altero cautionem deſiderare poteſt, fructuarius ideo, quia refectio aedium ad eius ipſius onus pertinet,* non *proprietarius, ideo, quia uſitata ſtipulatio, qua de REſtituenda* (i. e. per geminationem, qua de re reſtituenda) *fructuarius cavet, ad hunc quoque caſum porrigitur.* Hoc modo ſi emendetur Caius, in præcedentibus particula *non* erit intelligenda, aut repetenda ex voce *neuter,* ac ſi ita ſcripſiſſet ICtus: *Nam de ruina aedium neuter ab altero cautionem deſiderare poteſt,* (non) *fructuarius, ideo — — non proprietarius, ideo — —.* Negationem vero, quam priori loco Caius omiſerat, quia per ſe clarum erat, mox ſequentia, quæ a voce *neuter* pendebant, negative eſſe accipienda, in ſequentibus, quæ itidem pendent a vocula *neuter,* adiiciendam exiſtimavit, ne quid ambigui ſupereſſet. Hæc Auctoris noſtri opinio eſt: cui addit, etiam alibi hunc ipſum uſum voculæ *non* occurrere, ut uno tantum loco adhi-

 bita,

Digitized by Google

bita, altero intellectu repetenda ſit, quam ob cauſſam provocat partim ad obſervationes *van de Water lib. II. cap. 14. p. 193.* partim ad *l. 8. D. de muner. & honor.* itemque ad *l. 8. §. 1 D. de poenis.* Si quis tandem quærat, unde in dicto Caii loco id vitium derivandum ſit, non dubitat Auctor illud librariis adſcribere Καλλιγράφοις, qui quum parum attenti verborum ordinem turbaſſent, id quod vel doctiſſimo facile evenire ſolet, multo magis turbæ rudi, non ſemper correxerunt, ſed, ne opus lituris deformaretur, omnia, ut ſemel erant perſcripta, reliquerunt. *Cap. XXII. p. 134.* Florentina lectio in *l. 17. §. 3. D. de iniuriis* probatur, ac vindicatur ab emendationibus criticorum. Quum enim Ulpianus ibidem ſcripſerit: *quaedam iniuriae a liberis hominibus factae levis nonnullius momenti habentur: Gregorius Haloander, Hugo a Porta, Chevallonius,* aliique, pro verbis *levis nonnullius* legere maluerunt *leves & nullius*; Charondas contra, ut minus a Florentina ſcriptura recederet, dicendum eſſe coniicit *leves non ullius.* Sed fluctus in ſimpulo moveri hic, exiſtimat Auctor, rectiſſimeque ſe habere hunc ipſum locum in Codice Tuſco credit. Quin & elegantiam in ea lectione animadvertere ſibi videtur, a correctoribus hiſce non obſervatam. Monet nimirum, Romanos ſcriptores adiectivis ſæpe iungere pronomina *aliquis, quidam, non nullus,* quibus vel intendatur, vel minuatur, vocum, ad quas pertinent, ſignificatio. *Ciceroni,* ait, *hoc eſt perquam familiare; qua de re notavit aliquid Paull. Manutius ad Ciceron. lib. 1. ad fam. epiſt. 9. & lib. 4. epiſt. 3. Ab Auctoribus noſtris exempla petita occurrunt in l. 21. §. 12. D. de recept. & qui ab arbitr. rec. Et ſi quidem dies adiectus non ſit ineſſe* quoddam *modicum tempus. In l. 1. §. 8. D. de Aedil. Edicto: non utique* quod libet *quam leviſſimum efficere, ut morboſus vitioſusve habeatur. In l. 27. pr. D. Locati: ut* aliquam *partem parvulam incommodi ſuſtineret. Conſtit. omnem §. 1 in f. Et tunc tantummodo ex* aliqua *minima parte recitandis. Quibus in locis, aeque ac hic, pronomina minuunt ſignificationem. Iniuriae igitur* levis nonnullius momenti *ſunt, quae vix pro iniuriis reputandae.* Hactenus ille. Eodem

in

in *Capite p. 136.* Haloandrinam editionem repudiat, quæ in *l. 9. pr. D. de ſeruit.* pro *ſimplicius*, quod Florentiæ eſt, habet *ſimpliciter.* Nec placet aliorum ſententia, mutandum eſſe hoc in *ſimplici uſu.* Comparativum enim uſurpari pro poſitivo adſerit, quemadmodum in *l. 6. D. ad SCt. Trebell. certior voluntas* pro *certa*; & in *l. 27. §. 1. D. de furt. ſecurior creditor* pro *ſecuro.* Plura non addimus, ſatis perſuaſi, vel ex his perſpici poſſe, quid boni complectatur iſtud opuſculum.

ANTONII FIZES, REGIS CONSILIARII ET MEdici, in alma Monſpelienſium Medicorum Academia Medicinæ Profeſſoris Regii, ac in Facultate Iuris Monſpelienſi Matheſeos Profeſſoris, Opera Medica, varii argumenti, nimirum de Tumoribus, de Suppuratione, de cataracta, de conſpectu partium ſolidarum, de Hominis liene ſano, ac de ſecretione bilis. His acceſſit de Hominis generatione Exercitatio digeſta, concinnata, latinitate donata, a NICOLAO FIZES, Regis Conſiliario, in Facult. Iur. Monſpel. Matheſ. Prof. Regio ante ſignato, Iur. utr. Doct. cauſſarum Patrono, Auctoris Patre.

Monſpelii, apud Anton. & Petr. Rigaud 1742.
Alph. 1. Plag. 15. in 4.

Nulla eſt ex his octo Diſſertationibus, quæ non iam olim lucem aſpexerit. Qua de liene agit, A. 1716. edita fuit; tribus annis poſt, in qua de bilis ſecretione exponitur; A. 1721. prior de ſuppuratione agens; A. 1724. altera, in qua ſuppurationis eventus in partibus mollibus expenduntur. A. 1729. cl. *Fizes* conſpectum partium ſolidarum in lucem emiſit, duobus annis poſt, & de Tumoribus tractatum, paullo ante quam hæc ipſa Opuſcula iunctim ederet. Tandem quod ad opuſculum de generatione attinet, ſcripſit, ubi primum in medendi arte gradum ambiebat,

quod

quod, quo anno factum ſit, non conſtat. Incipiamus ab illo Opuſculo, quod de Tumoribus, quorum illi tantum in eo expoſiti inveniuntur, qui a quieſcentibus humani corporis ſuccis proveniunt. Eorum ille cauſſam in omni impedi-
Cap. I. mento ponit, quod fluere ſuccos libere per vaſa non ſinat.
§. 5. 6. Quod cum dicat ex ſuccis ipſis, vel vaſculis, vel rebus externis oriri, videretur cor arteriasque maiores neglexiſſe, quæ hoc, quod non raro impetuoſum nimis ſanguinis motum faciunt, meare ipſum libere per vaſa non ſinunt, niſi huius rei inferiore aliquo loco mentionem feciſſet. Quæ præterea in
§. 28. primo capite de differentiis, ſymptomatibus, exitu vario, diagnoſi, prognoſi, & curatione tumorum in univerſum pro-
Cap. II. rel. ponuntur, in iis nihil adeo novi invenimus. Alterum caput inflammationis hiſtoriam continet, tertium phlegmones, quar-
§. 18-20. tum eryſipelatis, quintum oedematis, & ſextum ſcirrhi. Itaque in omni inflammatione dicitur ruber ſanguis, potiſſimum in arteriis, cum ſanguinem, tum quoque lympham vehenti-
§. 20. bus, quieſcere. Neque hoc ad *Boerhavium*, verum ad Vieuſ-
§. 21. ſenium, tamquam inventorem referendum eſſe; ſimilemque deviationem, ut vocat, globulorum ſanguinis, in menſium fluxu, ſanguineo ſudore, mictu cruento in variolis, fluxu hepati-
§. 23. co, pluribusque malis accidere. Neque vero ſanguini per omnes inflammatæ partis arteriolas viam præcluſam eſſe; cumque per aperta manentia vaſa tanto celerius ſanguis in venas, per easque ad cor proferatur, febrem accendi. Quam ut a celeriore ſanguinis per totum corpus motu, frequentioreque ac valentiore cordis contractione proficiſci concedamus: tamen celerior eius per parvæ cuiusdam inflammatæ partis ve-
§. 24. nas profluxus poſſit accendere, non ſine cauſſa metuimus. Pariterque & id multis probatum non iri, exiſtimamus, quod Cl. Auctor de ſpiſſitudine ſanguinis in inflammationibus propoſuit, eam ſcilicet partim a cauſſa morbi, ſanguinem ad inflammationem inſpiſſando diſponente, partim ab hoc provenire, quod ruber ſanguis, ſimul cum mucilaginoſis ac fibroſis craſſioribus partibus, quæ per obſtructas lymphaticas arterias profluere non poſſint, in ſanguineas venas profluat.

Tum

Digitized by Google

Tum, ratione difficilis tranſitus ſanguinis per vaſa, tres gradus inflammationis eſſe, quorum primus Phlogoſis, alter inflammatio proprie dicta, tertius gangrænodes ſit. Cum primo §. 27.
autem febrem non adeo ſæpe coniunctam eſſe. Poſt hæc §. 29. ſeqq.
cauſſæ inflammationis ſecundæ, ſive remotæ, ſed ita exponuntur, ut evidentia, in nonnullis ſaltem deſideretur, quo pertinet, ut eo exemplo utamur, hoc, cibos ſalſos, acres, aromaticos, potus ſpirituoſos, ardentes ſanguini partes, duras, tenues, ab aliis ſeiunctas, mobiles, vaſa ſtimulantes, ſuppeditare, ab iisque omnibus ſanguinis rareſactionem produci. Neque aliud fere iudi- §. 43. ſeqq.
cium ferre de exitus inflammationis quadruplicis expoſitione licet, reſolutionis, ſcilicet, ſuppurationis, indurationis, & mortificationis. Melior deinde Prognoſeos expoſitio eſt, quæ §. 50. ſeqq.
utique pro ſede morbi, magnitudine, loco, cauſſa, ſpecie & exitu, variare debet. In curatione inflammationis duo a Me §. 59.
dico obſervanda eſſe Cl. *Fizes* opinatur, ſanguinis vim minuere, eumque fluidiorem reddere. Quod cum poſſit per §. 60 61.
victus rationem, de qua accurate expoſuit, non niſi tarde obtineri, protenus venam ſecandam eſſe, eamque pro ſede variare, quo poſſit revulſio fieri. Tum quia ſpiſſitudo ſan- §. 63.
guinis a pravis primarum viarum ſuccis alatur, vel purgantem, vel emeticam medicinam poſt venæ ſectionem dandam eſſe, quam fortaſſe ſatius fuerit, protenus dare, ſi ab hac cauſſa inflammatio orta, ſi tantum ab ea aucta, diæta, & leniſſimis alvum mollientibus purgare. Deinde contra æſtum & acrimoniam §. 67 69.
edulcorantia, propter dolorem narcotica, commendantur. Tandem extus ſuperhabenda auxilia ita proponuntur, ut, cum diverſæ indolis ſint, quando quæque conveniant, lectoribus patere poſſit. In tertio capite de Phlegmone agitur, eamque §. 75.
Auctor tumorem dicit elatum eſſe, circumſcriptum, calidum, rubrum, tenſum, duriuſculum, dolentem, cum pulſationis moleſto ſenſu, præcipueque propter limites, quos definitos habet, ab omni alia inflammatione diſtingui poſſe. In eaque, §. 76.
ut ſanguifera vaſa ſpiſſo tenacique ſanguine, ita lympha ſimili ab ea nominata vaſcula oppleta atque diſtenta eſſe. Cum §. 82.
vero ſibi relicta phlegmone, vel reſolvatur, vel pus concipiat,

§. 84. medentis eſſe, ſemper reſolutionem prius tentare, ad quam nullum venæ ſectione in brachio, vel ſi ſuperiores partes corporis laborent, circa malleolos inſtituta, efficacius auxilium ſit, cui tamen, pro inflammationis magnitudine varia, tenuis diæta, enemata pariter ac vomitoria, atque cathartica ſubiungi
§. 88. debeant. Tum ex topicis, in principio morbi lenia reprimentia, in incremento quæ molliendi laxandique virtutem habeant, & ubi decreſcat, roborantia ſuperhaberi poſſe. Fuerunt autem cum horum, tum intus ſumendorum medicamen-
§. 90. torum, permultæ formulæ additæ. Eryſipelatis ſedes in cute, adipoſa membrana, ſubiectisque muſculis ponitur, in quarum partium vaſis ſanguis parum ſpiſſus, ſed acris, ac æſtuoſus,
§. 95 quod ait, ſubſiſtat. Semper vero operam dandam eſſe, ut reſolutio quieſcentis humoris fiat, pariter per venæ ſectio-
§. 96. nem, emetica, purgantia, atque enemata. Extus autem in magno æſtu lac, vel cum eo parata cataplaſmata mollia, fotus emollientes; in minore, vinum tepidum, ſimilesque reſolventes fotus, interdum etiam anodyna, cum reſolventibus mixta, ſuperhabenda eſſe: quæ ut medentium multis ſatis probari poſſint, non parum metuimus. In Oedematis curatione, de quo in capite quinto agitur, ſi a corruptis ſuccis proveniat,
§. 106. cum corrigendos hos eſſe, tum quoque ſedi oedematis extus adhibenda auxilia eſſe, quibus ſolis id vinci poſſit, quod tantum ab externa cauſſa provenerit. Itaque in priori mali genere, a purgantibus initium faciendum eſſe, hiſque diuretica calida & aperientia, deinde martialia cum purgantibus & diureticis remixta, ac poſtremo, ſi his malum non ceſſerit, & habitus corporis mollis flaccidusque fuerit, lignorum decoctum ſubiiciendum. Quæ tamquam topica commendantur, ex ro-
§. 107. ſqq. borantium adſtringentiumque genere ſunt: quibus tamen ſi vinci morbus non poſſit, ab externa cauſſa ortus, ferrum candens adhibendum eſſe, Cl. *Fizes* opinatur. Ultimum caput de Scirrho doctrinam continet. Eius ſedes dicitur in cute, a-
§. 109. dipoſa membrana, perioſtio, ligamentis, tendinibus, carnibus muſcularibus, & potiſſimum glanduloſis eſſe; quod, quo iu-
§. 112. re dicatur, parum intelligimus. Magis arridet, quod de cau-

ſa

Digitized by Google

ſa Scirrhorum profert, oriri ſcilicet, ſi a vitio in ſuccis latente recedamus, cum in tumoribus, cum inflammatione coniunctis, ſanguis, non vero lympha, in ſuis vaſis ſubſiſtens, mobilis redditur. Pluribus deinde ad prognoſin ſcirrhi pertinentibus §. 118-
propoſitis, ubi breviter de ſcirrhi a venerea vel ſcrophuloſa, 121.
quam vocat, lue orta, curatione egit, Auctor ſe de ſimplici tantum ſcirrho agere velle, monet, eumque diſtinguendum eſſe, an ex cachectica, an ex melancholica conſtitutione prodierit, etſi ab utraque cauſſa ortus reſolvi debeat. In eo igitur ſcirr- §. 122.
ho, qui a pituitoſa cauſſa ortus ſit, digeſtionum inſtrumenta roboranda, ſanguinem potenter incidendum, & a ſero ſuperfluo, per purgantia, diuretica, & diaphoretica, liberandum eſſe, quo fibris robur, lymphæ fluiditas, reddatur. Ad quem finem obtinendum, ubi Medicus per aliquot dies idoneis auxiliis uſus ſit, extus reſolventia ſuperhaberi poſſe, quæ tamen non impediant, quo minus ſcirrhus interdum pus concipiat. §. 123.
Aliter mederi nos docet Auctor a melancholica conſtitutione orto, facileque in cancrum abeunti ſcirrho. Nam poſt ſanguinis miſſionem, infuſum purgans præſcribit, iuſculaque pulli iunioris cum helenio, cichorio, pimpinella, & cancris parata, per novem dies mane ſumenda. Poſt quæ ſuadet ſerum lactis, in quo ferrum candens exſtinctum, & cui, ubi albo ovi clarificatum & percolatum fuerit, ſacchari pauxillum, & interdum ſuccus chærefolii aut naſturtii, addi poſſit. Interdum & utile eſſe decem aut duodecim vivos millepedes in ſero lactis decoqui, cuius proinde mane duodecim vel ſedecim unciæ, per duodecim dies bibantur. Dein iterum purgatum corpus, ad uſum aſinini lactis, millepedum pulveris, interdum quoque teſtudinum, ranarum, ſimiliumque iuſculorum, aquarum mineralium, præcipueque domeſticorum balneorum perducendum, perſiſtendumque in ea curatione per duos aut tres menſes eſſe. Quæ dum intus ſumantur, extus emollientia & aquoſa, ſub forma fotus, vaporis, irrigationis, balnei, adhibenda eſſe. Sequitur duplex de ſuppuratione ſpecimen. In Prop. 1.
priore oſtenditur, partem, in qua ſuppuratio fiat, vita gaudere, neque unquam in ea pus naſci, niſi rupta vaſcula, eaque 2.

Prop. 3. ſanguinem vehentia, fuerint; eruorem etiam, magna copia
effuſum, & in maiore aliquo cavo corporis collectum, in quo
interdum per plures dies fluidus maneat, qualem ſe Auctor
dicit ex pectore educi vidiſſe, nunquam in pus converti, verum
4. in cadaveroſum quid, tabum adpellatum. Idem interdum
fieri, ſi cruor ruptis ſanguinem vehentibus vaſis parce effuſus
ſit, græci ἐκχύμωσιν vocant, ſanguinemque adeo, etſi in pu-
5. tridum quid, in pus tamen verum mutari non poſſe. Suppu-
rationem vero in parte molli ſic fieri. Ex ruptis in vulnera-
ta parte vaſis, primum ſanguinem effundi, cumque is, propter
reſiſtentiam in illis minutam, maiori vi adfluat, & integra
quoque, quæ in vulnerata parte ſemper ſuperſint, vaſcula diſ-
tendat, ruptorum vaſorum extrema, cum propter hoc, tum
quia & ipſa breviora atque anguſtiora fiant, comprimi, ſan-
guinisque effluxum cohibere. Qui adeo retentus cum agat in
vaſa, in iiſque inflammationis notas excitet, ab his, præcipue-
que integris ambientibus ita agitetur, ut, ſetoſis particulis ab-
ſumtis, globuli cum fibroſis partibus intermixtis, in mucila-
gine ſanguinis velut inviſcati, in ſpiſſum, æquabile, & albicans
liquidum, pus dictum, ſolvantur, cui ſimul ruptorum vaſo-
6. rum emollitæ ſolutæque laciniæ admiſceantur. Ultimo lo-
co, quæ ſuppurationi inchoatæ ſuperveniant, & qua ratione
iterum uniantur partes, exponitur. Ex quibus hoc unum ad-
duxiſſe ſufficiat, Auctorem ſecta vel rupta vaſcula omnia occlu-
di opinari; quæ vero in vulnere coeunte exigua tubercula aut
velut monticuli adparent, integra vaſcula eſſe, ad os vulneris
reflexa, & a ſuccis adfluentibus extenſa, per eaque ſolutas
partes uniri. In altero ſpecimine, præcipui ſuppurationis even-
1. tus in partibus mollibus expenduntur. Suppuratio igitur vel
non, vel difficulter excitatur, ſi in vaſis neque tumor, neque motus
vehementior vitalis producitur, ſi in parte læſa pauca ſanguinem
vehentia vaſa ſunt, ſi plurima vaſcula contuſa vel lacerata
vim vitalem perdiderunt, ſi etiam integra nimiam ſanguinis
vim continent, & ultra modum diſtenta ſunt, ſi vaſa inanita
ſunt, vel cauſſa aliqua prægreſſa reſoluta, aut mollia nimis,
vel contra rigida ac nimium tenſa, vel ab externa cauſſa com-
preſſa, ſi fluida in parte læſa nimis ſpiſſa, ſi ſerum & tenuis
muci-

Digitized by Google

mucilago in ſanguine deficit, vel ſpirituoſis particulis is plurimum orbatus eſt. Cum his conveniunt magna ex parte ea, quæ deinde de varietatibus & anomaliis præcipuis ſuppurationis, ratione ſymptomatum æque ac indolis puris, proponuntur. Nam cum bene & facile ſuccedat ſuppuratio in carneis partibus, minus feliciter fit in tendineis, nervoſis, ligamentoſis, adipoſis, & glanduloſis. Neque alia ſanguinis ratio eſt, a quo bene conſtituto facilis & laudabilis ſuppuratio fit; mala contra, ſi diſſolutus, vel craſſus & viſcoſus eſt, ſi cachexia, vel cacochymia, item ſcorbutus, venerea lues, corpus tenent, vel ſi ſcrophuloſa ſanguinis diatheſis eſt. Variat quoque ſuppurationem tumoris diverſitas, neque bona erit in eryſipelate, oedemate, ſcirrho, cancro, tunica incluſis tumoribus, & ab initio in gangræna. Neque eodem modo ſuppuratio fit, ſi vulnus cæſim, & ſi punctim inflictum, ſi partes laceratæ, aduſtæ, aut frigore læſæ ſunt; quibus de noxiis mutationibus quædam ſubiiciuntur, quæ non raro ſolent, in parte, quæ ſuppurat, oriri. Brevioribus nobis licet in exponenda illa Diſſertatione eſſe, quæ hanc excipit, & in qua de Cataracta agitur. Nihil enim in ea reperimus, quod in omnibus fere de oculorum morbis, vel de chirurgicis quoque curationibus emiſſis ſcriptis, non inveniatur. Contra omiſſa non pauca ſunt, quæ a recentioribus reperta, cum in cognitione ſuffuſionis, tum in chirurgica eius curatione, permulta variant. Nam, etſi membraneis cataractis admiſſis, frequentiſſimas tamen in cryſtallina lente ſedem habere dicit, nihilominus de velamenti lentis, & utramque partem interfluentis humoris mutatione, ut quæ pariter ſuffuſionem poteſt efficere, nihil dixit. Deinde, etſi maturam vult cataractam eſſe debere; tamen, neque cur debeat eſſe, rationes ſubiungit, neque eius, quæ nuper de hac re fuit, & adhuc eſt, diſputationis, vel verbo mentionem facit. Omiſit etiam veriſſimam *Petiti* ſuffuſionis curandæ rationem: contra, ita iubet acum demittere, ut cameram oculi poſteriorem intret, velamentique adverſam partem radat, ac lentem deprimat; ex quo, quam parum vera debeant ſubiuncta Corollaria eſſe, non obſcure intelligitur. Quintum

Digitized by Google

Opuſculum nomen conſpectus anatomico mechanici partium C. H. ſolidarum habet. In hoc primum de vaſis, membranis, nervis, cellulis, veſiculisque hinc inde occurrentibus, agitur,
§. 11. ſeqq. ut, qua ratione formentur, conſtare poſſit. Negatur vero, in liene cellulas, in muſculis, & ad vaſorum extrema, quæ ſingulis partibus aliter figurata ſint, veſiculas vel folliculos glanduloſos eſſe. Deinde de arteriæ minimæ diviſione, ac fine, de fibra ſimplici, eius elementaribus particulis, ac firmitatis cauſſis, preſſione ac nutritione, aliqua proponuntur, quæ partim ſatis nota ſunt, partim vix aliquam veritatis ſpeciem ha-
§. 28-35. bent. Poſt hæc fibrarum elaſticitas, ſed mechanica tantum, ut videtur, exponitur, ad quam pertinens continuus ſe reſtituendi niſus vitam efficiat, quæ proinde in perpetuo mutabili æquilibrio, quod vocat, fluidorum vaſorumque conſiſtat. Cum per hoc dilatationem contractionemque vaſorum intelligit, quæ per totam vitam invicem fiant, de cordis al-
§. 36. terno motu, tamquam mechanica earum cauſſa, quædam ſubiiciuntur, æſtimaturque ampliatio aortæ omniumque continuorum ductuum, quæ in cordis ſyſtole fit, 2. pollic. & 432.
§. 38. lin. cub. æqualis eſſe. Ex his conſequens eſſe dicitur, nullum in corpore vaſorum genus eſſe, quæ ab arteriis deriventur,
§. 42-48. quod non pulſet. Ut vero vaſorum actionem ex elaſtica vi, ita ex eadem carneæ fibræ vim exponit, ſed ita, ut nonnullis ab aliis, ne quidem nominatis auctoribus, fictis anatomicis
§. 49. principiis utatur. Ultimo loco nerveis fibris vibrationem Auctor adſcribit, ac de poris meatibusque ſolidarum ſecundum aliorum obſervationes, aliqua profert. De Hominis liene ſano Diſſertatio ſequitur. In eius partis, quantum internam fabricam attinet, deſcriptione, Cl. *Fizes Ruyſchium* ſequitur. Deinde in quinque ſubiectis Propoſitionibus oſtendit, lienem præcipue ad ſanguinis arterioſi particulas diſcerpendas, ſolvendas, atque intime permiſcendas conſtructum eſſe; ad quem finem etiam minor in liene lymphæ, quam in aliis viſceribus, deperditio fiat: hunc vero in liene paratum ſanguinem, curſum illius promovere, qui per vaſa hepatis capillaria fertur, plurimumque ad bilis ſecretionem conferre. Præter hæc intermixta aliqua ſunt de velocitate ſanguinis curſus,

Digitized by Google

ſus, eiusque particularum divulſione, quarum hæc in minoribus, illa in maioribus arteriis, maior ſit. Oſtenditur etiam, ſecretos ſuccos, etſi ſummæ tenuitatis ſint, tamen poſſe deinde ipſo ſanguine venoſo craſſiores fieri; quomodo ſanguinis, vena emiſſus, cogatur; & quare animal, cui vel ademptus ſplen ſit, vel a nativitate deſit, tamen vivere queat. Poſtremo querelæ quædam ac vindiciæ lienis leguntur. A liene ad iecur tranſitum facimus, in quo quomodo naturalis bilis ſecretio fiat, peculiari Diſſertatione Auctor expoſuit; eaque tria lemmata continet, de vaſculoſo iecoris contextu, ac de ſecretione in univerſum, & quinque propoſitiones, in quarum tertia & quarta contra illos diſputatur, qui vel propter figuram & magnitudinem pororum determinatam, vel per fermentum in viſcere hærens, ut omnium ſuccorum, ita bilis quoque in iecore fieri opinati ſunt. Quintam vero totam hic adponamus: In ſanguine venæ portæ fluida adſunt indigena, quæ, dum is in venæ cavæ radices tendens iecoris ſubſtantiam permeat, aperta tubulorum ſecretoriorum extremis portæ ramuſculis continuorum oſtiola, eaque ſat patula, continuis pariter cavæ radicibus, minus tamen ampla, ut tranſire poſſint, indiſcriminatim ſubeunt; quo deinceps a reliquarum & eſſentialium cruoris partium ſocietate, motuque inteſtino liberata, vaſorumque ſanguineorum oſcitatione vitali haud amplius concuſſa, biliarium vero actioni expoſita, humorem a ſanguine diſtinctum conſtituant, determinatum, bilis nomine cognitum. Quæ ultimum locum occupat, de hominis generatione, Exercitatio, undecim Periochas habet; quæ etſi ſingula huius doctrinæ capita complectuntur, tamen, quia eorum plura Cl. *Fizes* non tam plene expoſuit, quam tribus fere tantummodo verbis tetigit, de præcipuis tantum dicamus. Itaque, ſi Auctori credimus, fetus humanus in ovo, ex quo omnia vivipara oriuntur, efformatus, germinisque illius ortus ab Eva eſt; partes vero corporis noſtri ſimul efformantur, vel delineantur; fecundat ova ſubtilisſima ſeminis aura, quæ, ne diffletur, craſſiori parti quaſi inviſcata eſt, atque, ut Bohnius dixit, in ſanguinem exhalat; eius particulæ ſanguinem leviter inſpiſſant,

ac

ac textum fibrarum uteri & mammarum emolliunt; in placentam ab utero non lac ſolum, ſed & ſanguis tranſit, quod peculiari aliqua obſervatione probatur, contra a fetu in uterum ſanguis non refluit. Tum plures ad doctrinam de menſtruis pertinentes quæſtiones agitantur, diciturque partus per umbilicum æque ac per os nutriri, amniique liquorem peculiari aliqua ratione haurire, aërem vero non ducere. Sanguis autem in circulum fertur in partu, eo modo, quem ſine cauſa *Meryus* reiecit, atque in pulmonibus aërem inſpiratum admittit, qui ſanguini fluxilitatem conciliat; mira vero inter matrem & partum conſenſio eſt, eaque a fluidorum matris diatheſi partim, partim imaginatione pendet; editur & octavo menſe vitalis partus, qui protenus & reſpirat, & inſignem, ratione ſanguinis circuitus, mutationem patitur. Reliqua, & vulgaria, & nimis fere breviter expoſita ſunt.

DIATRIBA DE AVIBVS ESU LICITIS, QVAM ex codice ſacro, talmudico Chullin, & naturae ſcrutinio, in ulteriorem locorum Lev. XI. & Deut. XIV. illuſtrationem, & apologiam ſui ſchediaſmatis de ארבה חרגול סלעם חגב *adornavit, & ſuis impenſis edidit ANDREAS NORRELIVS, Reg. Acad. Upſal. Bibliothecarius.*

Upſaliæ, 1746. pl. 19. in 4.

Erudit. Auctor diſſertationem de lege cibaria ad Lev. XI. 20 23. Amſtelæd. a. 1720. 8. typis deſcribendam curaverat, quæ quoniam ſe ob argumenti novitatem, egregiam linguarum orientalium notitiam, exactum iudicium, & dictionis concinnitatem ac perſpicuitatem, multum probebat, eandem dignam indicavit eruditiſſ. *Haſaeus*, quæ bibl. bremenſ. cl. III. faſc. I. p. 36 57. notulis quibusdam adſperſis, insereretur. Sed vero, quoniam a communi interpretum ſententia prorſus diſcedebat, non defuerunt, qui ipſius commentationem examini ſubmitterent, & quid in illa deſiderarent, decla-

declararent. Præ aliis hoc egerunt *Gerh. Outhovius*, & *Io. Georgius Meintelius*, quorum obiectiones ut expediret, argumentum de novo excutiendum ſumſit, & ſingula illius momenta intentiori cura expendit. Fecit hoc in præſenti elegantiſſima commentatione, quam inſcripſit Sereniſſimo ſolii Suecici deſignato tum Succeſſori, *Adolpho Friderico*, eiusdemque Coniugi regiæ, *Ludovicae Udalricae*, cuius utriusque ſingularem in urbem & academiam Upſalienſem gratiam & beneficentiam, cum illam ſua præſentia dignarentur, multis iisdemque magnificis prædicat verbis. Abſolvitur liber confirmatione & illuſtratione illorum, quæ in dicto ſchediaſmate protulerat, parte quadam codicis Chullin, latina veſte & notis donata, itemque diſcusſione dubiorum ab Outhovio & Meintelio motorum. Sed in ipſam rem ingredimur, & quæ digna notatu viſa ſunt, exhibebimus. Vox שָׁרַץ, unde שֶׁרֶץ, ſignificat *copioſiſſime parturire, prolem copioſam edere*, unde שֹׁרֵץ accipitur de avibus foecundis, Deut. XIV. 19. (non 29), de piſcibus inſignem in modum ſe multiplicantibus, Lev. XI. 10. Quo ſenſu etiam vult ſumi *ῥῆσιν* הַשֹּׁרֵץ הַשֹּׁרֵץ Lev. XI. 41. 43. deſignari ſc. illa, animalia foecunda, multos catulos, vel multa ſua gignentia. In loco præſenti nota characteriſtica avium memoratarum non eſt volatus, qui ipſis cum aliis eſt communis, ſed foecunditas, & multorum ſuorum parturitio. הַהֹלֵךְ
עַל אַרְבַּע non accipi poteſt de *quatuor pedibus*, cum tales Pag. 1·10.
aves, niſi monſtroſæ ſint, in tota natura non dentur, ſed *pedibus in quatuor digitos natura diviſis*, uti etiam explicant Miſchnici in cod. Chullin c. III. §. 6. fol. 59. edit. Amſtelæd. & in 10·12.
Gemara p. 65. Circa verba לא כרעים ממעל לרגליו notat, loco particula לא *non*, uti in keri habetur, legendum eſſe לו, qua occaſione mentem ſuam de lectionum iſtarum varietate explicat, incuriæ librariorum & ſuperſtitioni Iudæorum ſuos illam debere natales. Verba igitur ita reddit: *aves multiparae, quadrifidis gradientes pedibus, queis non ſunt ungues grandiuſculi.* כרעים non explicat per *crura*, ſed *pedem*, qui 12·19.
in quatuor digitos, unguibus præmunitos, ſe exporrigit: quem ſenſum, etiam hic obtinere debere, inde probat, quoniam

Digitized by Google

niam addatur ממעל לרגליו, quæ verba non referenda ad partes ſupra pedes ſitas, ſed imas, talos nimirum, qui digitis
Pag. 19-21. omnino ſint ſuperiores. Verbum נתר, ex uſu apud Arabes & Aethiopes, gaudet ſignificatu *diſſolvendi, diſcerpendi, diſpergendi*, quale quid proprium eſt avibus, quæ corpora domeſticarum avium in minutisſimas particulas diſcerpunt & dila-
21-23. niant. Inde, quid per כתף & ירך in corpore animali ſit intelligendum, definit, quædam ad illuſtrationem Exod. XXVIII. 4. in medium adducit, item quid per שוק & כרכים, & ubi 1 Sam. IX. 24. nominatur שוק והעליה. Per שוק nonnulli indigitari exiſtimant obeſum poſticæ partis agni femur, & per עליה caudam illud prominentem, cum caudæ ovium in Oriente admodum fuerint pingues & ponderoſæ, propterea que ploſtello, ne humi lacerarentur, imponi debuerint, *Golius*, lexic. p. 145. *Bochartus*, hieroz. L. II. c. 45. p. 494. Hinc locos Exod. XXIX. 22. Lev. VIII. 25. illuſtrari poſſe, recte iudicat. Num vero id ipſum 1. Sam. IX. 24. adcommodari poſſit, ſubdubitat, & eum in finem diverſas interpretationes & magiſtrorum explicationes confert, & quid per
25-29. שוק & ירך Iud. XV. 8. ſit intelligendum, diſquirit. Ex his efficit, vocem שוק ſignificare *crus*; ubi vero 1 Sam. IX. 24. dicitur שוק, & additur ועליה, per prius quidem crus intelligendum eſſe cenſet, per id vero quod additur עליה, femur & armum, ut ſic crus ſumatur ſimul cum partibus ſuperioribus, illud proxime excipientibus, quod ipſum etiam iudicandum ſit de שוק הימין, qui ſacerdoti cedebat Lev. VII. 32.
29-31. 33. Vocem רגל & in duali רגלים digitos, vel pedem in quatuor digitos natura fiſſum ac diviſum notare, ex Lev. XI.
31-33. 20. 23. 42. oſtendit. קרסול plantam pedis notare evincit. Vocem כרעים ſuo ſignificatu involvere (1) notionem ungulæ in animalibus quadrupedibus puris, (2) digitorum, ungue acuto præmunitorum, in impuris, feris pariter ac cicuris, ut & in volucribus rapacibus, iudicat, quarum priorem Amos. III. 12, locum habere, arbitratur. Sed videtur cel. Auctor plus ex hoc loco concluſiſſe, niſi ſupponat integrum animal a leone hauſtum fuiſſe, ungulis tantum prominentibus, & uti aures

ſunt

Digitized by Google

ſunt extremæ in capite partes, ita per כרעים ungulas tan-
quam extremas totius corporis partes intelligendas eſſe. His Pag. 33-35.
præmisſis, quænam aves ſpeciatim indigitentur, diſquiſitionem
inſtituit. Qui per *Arbeh, Solam, Chargol, & Chagab*, locuſta-
rum ſpecies innui volunt, illos in incerto fluctuare cenſet, cum
differentiam indicare neſciant. Speciatim contra *Outhovium*
demonſtrat, locuſtas plane non indicari, quoniam de illis di-
ci non poſſit, quatuor incedere pedibus, quæ tamen, quod
Ariſtoteles iamdum docuit, & *Io. Leonhardus Friſch* confir-
mavit, ſint ſenipedes. Digreditur hinc ad locuſtas, quibus 35-42.
Ioannes vitam ſuam in deſerto ſuſtentaſſe dicitur. Per ἀκρί-
δες *Iſidorus Peluſiota* iamdum intellexit ἀκρέμονας βοτανῶν,
ἢ φυτῶν, *ſummitates herbarum & fruticum*, quam ipſam ſenten-
tiam confirmavit *Enemannus*, quondam academiæ Upſalienſis
Profeſſor, qui hæc ipſa loca inviſit, & in itinerario ſuo manu
adhuc exarato dedit. Locuſtis, quarum ſpecies aliqua Iſraeli-
tis ad comedendum licita erat, Ioannem famem non exemiſſe,
inde vel maxime probat, quoniam illæ tempore hiemali &
autumnali in ſuis latibulis lethali ſomno oppreſſæ torpeant, ut
ſic ipſe per magnum anni tempus ieiunium agere debuerit.
Diodorum Siculum L. III. c. XXIX. ad quem pro locuſtis pro-
vocaverat *Bochartus*, minus favere huic ſententiæ, ex integro
contextu oſtendit, cum Aethiopes, illis victitantes, deſcribat
tamquam homines brevis vitæ, quique variis, itemque tetris
morbis, fuerint obnoxii. Sed vellemus, Cl. Auctorem ad
examen revocaſſe teſtimonia, quæ ex priſcis ſcriptoribus excita-
vit *Haſaeus*, ex quibus conſtat, in deliciis habitum fuiſſe certum
locuſtarum genus, ut illas non adeo inſalubres fuiſſe oportuerit. 42-53.
Hinc quibusdam, poſtulatorum cauſſa, præmiſſis, ſe convertit
ad explicationem Levitici XI. atque v. 20. ita interpretatur:
*quaelibet aves foecundae, quadrifidis gradientes pedibus, vobis
abominatio ſunto.* 21. *Has tamen ex quibuslibet quadrifidis pe-
dibus gradientibus avibus editote, quibus infra pedes non ſunt unci
digiti, quibus in terra diſcerpant.* 22. *Ex huiusmodi avibus,
editote* columbam *& eius ſpeciem,* anſerem *& eius ſpeciem,*
gallum *& eius ſpeciem, &* paſſerem *eiusque ſpeciem.* 23.

Digitized by Google

Ceterae omnes foecundae aves, queis quadrifidi pedes, vobis abomi-
Pag. 53-55. ***nabiles ſunto.*** Per ארבה igitur intelligit ***columbam***, avium ge-
nus foecundum, pavidum, pedibusque in quatuor digitos fiſ-
ſis inſtructum, quod probat ex Iob. 39. 20. ubi ארבה op-
ponitur equo feroci, quod cum de locuſta accipi non poſſit,
quadret autem in columbam, hanc indicari opinatur. Sed
& in hoc ratiocinio aliqui iſtud deſiderabunt, ipſum characte-
rem hunc nimium reſtringere, ac columbis tantum adplicare.
55-57. סלעם ipſi eſt *anſer*, quoniam in gemara, codic. chullin, c. III,
fol. 65. & a *Maimonide* de cibis interdict. c. I. idem ſtatuatur
cum יוחנא ירושלמית, per hanc autem non locuſtam, ſed
avem, quæ Hieroſolymis alta & ſaginata fuerit, anſerem ſc. in-
telligendam eſſe decernit. Fuit autem anſer eſu licitus Iudæis,
57-60. ac illi conveniunt characteres Lev. XI. indicati. חרגול non
eſſe locuſtam, adverſus *Bochartum* diſputat, ſed *gallum*, quod
ex convenientia cum talmudico תרנגול, qua voce *gallus* de-
ſignatur, & quoniam alias nullum veſtigium liciti eſus illius
in lege exſtet, adparere ſtatuit. Adducit præterea verba cod.
Schabb. c. VI. §. 10. יוצאין בביצת החרגול *die ſabbathi*
60-63. *egrediuntur cum ovo chargol*, ubi ovum locuſtæ intelligi non
poſſe demonſtrat. חגב habetur pluribus, potiſſimum Bochar-
to, pro locuſtæ genere, ſed non certo nititur fundamento.
Numer. XIII, 33. exploratores dicuntur Enakæis viſi fuiſſe
inſtar חגבים, quocum confert Auct. locum Ieſ. XL. 22. In prio-
ri loco, cauſſatur, ſimilitudo peti non poteſt a locuſtis, quoniam
inter illas dantur ſatis grandes, in quarum locum ſi ſubſtituan-
tur paſſeres, ſimilitudinem concinnam eſſe putat. In poſte-
riori loco pariter ſimilitudinis rationem non ſatis aptam eſſe
63-65. ſibi perſuadet, cum locuſtæ inæqualis ſint magnitudinis. Sed
II. Chron. VII. 13. nominatur חגב, cui tribuitur comedere
fructus terræ, quod de locuſtis iure poteſt adfirmari. Magi-
ſtris חגב notare paſſerem ex פרק שירה probat, ubi צפרת
כרמים מין חגב *avis vinearum ſpecies* τοῦ חגב eſſe dicitur,
ſed צפור generale quidem, Kimchio iudice, eſt nomen avis,
ſpeciale autem *paſſeris*. Hiſce iam recenſitis avibus aptat
65-67. characteres a Moſe deſignatos. Sunt (1) foecundi, (2) in-
cedunt

cedunt pedibus quadrifidis. (3) unguibus recurvis, raptui Pag. 67-68.
aptis, deſtituuntur. His demonſtratis, obſervat, apud Ebræos & Arabes dari multa *ὁμώνυμα, πολύσημα*, imo *ἐναντιόσημα*, quod prolatis exemplis probat: quorum tamen quædam ita ſunt comparata, ut generali vocis ſignificatui commode ſubiici queant, vel voces ſunt prægnantes, non unum ſenſum, ſibi tamen non contrarium, inferentes: addit, ipſum hoc etiam apud latinos & græcos obtinere. Prouti vero harum ſenſus in linguis Europæis ex adfinibus determinari poteſt: ita etiam vocum ebræarum, quarum ſignificatas non æque eſt perſpectus, ex linguis adfinibus, chaldæa, ſyra, arabica, & æthiopica, dari poteſt. Hoc adcommodat ad præſens argu- 68-75.
mentum, & illos, qui locuſtas intelligi volunt, ſpeciatim Outhovium, arguit, quod quatuor ſic dictas ſpecies confuſe admodum ſub generali nomine locuſtarum exhibeant, nec diſtinctam illarum notitiam tradere posſint. Siſtit dehinc c. III. 75-77.
cod. talmudici Chullin, qui locus totus agit de avibus, cuius textum ebraicum, cum latina verſione & ſubiectis adnotationibus, repræſentat. Notas characteriſticas avium mundarum & immundarum ſola traditione conſtare negat, cum illæ in lege ſatis ſint expreſſæ. Imo, pergit, niſi locus Lev. XI. de avibus dictis explicetur, non conſtare, num illæ eſui ſint licitæ.
Opinionem Iudæorum, aves immundas a mundis, internis, 77-80.
non externis ſignis, internoſci, reiicit. R. *Elieſer*, nominando חגבים, non locuſtas, ſed aves in animo habuit. R. *Ioſe* cenſuit, omnem avem, quæ nomine חגב veniat, eſſe mundam. Cum in cod. Chullin, Arbeh ſub ſe complecti dicatur *avem vinearum*, porro R. *Iſacides* vocem ביפול per גוזל *columbarum* 80-85.
pullum explicet, aliquid de avibus in loco Levitici eum vidiſſe, colligere licet.

Subiicit examen diſſertat. epiſtolaris a *Io. Georgio Meintzeſio*, V. D. M. ſcriptæ & Suobaci a. 1744. 8. editæ, *Chriſtophoroque Birckmanno*, V. D. M. Norimbergenſi, tamquam ſuaſori miſſæ, in qua Arbeh, Solam, Chargol & Chagab, quos pro beſtiolis venditat, de ſtatu ſuo temere depulſas, in integrum reſtituiſſe præ ſe fert. Omiſſis durioribus quibus-

 dam,

Digitized by Google

dam, tantum momenta cauſſæ breviter dabimus. Removet ſtatim ab initio novitatem explicationis Cl. *Norrelius*, cum ſit innixa integris Moſis tabulis; contra id ſe egiſſe adfirmat, ut verus ſenſus dudum ſepultus in apricum fuerit productus. Notat porro, Meintelium confundere שרץ העוף & שרץ השרץ
Pag. 98 על הארץ. Negat etiam, ellipſin habere locum in locutione
100. ההולך על ארבע, ut ſubintelligi debeat רגלים, notione pedum, cum legislator voce ארבע ſatis dilucide expreſſerit avem, non quadrupedem, qualem omnes ignorent, ſed *bipedem, quatuor* gradientem, h. e. ſuper quatuor אצבעות 2 Sam. XX. 20. *digitos*, quos natura infra pedem locavit, incedentem.
100-105. Verbum רעש involvere *motum prae timore* docet, & iſtum
108-109. ſignificatum Iob. XXXIX. obtinere demonſtrat. De verbi
109-111. כתל ſignificatione diſſerit. Vindicat denique ſe a crimine plagii, ac ſi *Olao Rudbeckio* hanc ſuam ſententiam debeat, eandemque ipſi ſurripuerit, demonſtrans, quæ Rudbeckius ſubminiſtraverit, generalia tantum ſpectare, ſpecialiorem deductionem & ſingulorum explanationem propria cura ac ſagacitate ſe inſtituiſſe. Sub finem quædam adfert de genuina no-
111-115. tione vocis מטטרון, quam ex latino *mediator* fluxiſſe arbitratur, & quid ſibi de illa cum Rudbeckio interceſſerit, edo-
115-119. cet. Qui hanc commentationem curate leget, egregiam doctrinam, acre iudicium, circumſpectam ſagacitatem, & laudabilem contentionem, in res obſcuras & a memoria noſtra remotas penetrandi, cel. Auctori non negabit. Si cui vero argumenta quædam videbuntur non illud robur habere, quod illis ineſſe iudicatur, ille ſecum reputet, circa iſtiusmodi rem verſatum eſſe Norrelium, quæ propter neceſſariorum adminiculorum defectum ad liquidum perduci non poteſt.

RECENTIORUM POETARUM GERMANORUM Carmina latina ſelectiora, ex recenſione M. IO. TOBIAE ROENICKII.

Helmſtadii, ex mandato editoris apud Chriſt. Frid. Weygand. 1749. 1 Alph. 10 pl. 8. mai.

Deni-

Digitized by Google

Denique prodire coepit, hucuſque, invito curioſiſſimo Editore, morata collectio, quæ luculenter ſatis demonſtrat, Italicis, Gallicis, Anglicis, non eſſe inferiores Germanorum poetas. In his excellentem ipſe locum occupat, qui deliciarum ſuarum amore captus generoſo, latere noluit eruditos rivales, quin potius ope ſua protruſit atque illuſtravit. Quantum ipſius humeri valeant, & ſpecimina quædam inſerta docent, & limatiſſima præfatio. Sane, ſi non temporum modo ſed artium quoque lux eſt hiſtoria: maximum Auctori meritum præbent, quæ de antiquiſſima poeſeos dignitate præfixit analecta. Hic, antiquiſſimum eſſe ſtudium poeſis, ante omnia oſtenditur, quod & liberam eloquentiam ætate anteire, ab ipſo eloquentiæ quodam profeſſore, in bibliotheca Hamburgenſi mixta, & alibi ab aliis, evictum legere meminimus. Roborat eamdem antiquitatem, ſtudium apud omnes fere, atque inter illas maxime barbaras nationes, tam generale, pondusque ſimul, ſuavitatem atque internam quandam animos alliciendi facultatem commonſtrat. Adhæc indidem, ut Horatius canit, honor & nomen divinis vatibus atque carminibus venit, quoniam laudes divinas, doctrinam ſacram, hiſtoriam omnem, prudentiam iuris, legesque, doctrinam moralem, amores atque alia, facile quævis poetica facultas complectebatur. Unde & iam de antiquis, Lactantius, Ariſtoteles, Strabo, Maximus Tyrius atque alii, primas poeſi partes dederunt: eiusdemque ſtudioſos ſingulari cultu proſecuti ſunt veteres; id quod hic per gentes eundo, breviter pro inſtituto confirmatur, ſimulque optatur, ut Cl. *Io. Gottfr. Hauptmanni* faſciculi carm. Lat. vet. optimæ notæ, in præfatione promiſſæ, ac delineatæ ab eodem inſtitutiones poeticæ, quippe qui ſimul pollicitus fuerit, inſignem iſtam hiſtoriæ literariæ lacunam ſupplere, quam primum prodeant. Nos elucubratum opus eſſe novimus, &, ab aliquo tempore, bibliopolæ impenſas exſpectare, ſed idem adhuc experiri, quod ipſi ven. *Roenickio*, in iſthoc laude digniſſimo inſtituto ſuo antea contigit. Dum igitur præſertim adhuc ignoramus, quo tempore illas inſtitutiones viſuri ſimus: eo interim lubentius compendium iſthoc excipimus. Primum ibi

ibi locum obtinent Ebræi, quorum de poeſi, priſca illa, plurima, in ipſis ſanctiſſimis litteris, ſpecimina, internam vero ad rationem quod attinet, poſt tot eruditorum certamina, non adeo multum exploratum habemus. Proximi ab iisdem ponuntur Aegyptii, Perſæ, Chaldæi, Babylonii, Cretenſes, Indi, Scythæ, Celtæ, Iberi, Luſitani, Gothi & Longobardi. De primis Zoroaſter vicies centum millia verſuum condidiſſe, iisque ſapientiæ inſtituta diſcipulis poſterisque commendaſſe, dicitur. Aliorum reges, Mithridatis exemplo, poetas ſecum in bella duxerunt, atque in primis honorarunt, ne res a ſe geſtæ præconibus deſtituerentur. Celtarum poeſis, ſi vel Germaniam Taciti evolvamus, abunde commendatur. Illorum plerique populi cantores ac vates in proelia ſecum ſumſerunt, qui ad fortitudinem incenderent animos, fortiumque virorum laudes celebrarent. Longum, fuiſſet de Druidis, tamquam deorum internuntiis, multa repetere, præſertim, ex quo tot iam commentationibus ac libris de iisdem ſcripſerunt eruditi, ex quibus vel Frickios appellaſſe ſufficiet. Eodem pertinent Scandinaviæ Scaldi ac Bragures, a quibus vel regum ac principum filii modorum doctrinam cupidiſſime imbibebant, immo vero, qui regum ipſi proximi erant, & quorum unus vel alter ad ſolium etiam carminibus iter munivit. Hic quidem Edda, Saxo Grammaticus, Snorro Sturlæſonius, aliique conſuli merentur. Quid de Græcis dicemus ac Romanis, qui artis poeticæ laude præ ceteris omnibus prærogativam quæſiverunt? Impleverunt illi præſertim, & orbem carminibus ſuis, & hiſtoricos de ipſis ipſorumque arte narrandi ſtudio, & omnem poſteritatem imitationis ardore. Inter imitatores, poſtquam ſemel montes tranſcenderunt literæ renatæ, & proximis maxime ſæculis, eminere videntur Germani. Iam deiectos quidem eſſe ſpiritus ac tepidiores nonnulli exiſtimant: ſed certe adhuc nondum fuiſſe, Roenickii noſtri diligentia demonſtrat. Ipſe quidem non poteſt non de ſcholis haud paucis queri, præpoſterum maxime philoſophiæ ſtudium accuſans, ac Latium breviter quidem ſed ſtrenue vindicans. Interim tamen dum luctatur adhuc virtus, licet prematur, forſitan in poſte-

poſterum quoque ſuperare poſſe, ac luce ſua depellere barbariem obſcuram, ex eiusdem indicio videtur. Sed ad poematum latinorum collectiones cum ipſo accedimus. Habemus veterum antiquiores Marſchalci & Vorſtii, non admodum ſelectas, ſed primo ſtatim obtutui occurrentem particulam excerpentes; neque minus recentiores Freyeri, & quam ſupra nominare meminimus, a Freyeriana & modo & ambitu recedentem, ut adeo temere nonnulli confundant. Sed diverſus eorum eſt niſus, qui recentiora variarum gentium collegerunt. Inveniunt hic Luſitani, atque alii, de quo ſe iactent. Germano rum vero poetarum delicias, Ianus Gruterus publici fecit iuris Ex hoc tempore plurimas quidem ſingulares carminum editiones, collectiones autem variorum poetarum, & ſelectiſſimorum modo carminum, novimus nullas. Quot igitur tanto temporis ſpatio cum blattis ac tineis colluctata ſunt elegantiſſima poemata, quot rudibus ſalſamentariorum manibus diſcerpta! Non adeo mirum eſt, iſtud ſi fatum exoſi, luculentioribus ac fructuoſioribus operis plures ſe addicere laborarunt. His omnibus noſter occurrit, ſed dignis; mediocrium enim, atque invita Minerva natorum poetarum, non eſt iactura. Quod cum propoſitum, inde a novem annis, foveret, de ſexcentis, quæ initio ad manus erant, carminibus, nonniſi quinque ſelegit, quæ mirifice ac præ ceteris omnibus placerent. Sed incrementa mox coepit illa paucitas, litteratiſſimis viris certatim cumulantibus opes. Laudatur eo nomine præſertim Paullus Gottlib. Werlhovius, qui collectionem ſuppeditavit a Iuſto Chriſtophoro Boehmero privatim factam, eamdemque locupletiſſimam, tribus quippe tomis in folio conſtantem. Illi primario, aliorum acceſſere plurima dona, de quibus, & ſuo editoris adparatu, natales ſuos repetit collectio iſta, & externo fulgens & interno ſplendore. Ipſe vir modeſtiſſimus præmonet: „credas nolim, benevole lector, o„mnia eadem ac ſingula eſſe ſelectiſſima, & cetera omnia, quæ „mihi adhuc ſuperſunt, hisce omnino cedere oportuiſſe præ„ſtantia. Innumera ſuperſunt, quæ vel genio, vel numero „poetico, vel rei novitate ac dignitate, horum quamplurima

Digitized by Google

„antecellunt. Ea enim eſt natura collectionum, quas multi „ingredi volunt ac debent, ut raro alter alteri, nedum omnes „ac ſinguli ſingulis, eadem in re, æquari poſſint. Cavimus „tamen ſedulo, ne quem reciperemus, niſi qui ad genium & „normam veterum probatiſſimorum poetarum proxime acce- „deret.“ Quæ quidem ingenua confeſſio tantum abeſt, ut quid operi deroget, ut ſequentium potius voluminum inſi- gnem pariter excitet ſitim. Excitabitur eadem; non Germa- nis modo, ſed ſimul exteris, Italis potisſimum dum in primis civis ſui Hortenſii Mauri Abbatis, qui vero plu- rimum ætatis in Germania conſumſit, & vitæ compendium in hoc ſtatim primo tomo invenient, & poemata omnia. In diſponendis autem carminibus noſter, præter illum e præci- puis generibus ordinem, continuam ſecutus eſt annorum ſe- riem, rebus & auctoribus convenientiſſimam. In epigram- matibus vero digerendis, ob defectum anni plerorumque, o- mnino nullum ordinem obſervavit, niſi qui forte caſu ipſi fuit oblatus. Ita quidem hic legimus heroica carmina XXIX. ele- giaca XLVIII. lyrica XVI. atque epigrammata permulta. He- roicorum auctores ſunt: Gottfr. Guil. Leibnitius, Hortenſius Maurus, Ioach. Abelius, Henr. Muhlius, Io. Werlhofius, Io. Ioach. Meierus, Io. Conr. Steph. Hoellingius, Brandanus, Frid. Mylius, Conr. Gerh. Lutemann, Er. Chriſtoph Neu- bour, Henr. Chriſt. Crüger, Io. Matth. Geſnerus, Io. Gottl. Immermann, Frid. Weichmannus, Io. Tob. Roenickius, Alex. Gottlib. Baumgarten, Io. Gottfr. Hauptmann, Io. Sam. Müllerus, & Heinr. Io. Carſtens. Elegiaca carmina ſcri- pſere: Heinr. Muhlius, Io. Ge. Eccardus, Seb. Kortholtus, Io. Chriſtoph Krüſicke, Hortenſius Maurus, Heinr. Chriſt. Crüger, Io. Caſpar Carſtedius, Io. Mich. Gaſſer, Conr. Gerh. Lutemann, Io. Frid. Noltenius, Rud. Aug. Noltenius, Gottfr. Chriſt. Roth, Frid. Weichmann, Sam. Walther, Frid. Bernh. Meierus, Io. Gottfr. Hauptmann, Conr. Ikenius, Gottfr. Schütze, Io. Aug. Hartzbach, Io. Tob. Roenick, & Mich. Richey. Inter lyricos poetas recens acceſſerunt: Ilge- nius, A. C. Augsburg, Chriſt. Gottl. Schwartzius, Ianus

Brouk-

Broukhuſius, Mat. Vaiſſ. la Croze, Adolph. Theob. Overbeck, B. G. Clauswitz, Nathan. Baumgarten, Elias Caſp. Reichardus, & Car. Sam. Walther. Sic & epigrammatum, præter nominatos, varii ſunt Auctores: Ulr. Obrechtus, Heinr. Meibomius, Ge. Phil. Harsdoerferus, Gottfr. Thomaſius, I. R. Seubert, Frid. Ben. Carpzovius, Caſp. Coerberus, Mich. Kirſtenius, Io. Pet. Titius, Th. Ittigius, Paul. Gottlib. Werlhof, Io. Rempen, Ioach. Negelein, atque alii. Iam vero potius, ut idoneum eſſe arbitrum Roenickium oſtendamus, ipſius de ſpeciminibus aliquid afferamus, & quidem illius ex heroico carmine, quod initio ſcholaſtici muneris dedicatur, ſtatim initium.

Fata Deumque ducem, mandataque munera patrum,
Officiumque meum cano. Qui regis omnia nutu,
O Deus alme, ſacro, tua quae divina voluntas
Eventura homini decrevit, quique paratum
Me, quocunque trahar, tandem his ſuccedere tectis
Iuſſiſti, iuvenumque gregem mihi tradis agendum,
Affer opem, placidusque meis his adnue coeptis,
Quaeque canam rata ſint. Vos, o pietate verendi
Patres conſcripti, quibus artes cura tuendi
Inſidet ingenuas, iuvenumque fovere ſalutem,
Quique magiſterii mihi decreviſtis honores
Firmandos hodie, iam munera veſtra canenti
Adſpirate mihi, linguisque animisque favete.
Stabat arenoſis urbs antiquiſſima campis,
Heptapolitanae decus inter Marchidos urbes,
Ad Mildam, ſub ſceptro aquilae, lupuloque frequenti
Cerviſiaque ſua totum celebrata per orbem.
Claudius hanc Druſus quondam, legione locata
Praeſidii, coluiſſe Nero, primusque vocaſſe
Nomine Gardlegiam fertur. Quae pacis alumna,
Fidaque Muſarum nutrix, iam ſaecula multa
Foverat arte viros celebres: ſed funere cari
Languida Bergmanni, poſtremum vulnus alebat
Pectore, nec placidam dabat anxia cura quietem.

Moeſtam ſtare ſcholam, viduos doctoris alumnos.
Tam lugere diu mortem, ſuetoque carere
Praeceptore, ſalus urbis multusque negabat
Prolis amor. Tandem diuturna ſilentia mater
Rupit, & his curas emovit pectore dictis:
Quem demum finem dabis, alma Pronoea, morarum?
Quando novum certa reddes mihi ſorte magiſtrum?
Qui, velut expertus moderando navita remo,
Artibus infixas mentes ſtudiisque iuventae
Arte fideque meae regat, & feliciter illum
Provehat ad portum, largas ubi prodiga veri
Expoſuit, cupidisque ultro ſapientia merces
Offert, ac meritis tribuit ſua praemia virtus.

LIBRORUM AB ANNO I. USQUE AD ANNUM L. Sec. XVI. typis exſcriptorum, ex libraria quadam ſuppellectile, Norimbergae privatis ſumptibus in communem uſum collecta & adſervata, Millenarius II. ſpeciminis loco, ad ſupplendos Annalium Typographicorum labores, editus a CAROLO CHRISTIANO HIRSCHIO, Diac. Eccleſiae Norimberg. Ad d. Laurent.

Norimbergæ, proſtat apud Felſeckeros, prelo Ioannis Ioſephi Fleiſchmanni. 1748. pl. 13. in 4.

Pergit, laudabili niſu, ven. Hirſchius, dum hic ea nobis monimenta proponit, quæ priorem ſæculi XVI. partem nobilitarunt. Ignoramus fere, cum quælibet ſint propemodum rariora, quid inde ad ſitim lectoribus excitandam enotemus. Quæſivimus codices rariores, ſed obruebamur cumulo: ſpectavimus argumentum ſacrum tractantes; quilibet autem videbit, dummodo ſpatium temporis perpendat, ultra dimidium illos opus compiere. Recipimus nos itaque ad elegantiores litteras, ibique Romana poeſis nominatim occurrit, quanto tunc ardore coli coepta, tanta nunc propemodum remiſ-

remisſione, præter ius fasque, paſſim neglecta. Movet antiquitas, atque auctoritatem præ ſe fert: moveat & ille conatus noſter, ut iterum vicinis lauream præripere conemur. Suffi-cient hæc eadem ſola, ad inſtitutum noſtrum defendendum. Ita vero hic habentur, præter alia plura, nam ſelecta modo damus: Io. Franc. Pici, Mirandulani Principis, Concordiæque Comitis, hymni heroici 3. ad SS. Trinitatem, ad Chriſtum, & ad virginem Mariam, una cum commentariis luculentiſſimis, ad Io. Thomam filium, additis ſparſim ab ipſo auctore pauculis, quæ in priori impreſſione deerant. Eiusdem Sylva, item ſtauroſtichon, hoc eſt carmen de myſteriis crucis in Germaniam delapſis. Præfatus eſt editor B. Rhenanus, Argent. 1511. Plauti, poetæ lepidiſſimi nobiliſſimique, Epidicus, amorem & ignaviam fugiendam, verba inſuper ſubdola declinanda, accuratiſſime ac doctiſſime indicans. Exſtat in fronte Viti Werleri Ode, in qua libellus lectorem alloquitur. Impreſſa Lipſiæ, 1513. fol. Conr. Celtis Protucii, primi in Germania poetæ coronati, libri odarum IV. cum epodo & ſeculari carmine, diligenter & accurate impreſſi, & hoc primum typo, in ſtudioſorum emolumentum, editi a Ioach. Vadiano, Argent. 1513. 4. Io. Franciſci, Mirandulæ domini, de expellendis venere & cupidine carmen heroicum. Eiusd. hymnus de divo Laurentio. Bapt. Mantuani elegia in amorem. Eiusd. in Venerem heroicum. In Cupidinem nocivum, carmen Luciani, (dedic. Io. Fr. Picus Cuonr. Peutingero, Icto, viro docto & amico), Argentinæ 1513. Ulr. de Hutten, Equitis, ad Cæſ. Maxim. ut bellum in Venetos coeptum proſequatur exhortatorium. Eiusd. ad Cæſ. Maximil. epigramm. L. I. De piſcatura Venetorum, heroicum eiusd. Eiusd. Marcus, heroicum. De non degeneri Germaniæ ſtatu, heroicum eiusd. Eod. auctore ad Maximil. Cæſ. epiſtolæ Italicæ; Auctore Helio Eob. Heſſo Maximiliani ad Italiam reſponſoria. Item varia Hutteni epigrammata, & eius apud Hadrianum Card. pro Capnione interceſſio. Edidit & præfatus eſt Ioach. Vadianus, excuſ. Ioh. Miller 1519. 4. Helii Eobani Heſſi bucolicorum Idyllia XII. nuper anno demum decimo octavo a prima editione recognita, ac dimidia plus parte vel

 aucta,

aucta, vel conciſa, atque in ordinem alium redacta. His acceſſere ex recenti editione Idyllia V. Haganoæ 1528. 8. Sermo verſibus comprehenſus & habitus ab Ambroſ. Lobaſſero, magiſtro bonarum artium, cum novis magiſtris ſcholaſtici honores decernerentur, Lipſiæ 1749. 4. Neque Latina ſolum, verum etiam Germanica poemata nominantur. De poſterioribus exempli ſit loco, *Ain nützlich Büchlein, ſo Reimweiſs geſtellt, darinn alle Staend der Menſchen begriffen, ordentlich und mit Fleiſſ, aus viel alten Hiſtorien zuſammen bracht, den iungen fruchtbarlich zu leſen.* Par pari refert *Hanns Hoerburger* dedic. auctor *Henr. & Georgio von Schwangow und zum Schwanſtain*, fratribus & nobilibus dominis ſuis, Auguſtæ Vindel. 1531. 4. Adſunt pariter inſtitutiones poeticæ, quo referri debent Elucidarius poeticus, continens hiſtorias, poeticas fabulas, inſulas, regiones, urbes, fluvios, monteſque inſigniores, atque huiusmodi alia, omnibus adoleſcentibus, in poeſi verſantibus, oppido quam neceſſarius, collectore Hermanno Torrentino Col. 1536. 8. & de re metrica libri III. Iac. Micylli Argentoratenſ. cum præf. Phil. Mel. Francof. 1539. 8. Si forte hæc ſpecimina numero nimis exigua, pondere minuta videntur, quam quæ maius nos ad rei poeticæ ſtudium attrahant, cogitandum, quod de ortu ſolum litterariæ quaſi diei ſermo ſit, ubi creſcunt officia creſcentibus igniculis ac luminibus ſolis quem iam opinamur meridiani. Quod porro nonniſi privatæ cuiusdam bibliothecæ, quæ omnium minime poeſin curaſſe videtur, exhibeatur index, quodque neque nos omnes inde titulos depromſerimus, extra cenſuram eſt. Hos autem dum nominamus, optaremus ſane, ut otium ac propoſitum ven. editoris, etiam uberiora excerpta & iudicia in ſcriptis præſertim ad emendationem ſacrorum pertinentibus, adiungi permiſiſſet. Nos certe multum inde utilitatis ſperaremus; grata interim mente agnoſcentes, vel nutu nobis ac voce haud ſane contemnendos fontes fuiſſe deſignatos.

ESSAI

ESSAI SUR L'EDUCATION DE LA NOBLESSE.

i. e.

PERICULUM DE EDUCATIONE NOBILIUM.

Pariſiis apud Durandum in platea ſ. Iacobi, cum adprobatione & privilegio regis P. I. pl. 19. P. II. pl. 20. 12. mai.

Miramur ſane, cur, & neceſſitate, & utilitate laudabilis educationis toties oſtenſa, tamque graviter commendata, communis tamen cæcitas ac pernicies adeo graſſetur, ut in dies eadem in peiora ruat, tantum abeſt ut meliorem ad ſortem evehatur. Novum hic invenimus periculum, cui præ multis eminentiam lubentiſſime largimur: maiores ſucceſſus iure quodam noſtro precamur. Initio ſtatim utilitas educationis accuratæ vividius commendatur, atque ipſis parentibus nominatim iniungitur; qua occaſione Salmaſii, Ioſephi Scaligeri, Heinriei Stephani, eruditisſimæ Dacieriæ, quibus educandis, qui genuerant, operam dedere, laudantur. Videmus quidem iisdem, in contrariam partem, opponi exempla poſſe: nemo tamen temere negaverit, ſanæ mentis parentum curam, inſpectionem, providentiam, inſigne pondus habere. Neque alia eſt noſtri ſententia, qui propterea ſtatim doctoris eligendi conditionem deſignat, atque illum nutricibus, ante ſeptimum ætatis annum, adiungendum eſſe opinatur, ne ſuperſtitiones ac vani terroris imagines nimium cumulentur, una cum præiudicatis opinionibus, ridiculis narrationibus, & quadam animi indecentia. Primam pueri inſtitutionem vult ad lectionem pertinere; ac Gallicæ quidem elementis commendat Launæi docendi rationem, Pariſiis editam. Ad diſciplinam ſacram pergens, ſapientibus ac piis conſiliis naturalem vult ac revelatam ita coniungi, ut pravarum ſimul hæreſium patronis obviam eatur, atque os occludatur irriſoribus. Linguarum ſtudium, ad eruditas a patria potisſimum tranſire deſiderat. In Gallica nominat libellum grammaticum abbatis Regnierii Desmarets, tamquam ſatis bonum, ſed fuſum nimis; Buffierii, tamquam magis pueris accommodatum,

cuius

Digitized by Google

cuius optima editio ſit anni 1732; & Reſtautii, cuius quinta & accuratisſima editio prodiit 1745. Ad linguæ Latinæ ſtudium refertur poeſis, ubi poetas, propter variam utilitatem, ſedulo evolvi cupit noſter; verſiculos autem non promiſcue, atque invita Minerva conſcribi. Linguæ Græcæ præſcribit Lanceloti rationem Græca facilius addiſcendi. Sequitur geographia, dictionaria quædam exhibens, inter quæ illud Matii exactum eſt, ac brevius, *Baudrani* 1705. lingua gallica editum, correctius, vitioſius Latina, *Martinierii* emendatisſimum. Hiſtoria inter antiquisſimos oſtentat Græcorum illum *Thucydidem*, tamquam hiſtoricum fidelem ac ſincerum, cuius ad exemplum optimus quisque ſe accommodavit. Eundem, ut & Xenophontem, Titum Livium, Polybium, Salluſtium & Tacitum, tamquam fecundos grandibus characteribus, & eventibus notatu dignisſimis, qui æque ſe reddant delectabiles atque utiles, deſignat. Sed infinitis modis eminet hiſtoria ſacra, prout ipſe divinus ſpiritus conſignavit. Commendantur autem, inter ſanctisſimarum litterarum verſiones, quam *Saci* dedit Gallica, ſimulque *Calmeti dictionarium* 4 Voll. in fol. cum figg. Pariſiis 1722. & 1728. editum, tamquam perbonus commentarius. Antiquitates Iudaicæ *Ioſephi*, quarum admodum bonam interpretationem Gallicam dederit *Arnoldus d'Andilli*, commendantur, quod ibi reperiuntur magna ſpecimina eloquentiæ, præter res admodum curioſas notatuque dignas; licet non de nihilo ſit criticorum quorundam ſententia, Ioſephum, profanis gentibus placendi cupiditate, longius nonnumquam ab accuratione ac veritate diſcesſiſſe. Tacemus alia hiſtoriarum genera & monumenta, quæ potius cumulantur, quam, uſu indicato legitimo ac ſelectu. iuvenibus commoda redduntur. Sequitur ars heraldica, vel inſignium cognoſcendorum, neque minus ſcientia mathematica, ita coniunctæ, ut ſe non immerito excipiant, & ita nobili commendabiles, ut ſupra eſſe queat propemodum nihil. Hinc iure locum obtinet philoſophia, cuius argumentum atque utilitates inculcans auctor, veri ſimul philoſophi imaginem proponit, tamquam hominis motuum ſuorum domini. Commendantur in primis nobilibus,

Digitized by Google

bus, præter Socratem, Plato, Ariſtoteles, Xenophon, ad amorem philoſophiæ ingenerandum. Plato & carmina compoſuiſſe, ac militiam eſſe dicitur ſecutus: Ariſtoteles exquiſitiore habitu incedens, annulis conſpicuus, raſam ſæpe barbam habens depingitur. Xenophon ſiſtitur venationis amator, & conviviorum, apud Cyrum iuniorem gratioſus, eloquentiæ tam inſignis, ut Atticæ Muſæ titulum reportarit, plus vice ſimplici exercituum præfectus. Caput ſequens philoſophiæ manum atque inſtrumentum inſtrumentorum, Logicam tangit. Commendatur hic Wolfianæ converſio Gallica. Ubi quidem aliter ſentiunt cl. bibliothecæ criticæ (Bibliotheque Raiſonnée T. XL. p. 134.) auctores. Accuſant enim plurima cel. Wolfii opera ſiccitatis, qua iuventutis animi fatigentur ac retrahantur. Præferunt igitur eo nomine logicam *Regnaultii*, Loiolitici patris, cuius accuratior editio lucem viderit 1745. apud Wetſtenios, ſub tit. *l'Art de trouver la Verité, ou Logique en forme d'Entretiens, par le Pere* Regnault. Iidem mallent *Rationalis philoſophiae inſtitutiones, ſive de emendanda regendaque mente, a* de Soria editas Amſtel. 1741. 8. niſi liber eſſet Latina lingua conſignatus. Sequitur doctrina μεταφυσικὴ, ubi nos quidem nihil præcipue obſervandum invenimus. Indidem ad moralem properamus, ubi oratoriam potius, quam dogmaticam eſſe tractationem, opinamur nos inveniſſe. Haud pauca omittuntur, exclamationum illa vacua loca merito expletura: condemnantur alia, tam atro carbone non adeo digna. Forſitan eodem pertinent tragoediæ & comoediæ, in quibus omnia concurrere ad easdem pernicioſas efficiendas exiſtimatur. Laudatur autem contra de officiis Ciceronis liber, ubi principia virtutis auſteræ pandantur, atque omnia proponantur, quæ quidem ſibi ſoli relicta ratio perſpicere queat. Finem denique imponit doctrina naturalis, ubi dum Regnaultii *Entretiens phyſiques* noſter commendat, nunc, verſa vice, hunc librum, tamquam imperfectum ac ſubinde vitioſum, taxant iam nominati cenſores.

Pars poſterior, primo loco, conſiderat artem rhetoricam, quam æque utilem magiſtratibus, militibus, politicis, privatis, non ſine cauſſa noſter pronuntiat. Ita vero Demoſthenis

Digitized by Google

eloquentia vel ſola tutas præſtitit Athenas adverſus artes Philippi ac vim: ita Cæſarem Auguſtum hæc eadem ad imperii culmen facilius evexit, quam Iulium fortitudo: ita Marlboroughius, eloquentiæ ſubſidio, gentis ſuæ conſultationes, turmas militares, foedere iunctos principes, ad ſententias ſuas mirabiliter deflexit. Ceterum, vituperat auctor ille antiquum uſum, Latina lingua rhetoricam proponendi atque eloquentiam exercendi, quod & abſurdum ſit, & cum veterum exemplo pugnet. Ubi quidem nos haud diffitemur, poſſe quoque patria id lingua fieri: cum tamen ipſe ante voluerit nobilem ſuum addiſcere latinam, tamquam eruditam linguam, non ſane videmus, quare ſimplicem malit, quam duplicem eadem opera utilitatem. Adhæc omnino Latini Græce declamabant, usque ad virilem ætatem, potius quam latine. Fac vero, nec docuerint, nec declamaverint Græce: nobiliori noſtris eruditis loco eſt latina lingua, quam ſuperbis Græcorum victoribus Græca. Sed, innuitur ratio: rumpi debet antiquum eruditorum civitatis coniungendæ vinculum, ut ubivis imperet gallicus ſermo, quem, per univerſam Europam, qui non didicerit, Gallus credit male educatum fuiſſe. Nos libenter concedimus illi patrium in ſermonem pietatem, quam nihilominus æquus rerum arbiter ab exteris haud poſtulabit, ſuæ potius cuiusque linguæ debitam. Hinc ad communionem amabiliter continuandam, neque litteratam Europam tot in civitates diſſecandam, quot ibi ſunt linguæ: quid, quæſumus, convenientius eſt, quam antiquis moribus impedire, ne quod diſſenſioni, ſuperbiæ, pigritiæ, aſylum aperiatur? Commendatur autem præcipue Giberti rhetorica, tamquam regulis atque exemplis præcellens, longa experientia confirmata, atque incipientibus nominatim conveniens. Addi tamen poteſt Lamii ars dicendi, maxime quarta editio. Coniungi meretur Oratorum lectio, doctore præſente, atque omnes internas & externas pulcritudines obſervante, ſedulo inſtituenda. Suadetur ibi collectio Gallicarum orationum, quam *Vaumorière* curavit, tamquam admodum ſollicita & utilis, quamvis tritæ ſint ac vulgares præceptiones. Oratores funebres laudantur: *Boſſuetus, Maſcaron, Flechier;* panegyrici

Digitized by Google

gyrici & ſacri, *la Rue, Bourdaloue, Cheminais, de la Boiſſiére, de Miſſillon,* in primis autem academiæ Gallicæ ſpecimina. Neque minus commendantur primarii Gallorum poetæ, ut & antiquorum nonnulla loca, e. g. quædam orationes *Homeri, Herodoti, Thucydidis, Demoſthenis* Philippicarum; quippe cum illi ſint quaſi nobis magiſtri bene dicendi, una cum principibus latinorum. Eodem epiſtolæ referuntur, in quibus optimum exemplum præbent *Ciceronianae*. Inter Gallos *Voiture* laudem ſibi epiſtolis comparavit, quæ tamen hodie non ſunt omnes ad palatum, quippe genium potius quam animum delectantes. *Rabutini* comitis epiſtolæ, nobilem facilitatem habere dicuntur, proponendimodum elegantem, ingenioſum, perſuadentem, ad Regem ſcriptæ. Nobilis feminæ *de Sevigné* liberius ſunt conſignatæ, locisque vividioribus ac delicatis refertæ, quippe dum ſingularibus gratiis condiat quæ ſcribat omnia, narret bene, breviter, eleganter, ita ut pingere videatur: alioqui tamen pauca ſubinde plurimis verbis proponit, licet numquam non ſine venere. Sed eſt cur ad alia properemus. Sequitur igitur conſideratio corporis exercitiorum, non minimam ſibi, quæ nobilior putatur vitæ, partem vindicantium. Proximum vulgo locum obtinet muſica, quam vero vituperare magis noſter, quam laudare videtur. Architectura, ſculptura, pictura, maiori ei ſunt in exiſtimatione, præſertim cum non ſolum vividius res proponant, ſed etiam conſuetudines ac ritus diverſarum nationum antiquarum deſignent luculenter. Quæ ſuccedit prudens civilitas, & actionum & morum, (la politeſſe) laudabiliter depingitur, tamquam omnibus hominibus perquam utilis ac ſalutaris, veluti primaria honoris mortalium & gloriæ arbitra. Iſthanc itinera iuvabunt, inde a priſcis temporibus maximi habita. Sic Pythagoras, Solon, Lycurgus, multas regiones peragrarunt. Homerus, omnibus qui ſæculis admirationem iniicit, non potuiſſet tam perſpectas habere provincias, moresque gentium, & conſuetudines tam graviter pingere, niſi diu multumque profectus. De eligenda vitæ conditione meditationes ſubiunguntur haud quaquam contemnendæ, ut & ſingulatim de ſtatu militari atque eo quem politicum dicunt. Agmen denique claudit, in omni vita

 quod

Digitized by Google

quod maximi eſſe ponderis ſolet, matrimonium. Verboſiſſimum eſt penultimum caput, quo de ſtatu civili politiorum Europæ partium accuratius diſſeritur, atque etiam imperium Germanicum conſideratur. In primis novam politicæ faciem dediſſe dicuntur Weſtphalicæ pacificationes, quas pater *Bougeant* & ſolidiſſime & elegantiſſime deſignarit, quippe cuius in libro ſingula documenta primarii hoc in genere operis adpareant, (tous les reſſorts d'un chef d'oeuvre de politique) Titulus eſt: *Hiſtoire du Traité de Weſtphalie, ou des Négotiations qui ſe firent à Munſter & Osnabruck;* lucem vero vidit Pariſiis 1744. in 12. 6. Voll. Adhæc non paucorum epiſtolæ civiles commendantur. Spectant eo epiſtolæ Cardinalis Oſſati, artificiis Ludovici XI. inſtructi, quæ excellentiſſimum exemplar præbere putantur, in quo verſutia & ſapientia, ſimplicitatis ac modeſtiæ velo tectæ ſuſpiciantur; id quod Callierii teſtimonio notabili ſane probatur. Epiſtolæ *Arlingtoni* res curioſitate lectorum abunde dignas pandere dicuntur: ut equitis *Temple* magnam præ ſe ferre ſollertiam, *Mazarini* primariam artem, calliditatem, prudentiam in litterarum ſtudiis, & comitis *d' Eſtrades* dexteritatem in negotiis, inque iuribus ſuis defendendis firmitatem. Quale non ſine naſo iudicium alibi pariter, aliis deſcriptis, interpoſitum, libri pretium haud parum adauget.

RELATION ABREGE'E D'UN VOYAGE &c.

i. e.

NARRATIO COMPENDIOSA ITINERIS FACTI in interiora Americae meridionalis, a littore maris auſtralis usque ad fines Braſiliae & Guianæ, ſecundum ductum fluvii Amazonum. Auctore de la CONDAMINE, Academiae Regiæ Scientiarum Socio.

Pariſ. ap. Viduam Piſſot, c. Tab. geographica fluvii Amazonum. 1745. pl. 14. in 8.

Anno

Anno 1735. ad menſurandos gradus ſub æquatore, pro determinanda telluris figura, miſſi fuerunt Academiæ ſcientiarum ſocii, *Godin*, *Bouguer*, & *Condaminius*. Quæ hanc in rem ex eorum obſervationibus reſultarunt, cum obſervationibus, in Gallia, & ſub circulo polari habitis, probe conſpirantia, eorum rationem reddidit *Bouguer* in Prælectione d. 14. Nov. 1744. coram Academia habita. Non vero ſcopo huic palmario ſolum fuerunt intenti; ſed & ad plurima alia, Phyſicam, Hiſtoriam naturalem, Aſtronomiam, Geographiam ſpectantia, quorum obſervandorum hiſce in terris data fuit occaſio, attenderunt. Horum varia iam in *Commentariis Academiae* apparuerunt, aut uberiori totius expeditionis deſcriptioni, in lucem adhuc dandæ, reſervantur. Inter alia ceperat *Condaminius* conſilium, fluvium Amazonum, totam *Americam meridionalem* curſu ſuo traiicientem, maximumque totius orbis terrarum fluvium, totum fere hactenus incognitum, inveſtigandi, geographicam eius delineationem conficiendi, & quaſcunque poſſet de eo, regionibusque adiacentibus, obſervationes colligendi. Quod cum exſecutus eſſet, argumentum duxit attentione dignum, de quo, ex itinere redux, in conſeſſu Academiæ publico, d. 28. Apr. 1745. habito, verba faceret. Hæc illa eſt, quam in præſenti exhibemus, Prælectio.

Principio, quidnam hactenus de fluvio Amazonum innotuerit, exponit. Primus eum detexiſſe vulgo dicitur a. 1539. *Franciſcus d'Orellana*, eique ob conſpectas mulieres armatas, quibus haud temere fidendum eſſe fuerit monitus, nomen illud indidiſſe. Sed ante *Orellanam*, iam ab a. 1513. ſub nomine *Marannon*, quod fuit nomen alterius Hiſpani, fuit cognitus. Unde perperam Geographi quidam duos diverſos inde fluvios commenti ſunt. Hodie ab Hiſpanis promiſcue utroque nomine ſalutatur. Poſt varios alios ad eundem luſtrandum miſſus eſt a. 1638. *Petrus Texeira*, comitantibus *P. P. d'Acunha & d'Artieda S. I.* cuius itineris notabiliora ſunt edita Madriti a. 1640. ac inde quoque mappa geographica a *Sanſono* expreſſa. A. 1707. P. *Sam. Fritz* S. I. in iis locis Miſſionarius, eius-

Digitized by Google

dem delianetionem novam edidit, at, ob inſtrumentorum inopiam, multis adhuc defectibus laborantem.

Fluvius ille e lacu ſub 11° latit. auſtr. oriundus, primo verſus boream, dein verſus ortum, cum æquatore fere parallelus, curſum dirigens, in oceanum ſub ipſo æquatore illabitur, a loco, ubi primum incipit fieri navigabilis, 30 gradus longitudinis, ſive 450 mill. germ. quæ ob flexus quarta adhuc parte augentur, emenſus. A parte auſtrali & boreali utrinque ingentem recipit fluviorum numerum, quorum plures quingenta ſexcentave milliaria conficiunt, Danubio Nilove nullo modo inferiores.

Quæ in hoc itinere ſucceſſive annotavit Auctor, perfectam fluvii delineationem conſtituentia, enarrare ſi vellemus, veremur ne tædio fiamus Lectoribus: quare potius varias delibabimus obſervationes, præcipue Phyſicam & Hiſtoriam natu-
Pag. 21. ralem illuſtrantes. Barometri altitudo ſub zona torrida non, ut ſub noſtris climatibus, variat. Obſervatum eſt in urbe *Quito*, per integrorum annorum decurſum, maximam eius differentiam vix ſeſquilineam excedere. Variatio eius, quæ fere lineam 24. horarum ſpatio efficit, vices ſatis regulares experitur; quo ſemel cognito, facile de altitudine media ex unica obſervatione concludi poteſt. Determinavit Auctor mediam hancce altitudinem ad ſuperficiem maris, unde variorum locorum elevatio ſupra eam ſuperficiem facile colligitur, methodo ſatis cognita. Varia locorum elevatio, varios gradus caloris vel frigoris fere ſola in hoc climate efficit, adeo ut, per ſpatium 2000 hexap. gall. aſcendendo, e valle æſtu ſolis ferVidiſſima, ad montes nivibus æternis obſitos, tranſire liceat.
48. Prope dictum flumen, infra urbem *Borjam*, ad quadringenta quadringenta milliaria uſque, lapides omnes, & vel ſi lex minimus, adeo ſunt rari, ut gemma pretioſiſſima. Incolæ huius tractus, ne ullam quidem lapidis ſovent ideam, & talem primo conſpicientes in ſummam rapiuntur admirationem. Indi, Ame-
49. ricæ meridionalis indigenæ, h. e. commixtione aliarum nationum non vitiati, ſunt coloris bruni rubeſcentis, magis minuſve dilutioris, pro varia aëris temperie, a maximo zonæ torridæ

æſtu

Digitized by Google

æſtu, ad frigus haud exiguum variante. Ex inſigni quoque regionum, quas incolunt, diverſitate, magna in moribus eorum varietas, quæ ulterius adhuc a moribus Chriſtianorum, quibus ſubiecti ſunt, novum diſcrimen ſortita eſt: in multis tamen apprime conveniunt. Inprimis in iis ea obſervatur animi conditio, fundamentumque morum conſtituit, quam an apathiæ, an ſtupiditatis nomine inſignire debeat, Auctor ambigit. Linguas Americæ meridionalis omnes deprehendit pauperrimas, inprimis ideis abſtractis ſeu univerſalibus deſignandis impares. Comparationem linguarum harum cum aliis, fere unicum putat eſſe originis Americanorum detegendæ ſubſidium. Voces quasdam Hebraicas, plurimis linguis Americanis eſſe communes. Singularis prorſus eſt, & difficillima lingua nationis *Yameos* dictæ. Vocem inſpiratione formant, nec Pag. 66.
ullam fere vocalem pronuntiant; verba habent, a nobis nonniſi per multas ſyllabas exprimenda; ultra tria numerare neſciunt. Plantarum omnis generis, terra hæc Americana longe 74.
fertiliſſima eſt. Frequentiſſimum eſt, & mirum ſatis, illud genus, quod funium loco ab incolis adhibetur, quod nempe arbores vicinas undique cingit, & cum ad earum ramos pervenit, fila quaſi demittit recta deorſum cadentia, in terra radices agentia, & denuo ſurgentia, idque ſæpe repetitis vicibus. Alia eiusmodi filamenta, vento aliove caſu deiecta, ſæpe aliis arboribus ſeſe affigunt, ibique ſpeciem funium confuſe quaquaverſum pendentium efformant. Variis variæ eius ſpecies gaudent proprietatibus, ut e. g. de Ypecacuanha ſatis conſtat. Quædam ſunt adeo craſſæ & fortes, ut arbores, quas cingunt, ſuffocent, mortemque iis inducant. Gummata, reſinæ, balſama, ſucci omnes, inciſione arborum exſtillantes, olea, innumera. Singularis eſt reſina, *Cahuchu* dicta; ei recenti figura quævis induci poteſt, formantur inde lagenæ non fragiles, vaſaque quævis valde elaſtica, poſt compreſſionem ſeſe in priſtinam figuram prorſus reſtituentia, ſyringes, & ſimilia; pluviæ eſt impenetrabilis. Anthropophagi adhuc dantur, non qui- 84.
dem ad ripas fluvii Amazonum, ſed in terris adiacentibus, qui captivos ſuos devorant. Plurimi ſunt harum regionum incolæ,

Digitized by Google

incolæ, auribus adeo monſtroſis præditi, ut lobus extremitatis inferioris ſæpe 4 aut 5. pollicum longitudine dependeat, craſſitie eius parum imminuta, iſque foramine diametri 17 linearum & ultra pertuſus; id quod cylindro ligneo continuo maiori huic foramini intruſo efficiunt, donec auris ad humeros dependeat, cui dein faſciculum herbarum florumve anne-
Pag. 101. ctunt. Curioſa eſt, quam inſtituit Auctor, de celebratiſſimarum illarum Amazonum exiſtentia, diſquiſitio. Cum a diverſarum nationum incolis de iſtis feminis eſſet percontatus, plurima collegit teſtimonia, vi quorum earum exiſtentiam in dubium vocare vix licet. Terra ab iis habitata, communi conſenſu, ad montes in medio Guianæ ſtatuitur. Attamen eas adhuc hodie exiſtere, valde dubitat, quod propter vicinarum nationum notitiam de iis hodie nullam, vero non videtur ſimile. Eas enim vel domicilium mutaſſe, vel, (quod magis adhuc ei arridet), mores priſtinos, & a maribus fugam, prorſus deſeruiſſe, exiſtimat. Hoc tamen nihil detrahere veritati exiſtentiæ earum priſtinis temporibus. Sufficere enim, vixiſſe feminas abſque marium conſortio; reliqua, ut mammæ dextræ amputationem, acceſſoria eſſe, & forſan commenta. Certe, ſi unquam mulieres in animum inducere potuerint, abſque maritis vitam degere, hoc in America potuiſſe contingere, ubi maritos in bellum comitari, duriſſimamque conditionem ſubire cogantur. Nec exiſtentiam earum prorſus fictitiam concipere licet, niſi quis tot gentes in falſa de iis te-
134. ſtimonia exhibenda conſpiraſſe velit affirmare. Fluxus & refluxus maris in fluvio Amazonum, ad diſtantiam plus quam 200 milliarium a litore maris, ſeſe manifeſtat ſingulis 12 *horis*, nec minus, quam in mari, quovis die retardat. Maxima fluxus altitudo ibi obſervata eſt ab Auctore non excedere $10\frac{1}{2}$ pedes; unde ſequitur, fluvii declivitatem, in tanta curſus longitudine, quæ eſt ultra 200 mill. nonniſi 10. pedum eſſe cum dimidio, quod idem & per obſervationes barometricas confirmatur. Liquet autem, fluxum, qui ad oſtium fluminis accidit, ad tantum intervallum nonniſi plurium dierum ſpatio pervenire poſſe, cum id in ipſo mari 5. aut 6. horarum decurſu contin-

Digitized by Google

contingat. Et ſane ab oſtio uſque ad dictum locum, fere viginti ſunt quaſi ſtationes, in quarum ſingulis fluxus eodem tempore, quo in maris litore, contingit, & ſucceſſive variationes omnes ſubit, per intervallum inter binas quasvis, idque 12 horarum ſpatio; ſimulque in omnibus iſtis ſtationibus afficitur retardatione in litore maris conſpicua. Hæc æſtus maris per undulationes propagatio vero ſimiliter in ipſo mari locum habet, & continuo eo magis retardari debet, quo magis a loco, ubi aqua maxime aſſurgit, ad litora acceditur. Plures circumſtantias notat Auctor, in flumine hoc reſpectu æſtus maris obſervandas, ac ulteriore indagatione dignas: ut proportionem, in qua variet velocitas fluxus, ſecundum decurſum fluvii; duos aquæ torrentes, ſibimet oppoſitos, tempore fluxus conſpicuos, unus in ſuperficie, alter in quadam profunditate; duos alios oppoſitos, quorum unus ad ripas aſcendit & acceleratur, alter in medio alvei deſcendit, & retardatur; duos denique alios, in vicinia maris ſibi obviam euntes, ubi fluxus ſimul per duas plagas oppoſitas intrat; & id genus alia, in hoc inprimis fluvio ubi æſtus ad maiorem, quam in ullo alio, diſtantiam a mari aſcendit, obſervanda. Apud nationem, Pag. 140. *Topagos* dictam, maxime invenitur ſingularis lapidis viridis ſpecies, ſub nomine *lapidis Amazonum*. Olim magno in pretio fuit habitus, ob virtutem, calculum, colicam nepriticam, & epilepſiam, ſanandi ipſi adſcriptam. A Gagate orientali nec colore nec duritie differt. Origo eius ignoratur. Limæ reſiſtit, nec facile eſt intellectu, quo artificio Americani veteres, abſque ferro, varias formas, figurasque animalium lapidibus hiſce inducere potuerint. Hoc fabulæ anſam dedit, lapidem hunc nil aliud eſſe, quam limum fluminis, cui adhuc molli forma quævis imprimatur, quique in aëre dein ſummam iſtam duritiem adſciſcat. Verum tentamina eiuſmodi, a credulis inſtituta, figmenti huius falſitatem ſatis oſtenderunt. Ceterum alia lapidis figurati ſpecies, ſmaragdi nempe politi & foramine conico pertuſi, ad ripas fluminis adhuc reperitur, induſtriæ veterum Americanorum monumentum. De 154. animalibus harum regionum rarioribus, quædam commemorat Auctor, etſi induſtriam, quam curatior eorum inquiſitio

Digitized by Google

deſideraret, ipſi adhibere haud licuerit. Piſces quod attinet, obſervatur hic maximus cognitorum piſcium aquæ dulcis, ab Hiſpanis *vaccae marinae* nomine præditus, cum phoca, ſeu vitulo marino, non confundendus. Caro, & pinguedo vaccinæ ſunt admodum ſimiles. Cornibus tamen, ut quidam voluerunt, deſtituitur. Mammas habet femina. Herbis ad ripam fluminis nutritur. Amphibium ſenſu ſtricto non eſt; nunquam enim totus aqua exit, non exire poteſt, pedum loco nonniſi pinis duobus, longitudine 16. poll. prope caput inſtructus. Quam Auctor obſervavit, vacca fuit 7½ ped. pariſ. longa, latitudinis maximæ 2 pedum; dantur tamen maiores. Oculi reſpectu corporis mire exigui, rotundi, & nonniſi 3 lineas diametro comprehendunt. Aurium apertura adhuc minor, & non aliter ac foramen acus apparet. Reperitur hic lampetræ ſpecies, cuius corpus, inſtar vulgaris, multis foraminibus pertuſum, quæque eadem proprietate, qua torpedo, gaudet, ut, qui eam manu, imo baculo, attingit, torporem in brachio ſentiat dolorificum. Variæ dantur plantæ, virtute piſces inebriandi præditæ, quarum ope ab incolis uberrima fit
Pag. 161. piſcatio. Magna hic crocodilorum copia. Eorum infenſiſſimus hoſtis tigris, quarum multæ hic, ut in omnibus regionibus calidis; datur ſpecies cute bruna, maculis non inſignita. Frequentiſſimum hic animalium ſimia, cuius dantur ſpecies multæ diverſiſſimæ. Aliæ magnitudine leporis, aliæ gliris. Exiguæ iſtæ coloribus pulchris ſunt variegatæ, formam cum aliis ſimiis communem non habent, ſed potius ad leonis ſimilitudinem accedunt, earum tamen nullam conſervare & in Euro-
167. pam transferre potuit. Reptilia hic innumera. Serpentum quædam ſpecies innocuæ, plurimorum tamen morſus lethalis. Maxime ſingularis eſt magnus ſerpens amphibius, 25 aut 30 pedes longus, & unum craſſus, in lacubus habitans, qui non ſolum capellam integram deglutire fertur, ſed & reſpiratione invincibili animalia vicina attrahere, ſicque devorare. Quod adeo mirum, ut fidem pene effugiat, ab Auctore recentiore *Orinoci illuſtrati* confirmatur. Veſpertiliones hominibus, præſertim vero pecudi, maxime infeſtæ, quorum ſanguinem ſugunt, niſi ſub tegmine dormiant, adeo ut variis in locis armenta eo

trans-

Digitized by Google

tranſlata prorſus deſtruxerint. Avium inſignis hic varietas. 171.
Nulla tamen fere reperitur ſpecies cantu amoeno gaudens; ſed colorum inprimis præſtantia & varietate ſeſe commendant. Artem pſittacis colores a naturalibus diverſos inducendi poſſident Indi, nempe plumis ipſos orbando, cutemque (ut fertur) ſanguine ranarum quarundam inungendo; etſi Auctor ſuſpicetur, totum artificium nonniſi in inunctione liquoris cuiusdam acris, imo in ſola plumarum extractione, conſiſtere, quemadmodum id in crine animalium conſpicitur. Avis *Cahuitahu* extremitates alarum cornu valde cuſpidato inſtructas Pag. 180.
habet, aliudque cornu parvum in roſtro gerit. Tacemus plura de animalibus apud Auctorem noſtrum reperiunda. Obſervationes, ad figuram telluris maxime pertinentes, de penduli longitudine inſtituit in urbibus *Quito & Para*, quarum illa in litore maris eſt ſita, altera 1400 aut 1500 hexap. gall. ultra ſuperficiem eius elevata, utraque vero ſub æquatore fere poſita. Reperiit, pendulum in hac urbe, ſpatio 24 horar. temporis medii, 31 aut 32 oſcillationes dare plus quam in illa. Unde colligit, ſub æquatore duo corpora, quorum unum in ſuperficie maris ponderet 1600 libras, alterum 1000, elevata, illud ad 1450, hoc ad 2000 hexap. altitudinem, perdere æqualiter plus quam unam libram ſui ponderis, quem- 185.
admodum id fere ex Theoria Newtoniana, vel ex aliis obſervationibus debeat contingere. Lethalis eſt Indis variolarum 193.
morbus, quos omnes prævia inoculatione ſervare docuit Miſſionarius. Singulare æſtus marini phænomenon obſervatur, ubi fluvius plurimis inſulis valde anguſtus redditur. Tribus diebus circa plenilunium & novilunium, ubi fluxus ſolet eſſe maximus, mare, quod alias ad maximam altitudinem fere 6 horarum ſpatio demum pervenit, nonniſi unum duove minuta eo impendit, quod fit maximo cum ſtrepitu, ad 2 milliar. ſpatium percipiendo. Montes exſurgunt aquei, 12 aut 15 ped. altitudine, incredibili vi omnia ipſis obiecta ſecum rapientes. Facta attentione deprehendit Auctor, id ſemper ibi contingere, ubi mare aſſurgens occurrit obſtaculo cuidam remoram ipſi 205.
ſiſtenti, & poſt illud iterum ceſſare. Obſervationes circa velocitatem ſoni inſtituit *Cayennae*, eamque 183½ hexap. gall. uno ſecundo deprehendit, cum prope *Quito* eſſet nonniſi 175 hex. Ibidem experimenta circa ſagittas venenatas inſtituit.

Digitized by Google

Eiusmodi ſagittæ ultra anni ſpatium iam veneno inductæ, effectum ſuum, etſi paulo tardius, præſtiterunt, nec ſaccharum quod verum earum antidotum prædicatur, paullo poſt adhibitum, opem tulit. Parantur e ſucco permultarum herbarum commixto. Eadem experimenta Leidæ, præſentibus *Muſſchenbroekio*, aliisque phyſicis, repetiit.

Præſenti Libro annectitur ſequens, quæ & ſeparatim extat, Epiſtola:

*Lettre à Madame *** ſur l'emeute populaire*, &c.

i. e.

*Epiſtola ad *** de ſeditione plebeia, orta in Peruviana urbe Cuenca, contra Socios Academiae Scientiarum, ad menſurandam terram miſſos.*

pl. 7. c. Tab. ænea. 1746.

Nomen Auctoris quidem non additur; facile tamen patet, eam ab eodem *Condaminio* eſſe conſcriptam. Continet prolixam narrationem tumultus in dicta urbe a plebe excitati; in quo parum abfuit, quin Viri eximii mortem pro laborum ſuorum mercede reportarent. Occaſionem quodammodo præbuit, etſi remotam, *Seniergues*, Chirurgus regius, ipſorum in hoc itinere comes, qui & ab effrænata plebe trucidatus eſt. Eius executor teſtamentarius nuncupatus ab ipſo *Condaminius*, actionem contra reos inſtituit coram ſummo iudicio iis in terris conſtituto; aſt ſummam iniuſtitiam expertus eſt. Qua de re palam hic conqueritur, eumque in finem acta ipſa proceſſus criminalis præcipua hic addidit. Hac occaſione adiecit adhuc reſponſum medici urbis *Cuencae* practici, ita comparatum, ut Lector an in riſum effundi, an ſtatum medicinæ illic loci deplorare debeat, neſciamus.

D. Dan. Heinrich Arnolds ausführliche und mit Urkunden verſehene Hiſtorie der Königsbergiſchen Univerſität.

i. e.

D. DAN. HENR. ARNOLDI ADCURATA DOCUmentisque inſtructa Regiomontanae Academiae hiſtoria. Partes II.

Regio-

Regiomonti in Boruſſia, ex officina Io. Henr. Hartungii, 1746. Pars I. Alph. 2. pl. 9. Pars II. Alph. 1. pl. 20. 8. mai.

Mancam eſſe ac ſterilem Academiarum hiſtoriam, iam olim conqueſtus eſt *Morhofius*, optavitque, ut hanc operam depoſceret ſibi vir prudens ac doctus, &, quemadmodum *Conringius* generalia Academiarum, ita ſpecialiora tum e variis de hoc argumento ſcriptoribus, tum ex ſua experientia concinnaret. Hæc viri ſummi verba ſunt in *Polyhiſt. T. I. lib. I. cap. 16. §. 73.* At fruſtra ſperabitur integrum eiusmodi opus, unius quippe hominis vires ætatemque ſuperans, niſi unaquæque Academia virum nanciſcatur, qui annales perluſtret ſedulo, & ex iis ipſis eiuſdem deinceps deſcriptionem ſuſcipiat. Quod quum probe cognitum haberet reverendus *Arnoldus*, in componenda Regiomontanæ Academiæ, quam ſuis ornat meritis, hiſtoria, non ſine proſpero ſucceſſu operam collocavit; dignus propterea, quem alii Academiarum Profeſſores eodem ardore ac ſtudio proxime ſequantur. *Pars I.* libri lectu iucundiſſimi his abſolvitur argumentis. Scilicet *Capite I. de conditione rei litterariae apud Boruſſos, ante Academiae primordia,* inſcriptum eſt. Sæculo XIV. *Winricus a Kniprode,* Magnus Ordinis Teutonici Magiſter, primus de litteris in Boruſſiam introducendis cogitavit, eoque conſilio ſcholas exſtruxit. Illius ſucceſſori, *Conrado Zöllnero a Rottenſtein,* debentur natales Academiæ Culmenſis, quæ tamen in ipſa pueritia exſtincta eſt. Poſt ſacrorum noſtrorum emendatio, a Luthero peracta feliciter, commoda maxime accidit Muſis Boruſſicis. Præcipue tunc temporis *Albertus*, primus Boruſſorum Dux, litterarum florem curæ habuit cordique, ac, præter ſcholas varias ad conſtituendam quoque Academiam animum adpulit, qua de re deinceps plura. *Capite II. de Paedagogio* agitur, *quod olim Regiomonti fuit. Albertus* anno 1541. urbem ornavit primariam, ut proluderet conatibus altioribus, iuveneſque ſtudioſi non ad linguas tantum artesque liberales diſcendas haberent occaſionem, ſed graviorum etiam diſciplinarum certa ponere fundamenta poſſent. Neque, condita iam Academia, neglectum Pædagogium, quin novis potius auctum fuit reditibus, donec tandem anno 1619., mutata ſubinde rerum facie, iuſſu Principis Electoris, *Iohannis Sigismundi*, eſſe penitus deſineret. *Caput III. de primordiis*

Digitized by Google

Academiae Regiomontanae docet luculenter, Pædagogio vix biennio ante inſtituto, ortam eſſe Academiam, dieque ſupra decimum ſeptimo menſis Auguſti, anno 1544. laudati Alberti auſpiciis ſolemniter conſecratam, excitante potiſſimum Ducem uxore ſereniſſima, *Dorothea*, Regia Danorum Principe. Sub eiusdem anni finem privilegium Pontificium a *Petro Bembo* petiit *Sabinus*, quo gradus eo loco decreti comprobarentur. Sed reſponſum Roma fuit, Pontifici, inconſulto Cæſare, ſtatuendum nihil eſſe novi, in ea præſertim civitate, quæ immunis quidem a Cæſaris imperio, in illius tamen patrocinio & quaſi tutela ſit. Nec mutavit Pontifex ſententiam, *Bembo* eum hac de re denuo adeunte: vota Principis ad Imperatorem omnino eſſe deferenda, conſtanter iudicavit, qui ſi tribuerit privilegia, velle ſe promiſit eadem auctoritate ſua confirmare. Poſt accepit Academia a *Sigismundo*, Poloniarum rege, Diploma confirmationis; fruſtra vero exſpectavit Cæſarea, quorum impetrandorum ſpes erat, privilegia; ordo licet theologicus de conſueta Doctorum renunciatione, quam denegaverat Imperator, conceſſerit. *Capite IV.* reverendo Auctori ſermo eſt *de Profeſſorum ſalariis*, quæ longe tunc temporis lautiora fuiſſe, quam in cæteris Germaniæ Academiis uſu receptum erat, oſtendit, quantumque primo ſtatim anno cuilibet Profeſſorum ſit conſtitutum, quæ deinceps mutatio facta, ex Academiæ tabulis ſeparatim comprobat. *Caput V.* exhibet *privilegia Academiae & immunitates*, de quibus ſingulari etiam eaque egregia, diſſertatione a. 1744. egit illuſtris Cancellarius, *Reinoldus Fridericus a Sahme.* Sequenti *Capite VI. de Statutis* diſſeritur, *& legibus Academicis generatim.* Hæ promulgatæ primum a. 1546. emendatæ autem, auctæ, & a Principe probatæ fuerunt anno 1557. Impugnavit quidem easdem aliquot annis poſt *Heshuſius*, Epiſcopus Sambienſis, inſpectionem & iurisdictionem in Academiam totam ſibi vindicaturus; ſed maſcule ſe oppoſuit Senatus Academicus, & ſublato, poſt *Heshuſii* diſceſſum, Epiſcopatu, incorruptos iurium ſuorum fructus percepit. Quibus uberiori ſermone expoſitis, ſingularum, ut vulgo dicuntur, Facultatum ſtatuta tangit Auctor celeberrimus, & ſub huius Capitis finem, recentiores *Friderici Guilielmi*, glorioſiſſimi Regis, conſtitutiones prædicat, easque ipſas a Succeſſore auguſtiſſimo ſtabilitas denuo fuiſſe monet.

Caput

Digitized by Google

Caput VII. & VIII. eas recenſet ſpeciatim *leges, quae partim docentibus praeſcriptae, partim ad diſcentes pertinent.* Obſervamus hic ex poſtremis duo ſaltim notatu digna. Primum, ſtudioſi iuvenes cuiuscunque ordinis, ſi per ætatem licet, iusiurandum præſtare Academicum debent, antequam albo inſcribantur, deinde adhuc a. 1683. iure geſtandi gladium iiſdem ſerio fuit interdictum in Academia Regiomontana, adeoque non ipſo belli tricennalis tempore consuetudo contraria ibidem invaluit, ut de cæteris Germaniæ Academiis evicit aliquando celeberrimus *Heumannus. Caput Partis ultimum* idque IX. inſigne Principum ſtudium laudat, eorum ſuſtentationi impenſum, quos res anguſta domi a Muſarum arcere conſortio videtur. Inde in *Parte II. capite X. ad ſtipendia Boruſſica* tranſit Auctor doctiſſimus, quæ a variis litterarum patronis conſtituta fuerunt. Non exiguus profecto eorum eſt numerus, ſortisque ſumma generatim ſeptuaginta circiter millia Imperialium complectitur. *Caput XI. Aedes* deſcribit *Academicas*, qua occaſione de publica etiam Bibliotheca nonnihil dicitur. Eſt ea in media Collegii novi contignatione repoſita, & egregie aucta fuit a. 1710. legato *Blaeſingii*, Profeſſoris Regiomontani, qui omnem ſuam ſuppellectilem, rebus cum primis mathematicis ditiſſimam, Academiæ dicaverat. Non quidem numero, at operibus tamen, ſæculo adhuc XV. editis, ſuperbit, inter quæ antiquiſſimum perhibet auctor *Apuleium de aſino aureo*, a. 1469. typis impreſſum. *Capitis XII.* ſumma eſt *de typographis & librariis Academiae Regiomontanae.* Iam per viginti annos ante conditam Academiam, typographia fuit in urbe; ſub ipſa vero eiusdem incunabula *Io. Weinrichii*, & *Io. Lufftii*, Vitembergenſis, officinæ memorantur. Succeſſores, quos diligenter recenſet celeberrimus Arnoldus, eorumque privilegia & officia, ſilentio prætermittimus, id ſubiungentes tantummodo, cenſuram librorum Epiſcopos primum Sambienſes, poſt Conſiſtorium Regiomontanum Academiæ reddidiſſe dubiam; viciſſe tamen eam ex voto, plenamque victoriam reportaſſe. Ad librarios quod attinet, primis temporibus ſoli fere bibliopoegi libris vendendis operam dederunt, donec ineunte ſæculo XVII. magis effloreſceret illud commercium, virisque peritioribus relinqueretur. *Caput XIII. de inſpectione in Academiam, eiusdemque miniſtris*, agit.

Ne

Digitized by Google

Ne quid Univerſitas hæc litteraria detrimenti capiat, Senatus proſpicit Academicus quem ex tribus altioribus Facultatibus bini priores, ex ordine contra Philoſophorum quatuor Profeſſores, ætate reliquis ſuperiores, conſtituunt. His ſemper accedit eiusdem ordinis Decanus. Procedendi modus regulariter nonniſi ſummarius eſſe debet, ſi tamen de re magni momenti lis oriatur inter partes, a Senatu ad curiam provincialem, & in cauſſis, quæ diſciplinam Academicam tangunt, ad regimen principis provocare licet, ſoluta prius, in caſum ſuccumbentiæ, certa pecuniæ ſumma. Soli Profeſſores, qui Senatus Academici membra ſunt, ad Rectoris adſpirare poſſunt dignitatem, perpetuam olim Sabini ætate, ab eo tamen ipſo, poſt trium annorum ſpatium, aliis conceſſam. Tunc & ſancitum, ne quis ultra ſex menſes ad reipublicæ huius gubernacula ſederet, quam conſtitutionem codicilli Regii a. 1740. denuo probarunt. Quatuor annis poſt, Academia Directorem accepit & Cancellarium, quam novam provinciam, primario iurium Profeſſori impoſitam, ſuſtinet adhuc & inſigniter ornat *Reinold. Frider.* a *Sahme*, vir inter præſtantiſſimos noſtræ ætatis Ictos referendus. *Capita XIV. XV. XVI. & XVII. quatuor Facultatum* hiſtoriam, ſingulorumque Profeſſorum vitam ac ſcripta breviter exponunt: *Caput* autem *XVIII. de fatis Academiae* nos certiores reddit. Singulare eſt, & ad eiusdem dignitatem ſpectat, quod hoc, quo vivimus, ſæculo auctus fuerit docentium numerus Profeſſoribus hiſtoriæ litterariæ, Antiquitatum, itemque eloquentiæ Germanicæ. Sub finem denique Operis, præter Adpendicem, in qua *Centuria virorum eruditorum*, qui vel patria Boruſſi fuerunt, vel in Boruſſia patriam invenerunt, neque tamen muneribus Academicis functi ſunt, ordine Alphabeti curioſis Lectorum oculis ſubiicitur, ingens etiam Documentorum adparatus occurrit, ex quibus ſuam concinnavit hiſtoriam reverendus Arnoldus, eoque ipſo boni ſcriptoris partes laudabiliter implevit.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA

Tomi VIII. Sect. XII.

FR. THOMAE MARIAE MAMACHII, ORD. PRAED. Theologi Caſanatenſis, Originum & Antiquitatum Chriſtianarum LIBRI XX.

TOM. I.

Romæ 1749. in typographio Palladis, ſumtibus Nic. & Marc. Palearini, Alph. 2. pl. 20. 4. mai. cum fig.

Novam hanc ſpiſſamque lectoribus iterum exhibemus rerum Chriſtianarum tractationem, poſt tot tantorum virorum doctiſſimorum elaborationes, vix ſperandam aut exſpectandam. Habet tamen ſuas, easdemque non vanas rationes, quibus Auctor permotus animum ad ſcribendum appulit, tum, ut omnia colligeret, & in iuſtum ordinem digereret, quæ ante eum ſcripta eſſent; tum, ut veritati inprimis inſerviret, cui rerum Chriſtianarum reliqui ſcriptores non tam curate, ſed pro ſectæ quisque ſuæ rationibus, litaſſe ei viſi ſunt. Poſt varias multasque cogitationes de multitudine, gravitate, & diviſione rerum hic enarrandarum, tandem firmiter conſtituit, non plus *viginti* libris opus eſſe ad colligenda ea omnia, quæ propria Chriſtianorum videntur; cumque iſta univerſa partim *nominibus*, partim *rebus* contineantur, etiam veterum ſcriptorum illuſtrium more cer-

Digitized by Google

tum ſit, ut a vocibus ſcribendi initium ducatur, explicatus iſte locus eſt in libro ſtatim *primo*, ut, quibus ipſi ſe appellarint, quibusque ab Ethnicis vocari nominibus Chriſtiani conſueſſent, inde perſpiciatur. Vocibus ita expoſitis, ſequitur *ſecundus* liber de origine & propagatione religionis Chriſtianæ, ubi tum in univerſum oſtenditur, quibus modis orta ac propagata fuerit res chriſtiana, tum in ſpecie declaratur, qua ratione in varias terrarum provincias introducta, in iisque diſſeminata fuerit. Hi duo libri in hoc quidem Tomo nobis ſunt exhibiti. Ordine nunc pergere licet enarrando, quid in reliquis nobis ſit ſperandum libris. *Tertius* itaque liber aget de moribus, quibus Chriſtiani veteres vivebant, ut, propoſitis eorum virtutibus, informari in animis noſtris notio ſanctiſſimæ illius, qua coniuncti fuerunt, ſocietatis, poſſit. Ubi vero conſtiterit, qua vitæ ratione, quibusque laboribus diſciplina eccleſiaſtica in univerſum terrarum orbem manaverit, *quartus* Liber ſequetur de ratione reipublicæ Chriſtianæ, quam vocare Hierarchiam Eccleſiaſticam ſolemus. Tanta enim hæc doctrina Auctori videbatur non omittenda, ad origines ſcilicet, antiquitatesque Chriſtianas omnino pertinens, licet iam dudum a doctiſſimis viris uberrime pertractata eſſet. Putabat etiam, ſuis hominibus inutile non fore, ſi ipſius qualicunque opera intelligerent, quis in eccleſia univerſa primas iam usque ab initio partes teneret, qui Patriarchæ, qui Primates regionum quarundam, qui Metropolitæ, qui Hexarchi, qui Epiſcopi, qui Archipresbyteri, Presbyteri, Archidiaconi, Diaconi, & huius generis ſimiles homines, a quonam inſtituti fuerint, qua auctoritate, quibusque opibus valerent, quamque late eorum ditiones extenderentur. Poteſtatem etiam celebrandorum Conciliorum, atque ferendarum legum, quæ eccleſiæ ineſt, aliaque vel ſexcenta, quorum præclara cum iis rebus eſt coniunctio, & quæ eodem libro continentur, plurimum ad utilitatem conferre poſſe putat, ſi quis recte ea cognoverit. *Quintus* liber erit de locis ſacris. Cum enim in ſingulis ſocietatibus præcipuum id ducatur, quod ad religionem pertinet: loca autem ſacra eo conſilio inſtituta ſint,

ut

ut in iis ſummo omnium rerum auctori Deo ſacrificium, cultus, honores, preces adhibeantur: hinc omnia explicanda ſunt neceſſario, quæ de templis, [illegible]rumque partibus, iisque de rebus, quarum magna cum ædibus ſacris eſt affinitas, dicenda veniunt. Poſt ea liber *ſextus* de Vaſis: *ſeptimus* de Veſtibus: *octavus* de Imaginibus, ac reliquis ornamentis ſacris eccleſiarum, aget. His accedet *nonus*, qui erit de Organis, deque aliis inſtrumentis muſicis, & Campanis, quarum rerum omnium neque tam eſt recens, ut quidam putant, neque tam negligendus, iudice Auctore, uſus; quod facere videntur illi, qui, novitati quaſi ſtudentes, a ſacris Romanæ eccleſiæ deſciverunt. In libro *decimo* de ſacris conventibus ita diligenter agere promittit, ut eorum etiam, quæ ad Agapas, Synaxes, Stationes, Pſalmodiam, aliaque inſtituta Chriſtianorum ſpectent, nihil, quod grave utileque ſit, prætermiſſum videatur. Addi his librum *undecimum* oportet, qui ſacra tempora ex induſtria enarrabit. Quia vero nemini ſacris Chriſtianis intereſſe licebat, niſi myſteriis eorum eſſet initiatus, inter quæ Baptiſma primum eſt; recte conſtituit Auctor in *duodecimo* libro agere explicatius de inſtitutione & gradibus Catechumenorum, qui ſacri fontis lavationem ſuſcepturi ſint. Non omittet eodem in loco de ſymbolis, inprimisque de illo, quod Apoſtolicum dicitur, agere diligenter. Nam quæ de ritibus, diſciplinaque eccleſiæ, in adminiſtratione ſacri lavacri ſunt notanda, ea *decimus tertius* liber omnia complectetur; ſicuti *decimus quartus* confirmationis ritus & antiquam adminiſtrationem enarrabit. *Decimus quintus* poſtea de ratione, ritibus, diſciplinaque, celebrandæ atque adminiſtrandæ Euchariſtiæ ſuccedet liber, quo omnis illius doctrinæ quæſtio continebitur. Venturus inde eſt Auctor ad ſacramenti poenitentiæ, ut vocat, adminiſtrationem; ac numeratis explicatisque iis, quæ ad varios poenitentium ordines, poenasque iis inflictas pertinent, cetera, quæ propria poenitentiæ ſunt, copioſiſſime perſequi promittit, iisque rebus abſolvendis *decimus ſextus* impendetur liber. *Decimus ſeptimus* illuſtrabit modum, quo effici adminiſtrarique extremæ unctionis ritus debeat.

Digitized by Google

Hunc ſequetur *octavus* & *decimus* liber, qui erit de ſacris ordinationibus, & diſciplina eccleſiæ in iis expediendis. Hoc libro omnis etiam quæſtio de beneficiis, deque privilegiis, quibus gaudere Clerici conſueverant, accurate inſtituetur. *Decimus nonus* erit de matrimonio, eiusque miniſtro, atque iis omnibus, quæ aut impediunt, ne perfici poſſit, aut in eodem perficiendo adhiberi debent. *Viceſimus* denique atque extremus liber earum rerum tractationem complectetur, quæ de coemeteriis, ſepulcris, rituque ſcpeliendi ſunt inprimis commemoratione digna. Quod Auctor de Proteſtantibus hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptoribus ſummis atque imis ſtatuit, eos in univerſum veterem eccleſiæ hiſtoriam eo conſilio deſcripſiſſe, ut, quæ iudicio Romanæ eccleſiæ conſtituta eſſent, everterent, hoc eum, ut ipſe loquitur, abſtinere iuſſit ab omnibus huiusmodi libris & ſcriptoribus. Si quæ monumenta vetera, aut in cryptis Urbis Romæ, aut alibi detecta, in manus ſuas venerint, eorum figuras, vel aliorum cura & ſumtu, vel ſuo, aeri lignove inciſas, ut imprimerentur, ſuisque in locis opportune ponerentur, Auctor curavit.

Satis hæc in univerſum de toto Opere dicta ſunto. Breviſſimis nunc ſummas rerum exponere, vel attingere ſaltem libet, quæ in libris hiſce *duobus prioribus* occurrunt. In *tria* Capita diſtributus eſt *liber* hic *primus*. Eorum *primum* de honorificis agit nominibus, quibus olim ſeſe vocare Chriſtiani ſolebant. Conſtat inter omnes, Chriſti aſſeclas dictos fuiſſe diſcipulos, fideles, electos, ſanctos, fratres, quin & conſervos, uti ex *Lactantio*, eiusque *Inſtitutionum divinarum* Libris, apparet. Chriſtianorum nomen, de cuius origine Lucas tradit, propterea A. adoptatum putat, ut omnes ex Iudæis æque ac Græcis converſi, eandem nominis appellationem nanciſcerentur, nec ex diverſitate nominum diſſenſio forte oriretur. Noſtro ſane iudicio Chriſtiani divinitus ita ſunt appellati, quod vocabulum Græcum, apud Lucam obvium, ſatis evidenter innuit. *Epiphanii* vox, Chriſtianos olim *Ieſſaeos* fuiſſe nominatos, minus vera Auctori videtur, ſiquidem nullus aucto-

auctorum fuerit veterum, qui traderet, Chriſtianos ſibi nomen *Ieſſaeorum* impoſuiſſe, cum potius hæc nominis poteſtas ad Hebræos pertinuerit. Quæ Philo de *Therapeütis* diſputat, ea ad Chriſtianos multi referunt. Sed certe nonnulla ſunt quæ impediunt, quo minus aſſentiatur iis Auctor. Nam ſi Therapeutæ Chriſtianam religionem profeſſi ſunt, fuiſſent profecto inter Chriſtianos ita, uti hoc tempore ſunt ii, qui monaſticum aliquod inſtitutum ſequuntur. Quæ res paulo poſt ab Auctore eſt expoſita. Iam vero nemo eſt, qui Chriſtianos omnes Monachos dici oportere putet, ergo & idem de his hominibus iudicari poteſt. Ex tota diſputatione, quæ nimis prolixa eſt, illud patet, Auctorem accedere illis, qui Iudæos, ſolitariam vitam agentes, hic indicari exiſtimant. Mirabilius videtur, piſciculos etiam eſſe vocatos Chriſtianos. Cauſa hæc fuiſſe perhibetur. Cum aqua baptiſmi regenerari nos ad novam ſpiritualemque vitam maiores noſtri intelligerent, ſimilitudinem a piſcibus, qui in aqua gignuntur, nec vivere ſine aqua poſſunt, duxerunt, iisque adeo omnibus, qui baptizati, Chriſtianam religionem amplexi eſſent, indiderunt nomen piſciculorum. Symbolo etiam piſcis plerumque Chriſtiani utebantur, quia perſpiciebant, vocem Græcam ΙΧΘΥΣ, quod tritum ſatis eſt, ex initialibus literis *Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ* eſſe conflatam. Porro dicti ſunt *χριστοφόροι*, Chriſtofori, Sanctiferi, adoleſcentuli, agnelli, vituli lactentes, infantes, veri Iſraelitæ, & quæ huius ſunt generis plane vulgaris tenoris multa. Chreſtianos dici, ab iis putatur, qui originem nominis Chriſti ignorant. Sub finem capitis, inquirit Auctor in Chriſtianos illos, qui a maioribus Helleniſtæ dicti fuerint: ubi tuetur opinionem eorum, qui Helleniſtarum nomine ſtatuunt Græcos ſæpe, interdum autem Proſelytos iuſtitiæ e Græcis, fuiſſe nuncupatos. *Caput ſecundum* de contumelioſis agit nominibus, quibus Ethnici, Iudæi, atque Hæretici, orthodoxos Chriſtianos proſequebantur, talia fuerunt: Athei, Magi atque Malefici, Præſtigiatores, Sophiſtæ, impoſtores, & quæ non alia. Iſta omnia cum integris libris ab hominibus doctis expedita fuerint, ex quibus hic re-

Digitized by Google

petita ſunt, non opus eſt longius in enarratione iſtarum rerum hærere. Eo etiam pertinet *Caput tertium*, quod ex inſtituto de calumniis agit, quibus Ethnici Chriſtianos homines inſectati ſunt.

Acceſſum itaque facimus ad *librum ſecundum*, de origine & propagatione chriſtianæ religionis agentem, & octo capitibus diſtinctum. *Priora duo* capita admodum ſunt exigua, & reipublicæ Iudaicæ, ut & Romanæ, deſcribunt ſtatum, qualis fuerit eo tempore, quo Chriſtus natus erat, & inter homines verſabatur. Per partes hic ire tendit Auctor, ſtrictim enarrans, qualis eſſe debuerit ea ætate reſpublica Iudaica, ex vaticiniis ſcilicet veterum Prophetarum. Sic etiam nonnulla diſſerit de ſtatu religionis in Palæſtina, quo tempore inter nos vivebat Chriſtus, & ad civilem reipublicæ Romanæ faciem inde ſe convertit; inprimis argumentum de pace tractat, eo tempore ſtabilienda, quo Chriſtus naſceretur. Accedit hic iis, qui de humana ſeu civili id interpretantur pace. Meliori tamen iure, ex noſtra quidem ſententia, id ad divinæ pacis ſigna pertinet. Non omittit hac occaſione monere, ſub Auguſti imperio, conſtituta pace, cenſuque indicto, vias ad ultimos usque imperii Romani fines eſſe promotas, quo faciliori curſu religio Chriſtiana propagaretur. Ultima huius capitis parte de religione agitur Romanorum, & ſingulatim oſtenditur, tunc temporis Romanos permiſiſſe, ut peregrinæ religiones in Urbe eſſent, ſed caviſſe tamen, ne res publica inde detrimentum quoddam caperet. *Capitis tertii* ſumma eo redit, ut Auctor, excurſum levem faciens, ſtatum aliarum religionum exploret, quæ ſub adventum Chriſti in mundo fuerint. Hinc nonnulla hic legimus de Philoſophorum apud Græcos religione, de religione Ægyptiorum, Perſarum, populorum etiam eorum, qui ad ſeptentriones ſpectabant, ſuperſtitione, aliisque doctrinis religioſis, quibus omnibus nullum inerat ad virtutem incitamentum, ut adeo neceſſe fuerit, ut ea ætate divinus ille doctor gentium univerſarum veniret, qui tot malis remedia proponeret. In *Capite quarto* de origine ac propagatione Chriſtianæ religionis in Palæſtina

ſtina agitur, cum Chriſtus inter homines viveret. Nihil hic intactum omittitur, quod ex vita Chriſti quatuor Evangeliſtarum non adpareat ſatis iam eſſe cognitum atque perſpectum. *Caput quintum* tribus momentis abſolvitur. Operam enim ſuam Noſter primo eo impendit, ut ea recenſeat, quæ fata religionis Chriſtianæ in Palæſtina poſt adſcenſum Chriſti in coelos fuerint: ut deinde prodigia enarret a Deo per Apoſtolos patrata: & tandem de Iudæorum primis eccleſiæ ſæculis in Chriſtianos ſævitia exponat. *Caput ſextum* conſilium ab Apoſtolis ſuſceptum, regiones gentium peragrandi, aperit, deque eorum, inprimisque Petri ac Pauli, itineribus, atque Evangelii inter profanos homines propagatione, ſecundum placita Romanæ eccleſiæ ſociorum, quædam neceſſaria ſcitu proponit. Acceſſio fit huic capiti ſingulari diſſertatione, qua oſtenditur, plurimos Chriſtianos a Neronis Auguſti ad Traiani tempora floruiſſe. Dictum hoc eſt contra Vitringam, cuius argumenta ſolvere & enervare contendit Noſter. *Sequens caput* de prodigiis, prophetiæ dono, atque phænomenis exponit, quæ poſt mortem Apoſtolorum, tribus potiſſimum eccleſiæ ſeculis, obtinuerunt, ac deinde ad auctum ex eo Chriſtianorum numerum concludit. Ultimum eſt *Caput octavum*, quod de perſecutionibus plurima recenſet, quibus eccleſia Chriſtiana, quatuor prioribus ſæculis, fuit agitata. Undecim numerantur huiusmodi vexationes: Neroniana, dein Domitiana, Traiana, Hadriana, Antoniniana, Aureliana, Severiana, Maximiniana, Deciana, Valeriana, & denique Diocletiana. Colligitur inde ab Auctore, maximam SS. Martyrum eſſe multitudinem, auctumque Chriſtianorum numerum. Satis habebunt lectores de contentis huius libri. Superſunt duo adhuc, quæ adiiciamus, momenta. Alterum ad gravitatem, alterum ad ornatum libri pertinet. Prius poſitum eſt in eo, quod Auctor, licet ſuæ eccleſiæ inſtituta ſequatur, ubique tamen verba excitat & diligenter confert ſcriptorum, ex quibus narrationem ſuam inſtituit, ut ſine multo negotio perſpici liceat, quo veritas inclinet. Poſterius eſt tabularum ænea-

æncarum, quæ his commentariis ſunt adiectæ, elegantia, quibus inſignis apparatus iconum ligno inciſorum, per plurimas ſparſorum paginas, additur, ut illuſtrationem inde habeant dictorum lectores. Saltem Romani ritus ſocii multum inde voluptatis capturos eſſe ſperamus.

TRACTATUS THEOLOGICUS DE ÆQVILIBRIO peccati, & vicariarum Ieſu Chriſti paſſionum, publicis diſputationibus ventilatus & defenſus, auctore PETRO IANSSEN, S. S. Theol. Doct. eiusdemque & Hiſt. Eccleſ. in Acad. Duisburg. Prof. P. Ord.

Teutoburgi ad Rhenum 1753. apud Herm. Owenium, Academiæ bibliopolam, Alph. 1. pl. 10. in 4.

Nobiliſſimum & doctrina Auctoris clariſſimi digniſſimum eſt argumentum, per publicas disquiſitiones ventilatum, atque in publicam lucem nunc emiſſum. Non opus erit, nos in limine huius libri recenſendi iuſto longius commorari, lectoribus potius ſummam contentorum, explicatius indicaturi, & quantum ſatis ſit ad guſtum. In *Capite primo* ſecundum naturæ atque doctrinæ ordinem de demerito peccati agitur, ſecundum effatum apoſtolicum *1 Ioh. III, 4.* ubi finitio peccati ea conſtituenda venit, ut ſit omne illud, quicquid eſt & fit contra legem divinam, vel omittendo, vel committendo. Qua definitione omne peccatum tum naturale ſ. originale, tum actuale, comprehenditur. In illo habetur, quod eſt contra legem divinam; adeoque etiam habitus vitioſos in ſe comprehendit. In peccatis vero actualibus eſt aut fit aliquid contra legem Dei vel committendo interdictum, vel omittendo præceptum. In ſtatu præſente vero peccatum, in genere conſideratum, ita eſt comparatum, ut totus homo totius legis divinæ violator, ſecundum naturam, habendus ſit. Hinc non Dei amor, ſed concupiſcentia carnalis, horum actuum in hominibus naturalibus atque irregenitis principium eſt. Qua materiam actus iſti boni ſunt, non autem

autem qua formam, quæ, cum rei ſuum eſſe dat, ſequitur, quod vitioſum ſit omne, cuius forma eſt vitioſa. Quod uti fit in reliquis, ita etiam in triſtitia mundi ſecundum *2 Cor. VII, 10.* Ibi non eſt triſtitia hominis de Deo, per peccata offenſo, dolentis, ſed de mundo, aut amittendo, aut ex parte amiſſo. Adeoque eſt triſtitia ex mundi profluens amore. *Caput ſecundum* Peccati Demeritum metiendum ſibi ſumit. Intelligitur vero per illud in genere, quodcunque malum triſte, delinquenti eveniens, vel per naturalem nexum actus commiſſi, cum incommodo aut ægritudine, ex actu aut habitu vitioſo per ſe profluente, vel quo extrinſecus per ſententiam iudicis contemtores ac violatores legum afficiuntur. Præclare hæc omnia explicantur, uti res omnis tum ad naturalem, tum ad arbitrariam iudicis pœnam defertur. Speciatim tamen hic intelligitur pœna, quæ, intercedente iudiciali ſententia, a Deo infligitur, adeoque pœna, ſeu malum triſte eſt, inter quam, & delictum, exacta intercedit proportio ſeu convenientia. In hac conſiſtit æquilibrium peccati, ubi quaſi delictum in una lance poſitum, in altera vero pœna collocata fingitur. Pœnæ vero iſtæ multiplicis ſunt generis. Eſt alia correctoria & caſtigatoria, eademque eſt arbitraria: alia vero ſatisfactoria, eademque naturalis, qua Deus, ut iudex, delinquentes punit, ut ſatisfiat iuſtitiæ ſuæ, & læſæ ſuæ maieſtatis reparetur honos, quod ex perfectionibus divinis demonſtratur, atque ab obiectionibus adverſariorum vindicatur, iis inprimis, ubi falſo aſſeritur, quod Deus a iure ſuo diſcedere atque peccatum impunitum dimittere queat. Æquilibrium tamen ſervat exactum, ut pœna nec excedat, nec infra ſit demeritum, ubi illuſtratio quædam ex *Dan. V, 25.* additur. Pertinent huc etiam omnino pœnæ infernales, in quibus æquilibrium Deus ſervabit, ita, ut etiam hanc ob cauſam corpora mortuorum reſuſcitanda veniant, ut, qui fuit ſocius culpæ, ſocius item fiat pœnæ, nullaque pars ſubiecti peccantis impunita abeat. Obiter hic ad *Pſ. XXVIII, 4.* גמול redditur *fotus*, omne ſcilicet malum, quod foverunt impii, to-

tus maleficiorum nidus. Æquilibrium peccati ſervatur præterea in uſu talionis, qua malum idem, quo alius iniuria erat affectus, is, qui malum intulit, patitur. Quod ius, talionis ſcilicet, in pœnis, a Deo in graviſſima flagitia ſtatutis, deprehendimus. *Caput tertium* curatius, atque peculiari quadam ratione, pœnas damnatorum expendit, & ſingulas voces atque phraſes illuſtrat, quibus pœnæ iſtæ a Spiritu S. deſcribuntur. Per mortem ſpiritualem intelligit Noſter abſentiam occupationis a ſpiritu hominis, quæ ei, qua ſpiritui, conveniens eſt, & ſcopo reſpondet, ad quem eum Deus condidit, & facultatibus, quibus inſtructus eſt, inſtruxit. Mors temporalis dicitur mentis a corpore divulſio, uſu creaturarum, qui ope & beneficio corporis obtinuerat, animos, a corpore ſeiunctos, in totum atque perpetuum privans. Per hanc mortem in impiis, ab uſu atque perceptione iucunditatis, quæ ineſt in creaturis, divulſis atque excluſis, verum atque eſſentiale initium mortis æternæ inchoatur. Et hæc fuit mors, Adamo a Deo prædicta, de arbore cognitionis & mali comeſturo, atque omni omnium creaturarum uſu ac fruitione in perpetuum privando, neque ad ſuavitatem cœleſtium bonorum admittendo. In maledictione illa divina implicitum eſt illud, quod ſcilicet ipſa terra, quæ homini, in obedientia perſiſtenti, cœli fuiſſet veſtibulum, nunc in exitu huius mundi exuratur tandem. Notio hæc maledictionis divinæ amplius hic etiam enodata legitur, & inprimis urgetur, in diſperditione, ſeu ἀπώλεια illam *Matth. VII, 13.* conſiſtere, quod etiam ex parabola Chriſti *Luc. XVI.* confirmatur, ubi non inſcite etiam reliquæ phraſes ſcripturæ de ſtatu damnatorum excitantur atque explicantur. Occurrit hic etiam diſputatio de tempore durationis pœnarum infernalium, quæ æternæ & nullo unquam tempore finiendæ, ab Autore demonſtrantur. Additur hic etiam dilucidatio non indocta ex *Act. III, 21.* ubi per tempora reſtitutionis omnium rerum Autori intelligendum venit tempus reſurrectionis, qua plena & completa undique rerum omnium, per peccatum amiſ-

amiſſarum & perditarum, fiet *Reſtitutio* a ſemine mulieris ſanctificante, ſeu ſecundo Adamo, in ſemine mulieris ſanctificando, atque ex poteſtate diaboli, devicto ultimo hoſte, morte, plene tandem eripiendo. Quod ſi quis inter peccatum temporarium, atque pœnam æternam, proportionem deſiderare velit, illi reſpondet recte Autor, peccati gravitatem, non ex tempore, ſed ex natura iniuriæ, & perſonæ dignitate, cui fit iniuria, eſſe æſtimandam. Hinc etiam neceſſario dantur gradus damnatorum in inferno, quorum tres inprimis hic commemorantur cauſæ. *Caput quartum* æquitatem harum pœnarum conſiderat, ubi Autor recte atque præclare monet, iure in Dei incurrere maledictionem, qui benedictionem eius reſpuerunt, atque in maledictionem ſummam & conſummatam incurrere, qui conſummatam ſummæ & omnis benedictionis cauſam reſpuerunt. Manifeſta ſervatur æquitas, ſi Deus gloriæ, tam turpiter tamque iniurioſe & contumelioſe proculcatæ, vindicias æternas ſuſcipere velit. Hinc etiam patet, verè iudicium noviſſimum fore iudicium talionis, quod Paulus *Rom. II. 5. 7.* ampliſſime eſt proſecutus. Quo tandem pacto Deus gloriam ſuam, peſſimis modis obſcuratam, & nefario ſacrilegio quaſi raptam ſibi, poſt verborum & lenitudinis contemtum, poenarum teſtimoniis & factis, vindicatum ibit. In *Capite quinto* iam deſcenditur ad Paſſiones Ieſu Chriſti vicarias, harumque ad peccati demeritum rationem, & utriusque aquilibrium. In genere hic notandum venit, quicquid Servatori noſtro evenit, vilitatis, incommodi, inopiæ, ignominiæ, moleſtiæ, tædii, cruciatus, & ægritudinis, id omne *paſſionum* Ieſu Chriſti voce, ſenſu latisſimo, accipi. Statum exinanitionis Auctor noſter, ex more ſuo, exponit ita, ut ſit ille ſtatus, quo Servator, in terris agens, divinitatis gloriam poſt velum naturæ occultavit humanæ, neque inter ipſum & alios homines, qua externam ſpeciem, in oculos incurrit differentia. Ad locum Pauli *Phil. II. 7. 8.* notatur, duos diſtingui hic exinanitionis gradus, *κένωσιν* ſcilicet, ſeu exinanitionem, in ſpecie ſic dictam,

& ταπείνωσιν, ſeu depreſſionem, cui duos tribuit gradus; primo, quod fuerit Servator obediens usque ad mortem, & deinde, ad mortem usque crucis. Ad exinanitionem vero illam refertur incarnatio filii Dei, vilior externæ vitæ conditio, & humillima legis obedientia. Ad humiliationem in ſpecie ſic dictam, pertinent paſſiones Chriſti, in externas & internas, & deinde in mediatas & immediatas, dividendæ. Vicarias Chriſti eſſe paſſiones omnis ſcriptura loquitur, ubi Chriſtus dicitur ſponſor, cuius proprietas eſt, ut debitum alienum ſuſcipiat, loco debitoris a ſe ſolvendum. Videant lectores *Hebr. VII, 22. Pſ. CXIX, 122. Ieſ. XXXVIII, 14.* & rel. In primis in hanc rem notatu dignum eſt caput Eſaiæ quinquageſimum tertium, hic variis in locis illuſtratum. Porro hic conſiderandi veniunt loci, in quibus iuſtitia Dei punitiva in Paſſionibus Ieſu Chriſti dicitur demonſtrata, & in Evangelio manifeſtata, veluti *Rom. II, 25. 26.* & alibi. Porro clariſſime hoc evincunt teſtimonia, in quibus Chriſtus dicitur paſſus & mortuus pro nobis, pro multis, pro omnibus, ἀντὶ vice & loco aliorum. Amplius hic occurrunt teſtimonia, acceptilationem proſcribentia in paſſionibus dominicis. *Rom. VIII, 32.* Vox παρέδωκε deſignat, Deum, qua iudicem, filium ſuum univerſis poenis, earumque diritati omni, quam iuſtitia & lex poſtulabant, permiſiſſe omnino, neque, quo minus plena earum fieret executio, per amorem ſuum impedire voluiſſe, vel actu impediviſſe. Ex his Scripturæ S. teſtimoniis ſatis ſuperque evictum eſt, Ieſum Chriſtum tantundem, quantum meritus fuit peccator, paſſum omnino eſſe; atque ita ratione poenæ, quam electi meruerant peccatis ſuis, vicarias Chriſti paſſiones fuiſſe æquivalentes. In *Capite ſexto* hoc ulterius ex analogia ſcripturarum, & hiſtoria ſacra, demonſtratur. Iuvat hic inſpicere *Pſ. LXXXVIII.* cum *Pſalmis XXII. &* *LXIX.* comparatum, diligenter etiam a celeberrimo Auctore enarratum. Pro doloribus infernalibus excitatur *Pſalmus XVIII, 5. 6. Pſ. XVI, 10.* & alia ſcripturæ teſtimonia etiam huc quadrant. In *Pſ. XXII.* ſuam etiam Auctor & novam

hypo-

hypotheſin, ratione explicati vocabuli רמים profert, ac libero lectoris iudicio ſubmittit. Ceterum hic potiora huius Pſalmi capita enucleavit Auctor, ubi in plurimis *Coccei* legit veſtigia. *Caput ſeptimum* in ſpecie deſcendit ad ipſarum paſſionum, quas Dominus prius in horto Gethſemane, deinceps ſuſpenſus in cruce, ſubiit. Inſigniores Auctor, ad rem & ſcopum ſuum facientes, partes hic contemplatur, ubi in plurimas græcas voces inquiritur, & res ipſa clarior redditur. Lectu dignisſima etiam ſunt, quæ de poculo Servator, in paſſione ebibendo, deprecatus eſt. Fovet hic Auctor hanc opinionem, quod angelus de coelo nunciaverit Chriſto, poculum illud Gethſemaneum non eſſe reverſurum. Quod non impedit, quo minus ſtatim posſit, ſub vitæ finem, quando Servator alta voce clamabat: *Deus mi, Deus mi, quare dereliquiſti me*, idem pasſionum rediiſſe genus. Quia enim, licet redierit, id brevioris fuit temporis, & morte mox ſubſequente abruptum; non ſane fuit capax illud & amplum poculum, quod Servator in horto ebibere debuit. Advocat hic Noſter in ſubſidium, ad ſententiam ſuam confirmandam, locum Pauli *Hebr. V, 7.* breviter hic explicatum. Conſentit Auctor cum Beza, quoad ultima verba, ita vertenda: *exauditus a metu;* id eſt, exauditis precibus liberatus eſt a metu. Obiectionem quidem ipſe ſibi format contra ſuam hypotheſin, ex *Matth. XXVI, 42.* Ad quam vero etiam docte reſpondetur. Poſt hæc occupat diligentiam Auctoris pasſio Chriſti in foro eccleſiaſtico & politico ipſi inflicta, ubi ſingulis ex partibus pasſionum, ſingulæ peccatorum ſatisfactiones enarrantur. Sic, verbi gratia, in extrema ignominia conſtitutus Filius Dei, iniuriæ, a peccatoribus Deo factæ, mortiferæ concupiſcentiæ vitæ & uſui, ſummi atque æterni Numinis amicitiam poſtponentibus, compenſationem reddidit. Sic in aliis pasſionum generibus Chriſtus alia etiam peccatorum genera ſuſtulit; in voce Chriſti derelictionem ſuam divinam gemebundo ore profitentis hanc Noſter accipit ſenſus interpretationem: Deus mi, Deus mi, *quousque, ad quem gradum*, me dereliquiſti!

Exclamationi iſti, ex Auctoris cel. ſententia anſam dedit proximam impudentisſima illa Diaboli machinatio, aminum Servatoris a Deo ad defectionem abſtrahere ſollicitantis. Poſt hanc a Chriſto editam vocem lamentatio de ſiti ſequitur, *Ioh. XIX, 28.* Ex his omnibus intelligere licet, Spiritum ſanctum primos atque ultimos pasſionum actus perſcribendos curaſſe, ut percipiamus ſedulo, vim iræ divinæ, peccatoribus incumbentem, ſponſorem noſtrum graviter perſenſiſſe. De ſupplicio crucis, ignominioſo ſcilicet, dolorifico, & maledicto, præclaras Auctor concipit meditationes, lectoribus relinquendas ipſis. Ample in primis diſputatur contra *Caſaubonum* & *Moshemium* de eo, num apud Hebræos ſupplicium crucis fuerit uſitatum, ubi etiam peculiaris expoſitio loci Moſaici *Num. XXV, 4.* occurrit, amplifica ſane atque erudita. Ex toto vero ſupplicii genere Noſter conficit, ſporſorem tale ſupplicium obire oportuiſſe, ut proprium peccati demeritum ferat atque auferat. Cernitur etiam in ſupplicio crucis effigies & ſimulacrum ſtatus illius, in quo damnati erunt in gehenna. Caput. denique ultimum atque *octavum* ſingulari induſtria oſtendit, pasſiones Chriſti, ob divinitatem infinite æſtimandas, exæquare omnino infinitas peccatorum poenas, & hinc æquilibrium demeriti peccati & vicariarum pasſionum Chriſti per ſe patere. Ceterum, ut in reliquis, ita in eo etiam ſuæ eccleſiæ placita ſequitur Auctor, quando aſſerit, Chriſtum pro certa tantum humani generis parte, non pro omnibus omnino hominibus, morti ſe tradidiſſe, atque poenas vicarias ſubiiſſe. Ad finem denique libri Venerabilis Auctor ſummam momentorum, de pasſionibus Ieſu in hac commentatione exhibitorum, cum lectoribus communicat, ut habeant, ex quo uno intuitu diſcant, in quo æquilibrium pasſionum & peccatorum conveniat. Optamus autem, ut venerabilis Auctor omnem, quem meretur, de hoc libro applauſum doctorum virorum ferat, in quo multa ingenii atque doctrinæ edidit ſpecimina.

Anmer-

Digitized by Google

Anmerckungen von den Weſtphäliſchen Gerichten, auch den vormaligen Landgerichten in Teutſchland.

i. e.

OBSERVATIONES DE IUDICIIS WESTFALICIS, & priſtinis provincialibus iudiciis.

1751. 7 plagg. in 4.

Locum, quo liber formis publicis expreſſus eſt, ignoramus. Auctorem eſſe Ill. Conſiliarium aulicum Wolfenbuttelanum, fama nuntiat. Liber diligentiam, accurationem, & profundiorem notitiam rei iudiciariæ medii ævi ſpirat. Decerpemus inde nonnihil. Ad iudicia pacis referenda ſunt iudicia Weſtfalica, locum nacta, quum magiſtratus ordinarius delinquentem haud poterat corrigere ac punire. Ad violationem pacis publicæ res haud una fuit relata, in primis animus immoriger, ubi civis ante iudicii exitum ſubterfugiebat poenam, nec non bona moveri apta & immobilia. E communione proſcripti fuerunt delinquentes, pacis publicæ violatores. Proſcriptio illa vocata fuit *Acht*. Pro poteſtate magiſtratus proſcribentis eiusque amplitudine patebat vis & potentia proſcriptionis. Pacem provinciarum quondam conſtituerunt Reges ipſi, terras dum tranſierunt. Duces in comitiis provincialibus eam quoque paſſim ſtatuerunt, qua pacis conſervatores. Eorum citra diſſenſum in provinciis nemo iurisdictionem legitime valuit exercere. Duces eam in Comites exercebant, ac nonnunquam his partem eius tribuebant. Imperatores raro Ducibus partes exemerunt provinciarum, & in has iurisdictionem aliis adſignarunt. *Placita allodii* a. 1196. fuerunt adhuc ad ius Ducatus relata; paſſim tamen ratione caſuum definitorum penes Comites fuere, ex Ducum traditione, vel pacto alio. Sæpius ea ipſi Reges exercuerunt præſentes. Iudicia proſcriptoria, Ducatibus diſcerptis paſſim, abierunt in iudicia provincialia, quibus plerumque Imperator præſides præficiebat, ſcilicet Comites, Landgravios, Burggravios, Epiſco-

piſcopos, ut pax provinciarum conſervaretur. *Henrico Leone* Weſtfaliam deſerente ac amittente, pax ibi provincialis concidit. Comites Weſtfalici ex eo tempore iudicia libera ex feudo ab Imperatore obtinuerunt, eisque indiderunt nomen *imperialium placitorum*, licet ea a iudiciis provincialibus haud diſcreparent. Hæc eſt, iudice Noſtro, Weſtfalicorum iudiciorum liberorum, quorum quippe adſeſſores non poterant eſſe mancipia, origo. *Ducatus* ibi ſingulis fere Epiſcopis & Comitibus fuit a Rege indultus, indignante Colonienſi. Freigravii tamen ſeu adſeſſores & advocati, paſſim a Rege infeudati ſunt iudiciaria poteſtate per Weſtfaliam, indigne id ferentibus provinciarum Dominis. Freigravii coeperunt ex eo ſibi perſuadere, ſuum quoque eſſe, iudicia promulgare in homines, extra Weſtfaliam incolentes. Ea poteſtate adfectata abuſi, exciderunt tandem omni ſua auctoritate, proceribus imperii Reges fatigantibus, ut hi, Reges, poteſtatem illorum imminuerent ac frangerent. Ex diplomatibus actisque publicis hæc ita illuſtravit Auctor, ut in luce clariſſima emineant.

Digitized by Google

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine continentur:

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Anſaldus (*Caſt. Innoc.*) *de forenſi Iudaeorum buccina* 222
Balthaſar (*Iac. Henr.*) *Hiſtoria libelli Torgenſis, P. V.* 126
Bernini (*Dom.*) *Vita Card. d. Ioſ. Mariae Thomaſii. ed. 3.* 472
Chryſoſtomi a St. Ioſepho (*Io.*) *diſſ. de Canone ſacr. librorum &c. II. de Numero Canonum. III. de S. Athanaſii appellatione ad Iulium, P. &c.* 438
Fonſecæ (*Ant.*) *de Baſilica S. Laurentii in Damaſo libri III.* 117
Gudii (*Gottl. Frid.*) *diſſertationum Exeget. theol. Trias.* 175
Ianſſen (*Petr.*) *Tr. de Aequilibrio peccati &c.* 536
Mamachii (*Fr. Tho. Mar.*) *Origines & Antiquitates Chriſt.* T. I. 529
Mogilæ (*Pet.*) *Orthodoxa Confeſſio Eccleſiae Or. per* C. G. Hofmannum. 452
Neal (*Dan.*) *Hiſtoria Puritanorum.* Vol. IV. 388
Norrelii (*Andr.*) *Diatr. de Avibus, eſu licitis &c.* 496
Oertelii (*Io. God.*) *Theologia Æthiopum.* 110
Pecci (*Io. Ant.*) *Hiſtoria Epiſcopatus urbis Senarum.* 140
Plati (*Hier.*) *Tr. de Cardinalis dignitate & officio ex ed.* Io. Andr. Tria. *ed. 4.* 279
Pontoppidani (*Erici*) *Annales Eccleſiae Danicae diplomatici.* P. II. 426
Acta d. Reſtitutæ *c. philol. enarratt.* Iac. Caſtelli. 430
Roellii (*Herm. Alex.*) *Exegeſis in Pſ. LXXXIX.* 11
Siepii (*Io. Andr.*) *Vindiciae de diſcipulis XII. Epheſinis in Ioh. baptiſma baptizatis &c.* 433
Sormani (*Nic.*) *Apologiſmorum Mediolanenſium* Vol. I. 181
Struchtmeyeri (*Io. Cph.*) *Theologia mythica.* Libri V. 232

Zzz Wal-

Digitized by Google

Walchii (*Chr. Guil. Fr.*) *Hiſtoria Patriarcharum Iudaeorum.* 465
Wernsdorfii (*Gottl.*) *Comm. de fide hiſt. librorum Maccabaicorum adv. Er. Froelichium.* 212
Winckleri (*Io. Diet.*) *Bibl. exeget. diſquiſitiones.* P. II. III. 312
a Windheim (*Chr. Ern.*) *Obſervationes th. hiſt. ad Benedicti XIV, P. M., ad Epiſcopum Auguſtanum ep. de ſanctis eccl. Rom. &c.* 88

II. *Libri Iuridici.*

Anonymi *Obſervationum I. C. Rom. liber.* 484
Obſervationes de Iudiciis Weſtfalicis &c. 543
Buderi (*Chr. Gottl.*) *Amoenitates I. Pub. S. I. R. Germanici.* 71
Markarti (*Io. Guil.*) *Interpretationum receptarum I. Civ. lectionum libri II.* 1
Taylor (*Io.*) *Comm. ad L. decemviralem de inope debitore in partes diſſecando.* 49

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Anonymi *diſſertatt. II. de Febribus & de ſucco nervorum.* 408
Somnium philoſ. de cauſſis pluviae. 459
Barbelini (*Cam.*) *diſſ. de Origine fermenti ſtomachici & glandularum tunicae villoſae.* 263
Buffonis & Daubentonis *Hiſtoria naturalis c. deſcript. Muſei Regii.* T. I. II. III. 22
Columnæ (*Fabii*) *Phytobaſanus per* Ian. Plancum. 97
Crivelli (*Io.*) *Elementa Phyſices.* Partes II. ed. 2. 265
Edwardi (*Ge.*) *Hiſtoria nat. avium.* 367
Euſtachii (*Barth.*) *Anatomicae originales tabulae per* Cai. Petriolum. 185
Fizes (*Ant.*) *Opera medica.* 487
Geoffroy (*Steph. Franc.*) *Tr. de Materia med.* T. I. II. III. 27
Guglienzi (*Io. Paul.*) & Seguier (*Io. Franc.*) *Obſervatt. Cometae a. 1744. & duarum eclipſium lunarium.* 324
Hannoni (*Angeli*) *diſſertatt. chyrurgicae.* 317
Meadii (*Rich.*) *diſſ. de peſtiferae Contagionis natura & remediis, italice per* Io. Gentili. 64

Petrioli

Petrioli (*Caiet.*) *Adverſaria Anatomica ad Explicationes* Io. Mar. Lanciſi, *tabularum* B. Euſtachii. 185
Quaglia (*Ger.*) *de Venae ſectionis uſu pro medicina facienda, diſſ.* 407
Spadæ (*Io. Iac.*) *Corporum lapideſactorum agri Veronenſis Catalogus. ed. 2.* 477
Viſonis (*Lud.*) *de Uſu Verberum in medicina, opus.* 411

IV. *Libri Mathematici.*

Capelli (*Can. Ang.*) *Compendium operationum geometricarum &c.* 324
Caraccioli (*Io. Bapt.*) *de lineis curvis liber.* 322
Heathcote (*R.*) *Hiſtoria Aſtronomiae.* 14

V. *Libri Hiſtorici, Geographici &c.*

Anonymi *diſſertationes de Origine Francorum.* 284
Arnoldi (*Dan. Henr.*) *Regiomontanae Acad. hiſtor.* Part. II. 524
Bonifacii (*Io.*) *Hiſtoria Tarviſienſis.* 289
Condaminii *Narratio Itineris facti in interiora Americae meridionalis.* 516
Fiſcheri (*Erdm. Rud.*) *Vita Ern. Sal. Cypriani.* 269
Frey (*Io. Iac.*) *de Muntmannis.* 456
Genebrier *Vita Carauſii, Imp. Magnae Brit.* 84
Hanthaleri (*Chryſ.*) *Faſti Campililienſes.* T. I. 241
de Iordan (*Io. Cph.*) *de Originibus Slavicis.* Tomi II. 145
Lælii *de* Vulpe (*Io. Pet. Zanottii*) *Hiſtoria Academiae Clementinae Bononienſis.* Vol. I. II. 413
Loeber (*Gotth. Fridem.*) *de Burggraviis Orlamundanis.* 41
d' Oliveyra *Commentarii Luſitaniae.* Tomi II. 385
Roederi (*Io. Paul.*) *Comm. de Ortu & Progreſſu Civitatis Norimbergenſis &c.* 123
de Weſtphalen (*Ern. Ioa.*) *Monumenta inedita rerum Germanicarum &c.* Tomus IV. 193

Digitized by Google

VI. *Libri Miſcellanei.*

Anonymi *Ambitus Artium humaniorum per exercitia deſcriptus.* 130
*Antiquitates Romanorum explicatae in commentariis Comitis de B** complexis.* 460
de linguarum Artificio & doctrina. 469
Periculum de Educatione Nobilium. Partes II. 511
Bergeri (*Io. Guil.*) *Eclogarium Corſicum.* 52
Brigidæ (*Ioſ. Aug.*) *Reſp. ad lib. de impendio pecuniae.* 420
Chriſtii (*Ioh. Frid.*) *Villaticum.* 55
pro Patrimonio Poetarum orationes III. 127
Eckhardi (*Chr. Henr.*) *Introductio in rem diplomaticam, praec. germanicam &c.* 361
Facciolati (*Iac.*) *Orationes & alia ad dicendi artem pertinentia.* 68
Flori (*L. Ann.*) *Epitome rerum Romanarum c. not.* Car. Andr. Dukeri. *ed.* 2. 75
Formey (*I. H. Sam.*) *Elementa Philoſophiae.* 121
Gelaſti Maſtigophori *Epiſtolae ad Clementem Binium.* 333
Gravii (*Io.*) *Opera miſcellanea.* Tomi II. 37
Hirſchii (*Car. Chr.*) *Librorum ab a. L usque ad a. L. Sec. XVI. typis exſcriptorum millenarius II.* 508
Iuvenalis *Satyrae c. Transl. Angl. & annot.* 396
Lagomarſini (*Hier.*) *Orationes V.* 329
Maffeii (*March. Scip.*) *Graecorum Siglae lapidariae.* 72
Martinii (*Iac.*) *Commentarius in monumenta notatu digniſſima &c.* 337
Plutarchus *de liberorum Educatione ex ed.* Iac. Fr. Heuſingeri. 481
Poetarum *rec. Germanorum Carmina lat. ſel. ex rec.* Io. Tob. Roenickii. 502
Quirini (*Ang.*) *decas Epiſtolarum.* 178
Riccoboni (*Lud.*) *Cogitata de diverſis Europae Theatris.* 417
Struvii (*Burc. Gotth.*) *Bibliotheca hiſt. ſel. per* Chr. Gottl. Buderum. *ed.* 4. 372

ex

Digitized by Google

ex Taylor (*Io.*) *rec. Or. Demoſthenis contra Midiam, & Lycurgi contra Leocratem.* 78
Vegetii *Inſtitutiones militares.* 189
Zanolini (*Ant.*) *Lexicon Chaldaico Rabbinicum.* 306

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abundantia *in numis quid?* 88
Academiæ *Bononienſis hiſtoria* 413 ſqq. *viri cel.* 416. Culmenſis *natales, cui debeat?* 525. Lynceorum *hiſt.* 98 ſqq. *Bibliothecarius* 105. Pariſienſis *rectores* 427. Perſeverantium *origo* 306. Regiomontanæ *hiſt.* 524 ſqq. Sollicitorum *origo Tarviſii* 305
Acaragantes *qui?* 155
Acht *quid?* 543
Actorum *diviſio in ordines* 192
Adalberti *res geſtæ & mors* 245
Adamus, *Monachus Ciſtercienſis, laudatus* 259
Adeodati, *Ep., electio & controverſia* 142
Aechmalotarchi *qui?* 468
Aegyptiorum *ſcientia aſtronomica* 16. *religio* 355. *computandi annos ratio* ib. ſq.
Aethiopum *nomina diverſa* 110 ſq. *dogmata præcipua* ibid. ſqq.
Agnetis *velum an figmentum?* 247 ſq.
Alamanni *unde nomen?* 151
Albertus I. *quo anno Imp.?* 262
Albertus, I. *Boruſſorum dux, litterarum promotor* 525 ſq.
Albigenſium *ſecta deleta* 256
Ἀλέκτωρ *quid ſignificet?* 224 ſqq.
Alleluia *quis cantionis eius introduxerit uſum?* 121
ab Altmann (*Car.*) *tentamen hiſt. de Leopoldo ill.* 244
Amazonum *fluvius unde nomen?* 517 ſqq. *exiſtentia* 520. *lapis* 521
Anaſtaſius *num totius Pontificalis Rom. auctor?* 472 ſq.
Anglia *olim Galliae continua* 24. *in ea motus* 389
Animalium *origo* 25
Anni *Romani initium quotuplex?* 168 ſq. *annorum Olympiadicorum computatio quotuplex?* 169
Anonymi *conſideratio Gravianae Pyramidograph. ex Mſto* pri-

Digitized by Google

primum expreſſa 38. *poema theotiſcum recuſum* 254
Antonini (*M.*) *itinerarium unde nomen?* 171
de Apocalypſi *teſtimonium* 447
Apocryphi *V. T. pro canonicis non habiti, quando?* 440. 443
Apollonii *codex arab. antiquiſſimus* 39
de Apologis *præcepta* 132
Apotheoſeos *ratio unde petenda?* 237
Aquinatis (*Tho.*) *mors* 261
Arabum *ſcientiae aſtron. ſtudium* 18
de Archicancellariis 365 ſq.
cum Aretino (*Pet.*) *Epiſc. controverſia* 142 ſq.
ſub Aſcia *dedicare quid?* 354
Aſtronomi *celeberrimi* 17 ſqq.
Aſtronomiæ *origo* 15 ſq. *ante diluvium incerta* 16. *cultura Alexandriae* 18
Athec *quis?* 88
Atomi *quid?* 266
ap. Atticos *numerorum ratio* 74
Aventini *&* *Brunneri ſententiae de Slavis diverſae examinantur* 163
Auguſti *tutela quo referenda ſit?* 88. *initium imperii quadruplex* 169 ſq. *comparatio cum Chriſto* 239
Aulæ *Turcicae Conſtantinopolitanae deſcriptio* 41
Avium *hiſtoria nat.* 367 ſqq. *de eſu licitis* 496 ſqq.
Auſtriacus *marchionatus quo tempore nondum fuerit hereditarius?* 248
Auſtriæ *ſtatus miſer* 257

B.

Babenbergici *duces & Marchiones vett. male ad ducum Bavarorum ſtirpem referuntur* 243 ſq.
Bacchi *ſollemnia* 350. *cognomen* 352
Bagaudæ *unde nomen?* 84 ſq.
Baptiſma (*Ioh.*) *quid?* 434 ſq.
Baptizare *in nomen I. C. quid?* 436
Barbari *qui?* 154. 172
Barnabas, *Ap., primus archiep. Mediolan.* 181 ſq. *de eo teſtimonium* 182. *in Italiam quando venerit?* 183. *ei. ingreſſus in urbem Mediolani quando celebretur?* ibid. *ei. caput ubi aſſervetur?* 184
de Baſilica *S. Laurentii* 117 ſqq. *quis eam reſtaurarit?* 121
Benedictus XIV, *P. M., laudatus* 88 ſq. *ei. in haereticos verba* 90. *cura in eccl.* 92. *vehementia in doctores Luth.* 93. *quartum Sanctorum ſignum addit* ibid.
Bergeri (*Io. Guil.*) *mors* 55
Bilis *ſecretio quando ſiat?* 495
Bircherodii (*Tho. Broderi*) *taurus ſacer* 206 ſq. *annotatt.*

Digitized by Google

tatt. in Aelmothi lib. de vita & paſſione S. Canuti ibid.
Bivalvia *corpora quid?* 480
Bohemi *qui?* 163 ſq. *eorum fata* 166. *hodiernorum origo* 172
Bohemiæ *incolarum religio* 172. *ad pugnam eundi modus &c.* 173
Boiohemia *quid?* 147
Boiorum *diviſio* 146 ſq.
Bonifacii (*Io.*) *vita* 289 ſq.
Breviarium *rom. oculis Monachorum ſubtractum* 89
Broderi (*Enewald*) *Schleswig Holſteiniſche Ritter-Chronicon* 208
Brun (*Nic.*) *Chronicon* 427
de Buccina *Iudaeorum forenſi* 222 ſqq.
Buffonis *de methodo hiſt. nat. ſententia* 23
Bulgari *qui?* 173
Burdigalenſe *itinerarium quando compilatum?* 171 ſq.

C.

de Cabbala 309
Cælicolæ *qui?* 466
Cæſii (*Frid.*) *numiſma exponitur* 100. *nomen, quo falſo appelletur?* 102. *elogium* ibid. ſq.
Calderon (*Petr.*) *laudatus* 419
Calor *vitalis quid?* 265
Campililii *monaſterii nomen unde?* 243. *fundator* ibid. *fundatio* 252 ſqq.
Cancellariorum *nomen unde?* 364 ſq.
Ante Canoniſationem *SSt. verba Pontif.* 90. *de ea variae ſententiae* 94 ſq.
Canonizandi *ritus* 88 ſqq.
Canon *Sacr. librorum* 438 ſqq. *biblicus ab eccl. differt* 441 ſq. *Ebraeorum alius, alius Chriſtianorum* 446. *numerus* 449 ſqq.
Canonici *libri a non canonicis diſcernendi ſunt* 443. *appellantur eccleſiaſtici* 444. *eorum diſtinctio* ibid.
Cantandi *mos quando continuatus?* 120
Capellanorum *nomen unde?* 365
Carauſii, *Imp. Magn. Brit., vita, res geſtae & fata* 84 ſqq.
de Cardinalis *dignitate & officio* 279 ſqq.
Carentius *an Carauſius?* 87
Caroli, *Regis Angliae, mors* 389. II. *mors* 395
Carolus Craſſus *uſum annorum Chriſti in diplomatibus magis firmavit* 366
Carteſius (*Ren.*) *Ariſtotelem e ſcholis eliminat* 21. *ei. Syſtema* 267 ſq.
de Cataracta 320 ſq. 493
Catechiſmi *Ruſſorum auctor quis?* 454 ſq.

Cc.

Ceſenæ *epiſcopi quo ſec. floruerint?* 141
Chaldæorum *ſcientia aſtron.* 16
Charvati *qui?* 155
Chriſti *& Davidis convenientia* 13. *natales* 169. *dialectus quae fuerit?* 229. *de ei. annorum uſu* 360. *paſſio ſcenice repraeſentata* 417 *paſſiones vic.* 539 ſqq. *ſtatus exinanit. quid?* ib. ſq. *ſupplicium* 542
Chriſtianorum *nomina* 532 ſqq. *Symbolum* 533 *vexationes* 535
Chylificationis *ratio* 263 ſqq.
Cignani (*Car.*) *mors* 416
Ciſtercienſis *ordo a quo in Auſtriam introductus?* 247. *ei. monaſterium* ibid. *ei. viri cel.* 252 ſqq. *merita & fata* 256 ſqq. *eum etiam feminae illuſtrant* 258
Clementinarum *recognitionum auctor quando vixerit?* 183
Codagapalæ *corticis natura & virtus* 35 ſqq.
Cognati *Ebraeis qui dicantur?* 219 ſq.
de Cointii (*Car.*) *Annalibus eccl. iudicium* 382 ſq.
Columnæ (*Fabii*) *vita* 98 ſqq.
Cometæ *a. 1744. & duarum eclipſium lunarium obſervatt.* 324 ſqq.
Comoediarum *gallicarum aetas* 419
Concilium, *Tridentinum an invocationem ſanctorum iubeat?* 94 *adv. Maxentium* 118 *Apollinarem* 119 *Valentiae in Gallia* ibid. *Conſtantinopolitanum a quo indictum?* ibid. *Lateranenſe* 142 ſq.
Conclamationis *ritus ap. vett.* 343. 345. 349
Conſecratio *& dedicatio num differant?* 354
Contagionis *peſtiferae natura & remedium* 64 ſqq.
Copernicus (*Nic.*) *Syſtema Philolaicum facit ſuum* 19
Corcyræ *nomen unde?* 178
Coronati *qui?* 345. 347. 349 *divi quatuor, unde nomen?* ib.
Corporum *lapidefactorum claſſes* 479 ſq.
Corſi *qui?* 53 *duplicis ſunt generis* 54 *eorum virtutes & vitia* 55
Corſicæ *inſulae diviſio & deſcriptio* 53 ſq.
Creſcentiæ, *mulieris cuiusdam Kaufbergenſis, canoniſatio* 91 ſq.
Crivelli (*Io.*) *mors* 265
Croatarum *nomen unde?* 155
Cromwellii *fata* 389 ſqq.
Curia, *nomen unde?* 236
Curionis (*Coelii Sec.*) *dialogi* 176 *ſententia de paucitate ſalvandorum* 177
Cuſchitæ *qui?* 110

Cypria-

Cypriani (*Ern. Sal.*) *vita* 269
Czechus *quo tempore in Bohemiam migraverit?* 150 ſqq.

D.

Damnatos *non manere infernalem poenam qui affirment?* 428
S. Damaſi *vita* 118 ſqq.
Davidis *&* *Chriſti convenientia* 13
Deaſtrorum *ſeptentrionalium cultus* 201
de Debitore *inope in partes ſecando* 50 ſqq.
Dedicare *quid?* 354
Dedicatio *&* *conſecratio num differant?* 354
Dei *libertas* 333 ſqq.
Demoſthenis *or. Midiam or. num fuerit habita?* 80 ſq.
adv. Dentium *dolores medicina* 36
Deſerta *quae?* 7
in Diarrhoea *remedium* 37
Diei *ſeptimi celebratio ante Moſen* 237
Digeſtorum *capita quaedam explicantur* 3. 5. 9
Diplomataria *diverſa* 209 ſqq.
Diplomatum *chronologia, ſcriptura &c.* 361 ſqq.
de Diſcipulis *XII. Epheſ. in Ioh. baptiſma baptizatis* 433
Doctrina *moralis in eccl. rom. emendata* 89
Doitsma (*Io.*) *laudatus* 231 ſq.
Doni (*Io. Bapt.*) *de praeſtantia muſicae vet. liber* 100
Dotalitium *quid & quomodo conſtituendum?* 363
Dramata *S. quae?* 418 ſq.
Dreyerus (*Io. Ca. Henr.*) *laudatus* 211 ſq.
Druidæ *Auguſtoduni ſcholam aperuerunt* 85
de Druidibus *Galliae* 355
Dukerus *quibus uſus ſit mſſ. & codd. in edendo Floro* 77
adverſus Dyſenteriam *medicina* 36

E.

ad Ebræos *ep. Paulli θεοπνευϛία dubia* 446
Eccleſiæ Danicæ *annales* 426
Græcæ *cum Aethiopica ſimilitudo* 112 Mediolanenſis *origo apoſt.* 181 ſqq.
Romanæ *de ſanctis ſententia* 88 ſqq. *& invocatione ſanctorum diffidia* 94 ſq. 118 *iubilaeum quo anno & a quo fuerit primum inſtitutum?* 262
Eclogæ *quae?* 133 *propter eas qui laudentur?* 134
Edi *rem ratam quid?* 5
Edimburgenſis *ſocietatis acta* 26
Ἐιρήνη *quid notet ap. Ebraeos?* 220
de Elegia *praecepta* 135

Elyſii *Origo* 232 ſqq.
Epigrammatum *natura* 136
Epiſcopi *Mediolanenſes primi* 182. 184 *Senenſium hiſt.* 140 ſqq.
Epiſtolæ *ad Epiſcop. Auguſtanum quae auctoritas?* 92 ſq.
Epiſtolographi *quidam laudati* 515
Erici VIII, *Mendeved Regis, mors* 428
Erneſti *coniux quae?* 245 *de ei. filiis fabula* ibid. *cognomen* 246 *mors* ibid.
de Eryſipelate 490
de Europæ *diverſis theatris hiſt. & crit.* 417 ſqq.
Europæorum *aſtronomiae ſtudium* 19 ſq.
Euſtachii (*Barth.*) *vita* 186
Exinanitio *C. quid?* 539

F.

Fabii (*Col.*) *vita* 98 ſqq.
Fabri (*Io.*) *elogium* 104
Fabularum *paganitas accuſata* 128 ſqq. *uſus multiplex* 129 *poetarum ſenſus* 233
de Falkenſtein (*Io. H.*) *refellitur* 125 ſq.
Faviana *quid?* 250
de Febribus 409 ſqq.
Feminæ *an potuerint dedicare ſub Aſcia?* 354
Fermenti *ſtomachici origo* 263
Feſtorum *dierum numerus imminutus* 89
de Fiſtula *lachrymali* 317 ſqq.
Flori *locus quidam vindicatus* 77
Francia *nova quae?* 163 *orientalis* 164
Franciſcanorum *coenobium a quo fundatum?* 255
Francorum *origo* 284 ſqq. *lingua theotiſca* 287
de Fratribus 7 *hiſt.* 217
Friderici *Imp. diploma recuſum* 249 *de catholico* 251 ſq. Suev. Dux. *num fuerit princeps Noribergae?* 124 II. *ſingularis in aſtronomiam propenſio* 19 *lites exortae cum Gregorio X.* 300 *excommunicatus ab eo* ibid.
Froelichius (*Eraſm.*) *refellitur* 212 ſqq.
Funebrium *cerimoniarum ap. Vett. ratio* 343 ſqq.

G.

Galilæi *Florent. fata* 20
Galilæi (*Galil.*) *elogium* 103
Galli *albi differentia a gallo gallinaceo* 228
de Gallis *gallinaceis Iudaeorum Hieroſ. non alendis* 224 *lex quos obligarit?* 231
Gallorum *verſificatio prae veterum lat. laudatur* 133 *de antiqua forma Sagi adv. Deſlandium* 358

Gela-

Digitized by Google

Gelaſianum *decretum de libris can. ſuppoſititium* 214
Gentiles *an crediderint Deum unum & trinum?* 234 ſq.
Genua *unde ſuperba dicatur?* 462
Geoffroy (*St. Franc.*) *vita & ſcripta* 27 ſqq.
Gepidi *unde?* 159 ſq.
Germanicarum *rerum monumenta* 193 ſqq.
Gezim *qui?* 111
Glandularum *tunicae villoſae origo* 263 ſqq.
Glorificationis *formula Pſalmo cuique annexa a quo?* 121
Gomez (*Ant. Henr.*) *opera in Luſitania legi interdicta* 387
Gothi *unde?* 152 *eorum res geſtae* ibid. ſq. 293 ſq.
Græcorum *aſtronomia fabuloſa* 15 *ſcientia aſtron.* 16 ſqq. *aſtronomus princeps* 17 *philoſophiam tradendi modus taxatur* 21 *Siglae lapidariae explicatae* 72 ſqq. *hymni quadrag.* 179
Gratia *aedificanda quid ſit?* 11
Gregorii X. *P. M. de novo imperii capite conſtituendo cura* 260 *lites cum Friderico II.* 300
Groſſenhayn *unde nomen?* 56
Gualterii (*Nic.*) *ſtella* 109 ſq.
Guiduccii (*Mar.*) *Florent. elogium* 103

H.

Haberi *rem ratam quid?* 5
Habeſſini *unde nomen?* 110 ſq.
contra Hæmorrhoides *medicina* 36
Hamburgenſis *iuris codex antiquiſſimus recuſus* 209 ſq.
de Hamburgenſium *maialibus* 195 ſqq.
Helleniſtæ *qui?* 533
Henrici, Leopoldi *fil. cognomen* 244 *mors* 245 ll. *res geſtae & cognomen* 249 ſq. Superbus *an Noribergam & Gredingam lege benefic. ſuſceperit?* 124 ſq.
Heruli *unde?* 156 *eorum ſedes* ibid. *fata* 157 ſqq.
Heſſi (*Hel. Eob.*) *Bucolicorum Idyllia recuſa* 509 ſq.
in Hieronymi *Operum nov. ed. animadverſiones crit.* 360 ſq. *ei. teſtimonium de libro Iudith in can. bibl. non recepto* 441. 445
Hinderſaſſi *a Muntmannis differunt* 459
Hiſpani *quando theatrum inſtaurarint?* 418 ſq.
de Hiſtoriæ *romanae quibusdam ſcriptoribus iudicium* 191
Homeritæ *qui?* 111
Humaniorum *artium ambitus* 130 ſqq.
Hungari *vocis Etymologia* 162
Hunnorum *fata* 162 *occupatio Tarviſii* 296
de Hutten (*Ult.*) *libri ed. recuſi* 509

de Hymnis *rite modulandis certam normam quis praeſcripſerit?* 120 *de quadrageſimalibus Graecorum ep.* 179

I.

I. P. i. e. *Ianus Plancus* 97 ſq.
Iacobus I. *ordini Ciſterc. nomen dedit* 261
S. Iacobi *templum qua occaſione Venetiis exſtructum?* 292 ſq.
Iani *nomen unde?* 236
Ichnographia 23
Idæi *qui?* 227
Idylliorum *natura* 133 ſq.
Ieſſæi *qui?* 533 ſq.
Ignis *effectus in peſte* 67
Imperator *Chriſtianus* I. 292
Indictionum *dipl. ſpecies* 366
Inflammationis *curatio* 488 ſq.
Interpretandi *regulae* 138 ſq.
Intronati *qui?* 417
Invocationem SSt. *quis iubeat?* 94
Iobi *cognitio ſiderum* 16
Iohannis *baptiſma quid & unde nomen?* 434 *ei. & Apoſtolorum miniſterii differentia* 435 ſq.
Iohannes *de Wardo, Mon. Dun., primus ex ordine Ciſterc. magiſter theologiae Pariſ. renuntiatus* 261 ſq.
de Iordan (*Io. Chph.*) *obitus* 175
Iſidori (*Merc.*) *epiſtolae confictae* 120
Iſis *quis?* 235 *ei. ſigna* 355
Itali *reprehenduntur* 134 330 *rem comicam quando illuſtrarint?* 417 *paſſionem Chriſti repraeſentarunt* ibid. *eorum cantores praecipui* 418 *res comica hod.* ibid. ſq.
Itinerarium *rom. triplex* 171
Iudæorum *cubitus ſacer* 39 *cum Aethiopibus convenientia* 113 *buccinatores* 223 *ſententia de gallis gallinac. Hieroſ. non alendis examinata* 224 *nomen* 227 *ius vitae ac necis patiente Chriſto* 228 ſq. *diviſio* 467
Iudith *liber an in canonem bibl. collocatus?* 441 *non eſt canonicus* 445 ſq.
Iuliana *Monial. Ciſterc. feſtum corporis Chriſti celebrandum inſtituit* 260
Iupiter *ſummanus quis?* 359 ſq.
Iuris *civ. praeſtantia* 1 ſq. *rom. obſ. quaedam* 484 ſqq.
Ius *Hollicum quid?* 198 *vitae ac necis patiente Chriſto qui habuerint?* 228 ſq.
Iuſſieu *laudatus* 28 ſq.
Iuſtelli (*Chph.*) *Codex canonum eccl. Afric.* 440
Iutſches *Lowbuch quid?* 208 ſq.
Iuvenalis *loca quaedam illuſtrantur* 399 ſqq.

K. de

Digitized by Google

K.

de Kirchberc, *Burggravius, quis?* 42
a Kirchberg (*Ern.*) *Chronicon Mecklenburgicum* 203
Keplerus (*Io.*) *Tychonis de Brahe catalogum ſtellarum auxit* 20 *laudatur* 21

L.

Lampius (*Io.*) *taxatur* 176
Langobardorum *origo* 160 *nomen unde?* ibid. *regni finis* 294 ſq.
Lapidum *fiſſurae unde?* 24
Latomi (*Bernh.*) *Genealo-Chronicon Megapolitanum recuſum* 202 ſq. *hiſt. Epiſcopiae Megapolenſis* 203
Laureati *homines qui?* 345
S. Laurentii *Baſilica* 117 ſqq.
Lauretanæ *aedis fabella inter credenda refertur* 90
Lech, *Bohem. dux, occiſus* 166
Lechi *in Bohemiam emigratio quando?* 150 ſqq. 173 *in Poloniam* 174
Leibnitiana *principia* 266 ſqq.
Leopoldorum *merita* 244 ſqq.
Leopoldus VII. *fundator monaſterii Campililienſis* 243 *ei. parentes* 244 *litterae fundationis* 253 ſq. *mors* 255
Lexicon *chaldaico Rabbinicum* 306
Leyſeri *diſtinctio inter res mobiles & immobiles reprehenditur* 7
Libitinarii *qui?* 345. 349 ſq. *cur iis corona laureata data ſit?* 350
Libri *novi num ſint condendi?* 106 ſq. *eorum caſtigatio & cenſura num licita & quomodo inſtituenda?* 337 *ab a I. L. ſec. XVI. typis exſcriptorum millenarius* 11. 508
de Liene *ſano hominis* 494 ſq.
Lilienfeld *quid?* 243
Limigantes *qui?* 153. 161
Linearum *curvarum natura* 322 *diſtinctio* ibid. ſqq.
Lingua *chaldaica num ab ebraea diſtincta?* 310 *in gallica quis ſit ordo?* 137 ſq. *latina an ex grammaticorum libris ſit comparanda?* 69 *commendatur* 330 *Slavonica* 174
de Linguarum *artificio & doctrina* 469 ſqq.
de Lipſiæ *urbis nomine* 58
de Lubecenſium *praeſtationibus martinalibus* 195 ſqq.
Ludewig (*Io. Pet.*) *taxatur* 125 ſq.
Ludovicus *Severus, Boioariae dux, condit monaſterium* 260
Lugdunum *gallorum, urbs deſcripta* 462
Luſitanorum *hiſt.* 385 ſqq. *ſancti Cardinales, Praelati &c.* 387

Lutherus *laudatur* 58 ſq. 62 *appellatur Severi aſſecla* 93 *reiicit definitionem liberi arbitrii Ph. Mel.* 126
Lycurgi *vita* 79 *cognomen* ib. *de eo teſtimonium* ibid.
Lygii *qui?* 165
Lynceorum *Acad. hiſtoria* 98 ſqq. *ſymbolum* 98 *anulus aureus* 102 ſq. *academici celebres* ibid. ſqq. *Bibliothecarius* 105

M.

Maccabæorum *librorum fides hiſt.* 212 *auctoritas* 441
Maffeius (*March.*) *notatur* 339 ſqq. *ei. epiſtolae editae & al.* 341 ſq. *ei. errores notantur* 345 ſqq. *caſtigatur* 354 *plagii accuſatur* 357 (Scipio) *de impendio pecuniae* 425
Maimonidis (*Abr.*) *Apologus ebr. converſus* 311
Manegoldi *Ep. Paſſav. literae recuſae* 254
Manus *ponere in mari & dextram in fluminibus quid?* 13
Marannon *quid?* 517
Marca *Tarviſina* 291 *ibi terrae motus* 297
Marcomanni *qui & unde ſic dicti?* 149 *eorum fata* 150
Marienſtern *monaſterium a quo?* 260
Marobodui *Regis mors* 150
Marobudus *quid?* 152
Markartus (*Io. Guil.*) *laudatur* 2 *explicat ſententiam Vlp. de ſerv. corr.* 4. 5 *refellit Cuiacium, Bertrandum & al.* 6 ſqq.
Martinierii *dictionarium laudatur* 512
Martinius (*Iac.*) *auctor libri: explication de div. Mon. ſign. &c.* 340 *ei. cum Maffeo pugna* 345
Martinus *Pol. quis?* 261
Marſilii *L. F. vita* 414 ſqq.
Marſyæ *hiſt.* 353
Martyr & *ſanctus unum idemque* 95
Matii *dictionarium laudatur* 512
Mauri *qui?* 111
San - Maurinorum *converſio* 178 ſq.
Mazier (*P.*) *ob elateris explicationem praemium acad. Pariſ. obtinet* 267
de Mecklenburgenſium *inſignibus principalibus diſſ.* 197 ſqq.
de Medicamentis *exſiccantibus & cauſticis* 321 ſq.
Mediolanenſis *eccleſiae Archiepiſcopatum quis primus condiderit?* 181 *Praeſes primus* ibid. *origo* 183 ſqq.
Meintelii (*Io. Ge.*) *diſſ. examinatur* 501 ſq.

Me-

Digitized by Google

Melanchthonis (*Phil.*) *definitio lib. arbitrii reiecta a quibus?* 126 ſq.
Menapiæ *variae* 87
Menes *v. Minos.*
Menſium *ap. Romanos nomina* 168
Mercatoris (*Iſidori*) *epiſtolae confictae* 120
Meſſinorum *reſtauratio* 352
Microſcopii *nomen a quo inventum?* 104
Minerva *unde nomen?* 238 *Beliſamia unde nomen?* 88
Minos *idem ac Menes* 238
Mithræ *dei ſacra* 356 ſq.
Mogilas (*Pet.*) *auctor Catech. Ruſſorum* 454
Monachi *Weingartenſis locus corruptus reſtituitur* 124 ſq.
Monades *Leibnitii quae?* 266
Monogrammatum *diviſio* 364
Montes *unde?* 24 *eorum fiſſurae unde?* ibid.
Moravi *qui?* 164
Mors *ſp. & temp. quid?* 538
Mundeburdium *quotuplex?* 457 ſq.
circa Mundi *converſionem errores notantur* 236
Muntmanni *qui?* 458 *eorum nomina diverſa* ibid. *a quibus differant?* 459
Myſteria *V. T. publica in ſcena recitata* 417

N.

Nagaſty *quis?* 111
Nama Sebeſia *unde nomen?* 358
Narrationis *virtutes* 132
Nathanael, *a patriae ſuae contemtu vindicatus* 177 ſq.
Neoburgenſis *monaſterii origines* 247 ſq.
Nephthar *unde nomen?* 221
Nerium *Indicum al. Codagapala quid?* 35
de Nervorum *ſucco* 410 ſq.
Neniæ *ſacerdotes qui?* 345. 347 *cultus quando?* 349
Neutonianæ *philoſophiae principia multis adverſa* 21 ſq. *attractio unde?* 267
de Nobilium *educatione* 511
Nonconformiſtarum *hiſt.* 388 ſqq. *calamitates* 394 ſq.
Norberti (*P.*) *liber contra Laiolitas* 91 *fata* ibid.
Noribergæ *civitatis ortus & progreſſus* 123 ſqq.
Numerorum *notae ap. antiquos* 74
Numinum *Septentr. cultus* 201

O.

de Odis *praecepta* 134 ſq.
de Oedematis *curatione* 490
Olai VI. *mors* 428 ſq.
Olei *vis & utilitas in peſte* 65 ſqq.
Olympiadicorum *annorum computatio quotuplex?* 169
Operæ *origo* 418
Orato-

Oratores *funebres, panegyrici & ſacri quidam laudantur* 514 ſq.
Ordaliorum *liber recuſus* 210
Ordo *rerum naturalis duplex* 137 *L. C. quo anno fundatus* 387 *ſacer militaris* ibid.
Orgia *quae?* 350
de Orlamundanis *Burggraviis commentatio* 41 ſqq.
Ortilo *primus Campililii incola* 243 *ei. ſcripta evulgata* 262
Oſi *unde?* 148
Oſiridis *ſigna* 355
de Oſtrogothis 159

P.

Parallelepipeda *quae?* 26
de Partium *ſolidarum conſpectu* 494
Patriarcha *quis?* 468
Patriarcharum *Iudaeor. hiſt.* 465 ſqq. *nomen unde?* 467
Paulli *corpus ubi reconditum?* 120
Paullus (*Car.*) *primus in Germania comicorum magiſter* 419
inter Paullum *V. P. & rempl. Venetorum controverſiae motae* 305 ſq.
Peccati *definitio* 536 *demeritum quid?* 537 *poenae quotuplices?* ibid. *aequilibrium quid?* ib. ſqq.
Peripateticæ *ſcholae qualitates occultae an cum Neutonis grav. conveniant?* 22
in Peripnevmonia *remedium* 34 ſq.
Perſeverantium *academia erecta* 306
Perſuadere *& perſuaderi quid?* 3 ſqq.
de Peſtis *natura & remediis* 64 ſqq.
Petri *cultus per occidium* 90 *in urbem Romam tutela* 91 *corpus ubi reconditum?* 120 *ſacellum ad Noribergam exſtructum a quo?* 126 *primus Romae Ep.* 291 *denarius* 427
Peutingeri *tabula cui ſit adſcribenda?* 171
Pfaffius (*Io. And.*) *qua occaſione conſcripſerit diſſ. de eo q. lic. circa picturam &c.* 91
de Phædro *teſtimonium* 132
Philippus *Arabs, primus Chriſtianus Imp.* 292
Philolaus *Pyth. Syſtema Cop. iam aſſeruit* 17
Philoſophia *Graecorum, Romanorum & Carteſiana, reprehenditur* 21 *Neutoniana laudatur* ibid. ſq.
Phlegmo *quid?* 489 ſq.
Pindari *odae difficiles cur?* 135
Planetarum *origo* 24 ſq. *theoria Kepleriana* 267

Pla-

Platonis *ſtudium aſtronomicum* 17 *Phaedo explicatur de autochiria* 237
in Plethoricis *ſanandis remedium* 34 ſq.
in Pleuritide *remedium* 34 ſq.
Plutarchus *vitarum Oratorum num auctor?* 81 *ei. li. de educat. loci quidam ill.* 482 ſqq.
Pluviæ *cauſſae* 459 ſq.
Poenæ *quotuplices?* 537 *damnatorum aeternae* 538 ſq.
Poeſeos *antiquitas* 503 ſq.
Poetarum *patrimonium unde nomen?* 128 *lyrici div. laudantur* 135 *eorum tranſlatio in alias linguas quomodo inſtituenda?* 139 *de graecis & romanis* 504
Poggii *li. de Hypocritis exſtat* 180
Pollinctores *qui & cur ſic appellentur?* 345. 349
Polygala *al. Seneka* 33
Pontifex *M. num in negotio Canoniſationis falli queat?* 90. 95 ſq. *in eo eligendo circumſpectio & prudentia* 283 *a quibus eligatur & confirmetur?* 294
Pontificum *verba ante Canoniſationem* 90 *ex quibus & a quibus electi?* 281 ſq. *electionis ritus* 282 ſq.
Portæ (*Io. Bapt.*) *elogium* 103
Poſſeſſores *civitatis qui?* 8
Præparata *quomodo inſtituenda?* 26
Praga *hod. olim Marobudus* 152
Pſalmorum *cantio in eccl. a quo inſtituta?* 120
Pſalterium *iuxta ed. Ro. & Gall. ex Mſſ. ed.* 475
Pſilas *cuius cognomen?* 352
Ptolemæi (*Claudii*) *magna conſtructio* 18 ſq. *Geographiae laudatur utilitas* 170 ſq.
Puritanorum *hiſtoria* 388 ſqq.
Pyramidographia 37 ſq.
Pythagoræ *ſchola* 17 *Symbolum quid?* 227 ſq.

Q.

Quadi *qui?* 149 ſq.
Quirinus (*Ang.*) *epiſtolarum auctor* 178

R.

Rabbinorum *commentarii* 309
Recchi *commentatores* 104
Religionis *chr. origo & prop.* 534
Rem *ratam habere & edi quid?* 5
Reſtautii *grammaticae ed. accuratiſſima* 512
S. Reſtitutæ *acta* 430 ſqq.
Roma *quo tempore condita* 167 ſqq. *ei. ſtatus & monumenta* 462 ſqq.
Romanæ *reip. orig. & fata?* 291
Romanorum *ſtudium aſtron.* 18 *ap. eos cerimoniarum funebrium ratio* 343 ſqq.
Rudolphi *Habsb. dies electionis num certo conſtitui poſſit?* 261
Rugi *qui?* 158 *eorum ſedes* ib. ſq.
Ruſſorum *Catechiſmi auctor* 454
Rzip *mons* 152 *qui locus ſic appelletur hodie?* 156

S.

Sabæi *qui?* 111
Sacerdotes *coronati in Aſia diverſi a Romanis* 347 ſq.
Sagi *forma antiq. Gallorum* 358
Salii *qui?* 287
Sancti *definitio incerta* 94
Sancti, *eccl. Ro.* 88 ſqq. *num mediatores an deprecatores?* 94 *quales invocet eccl. Ro.?* 95 *eorum ſigna* ibid. ſq.
Sarmatæ *qui?* 154 *eorum varia nomina* ibid. ſqq.

Satyra *quid?* 135
Scanzia *quid complectatur?* 160
Schola, *Alexandrinae auctor* 17
Ionica ibid. 21 *Italica* 17. 21
peripatetica 22
Schwabenberg, *mons Suevorum, unde nomen?* 124
de Scirrho 490 ſq.
Scotenſe *monaſterium a quo fundatum?* 239
S. Scripturæ *lectio non vetita* 112 *loci illuſtrati aut explicati*
Geneſ. XLIX, 11 312 ſq.
Exod. XX, 15 423
XXII, 25 422
XXIII, 13 129
XXVIII, 4 498
XXIX, 22 ibid.
Lev. VIII, 25 ibid.
XI, 20-23. 496
10. 41-43 497 ſq.
XXV, 35, 36 422 ſq.
Num. X, 2 ſqq. 222
XIII, 33 500
XXV, 4 542
Devt. XII, 3 129
XIV, 19 497
XV, 6 422
XXIII, 19 ibid.
Joſ. XV, 58 221
Jud. XV, 8 ibid.
1 Sam. IX, 24 498
2 Sam. VII 11. 13
XX, 20 502
1 Par. XVII 11
2 Par. VII, 13 500
XXII, 9 13
Eſdr. V, 7. 11 423
Neh. II, 5 ibid.
Job. XXXVIII, 31. 32 16
XXXIX, 20 500. 2
Pſal. II, 2 229
XIV, 5 423
XVI, 10 239. 540
XVIII, 5. 6 540
XXII 540 ſq.
XXVIII, 4 537
L, 16-20 314
LIV, 12 423
LXIX 540
LXXI, 14 423
LXXXIV, 8 314
LXXXVIII 540
LXXXIX 11 ſqq.
CX, 3 315
CXI, 2 314
CXIX, 122 540
CXLIV, 13 314
Prov. I, 20. 21 230
Cant. I, 3 314
Jeſ. XXXVIII, 14 540
XL, 1-11. 22 315. 500
XLV, 19 313
LVI, 6. 7 315
LXI 308
LXVI, 22-24 313. 16
Jer. XXVI, 8 ſqq. 229
Ezech, XVIII, 10 423
Dan. V, 25 537
Hoſ. II, 16. 17 129
Amos III, 12 498
VIII, 4 423
Zachar. VI, 1-8 315
VII, 10 423
XIII, 2 129
Tob. I, 25 423
Sirac. L, 16 232
1 Macc. I, 1. 10. 54. 59. 215
III, 54 232
IV, 13. 28 217. 32
V, 3 217 ſq.
VI, 1. 16. 20 214. 16
32 232
VII, 1. 45 215. 32
VIII, 1 ſqq. 20. 31 218
7. 8 216
IX. 13 219. 32
X, 1 219

Digitized by Google

1 Macc. XI, 32-37. 44-51. 70. 219
XII, 20-23 215. 19
XIII, 20. 24. 43 213. 20
XIV, 27-45 215. 21
XV, 16 ſqq. 39 221
2 Macc. I, 11. 13. 36 216. 21
III 217
V, 5 ibid.
VIII, 20 ibid.
IX, 2 216 ſq.
X, 3 215. 17
XI, 22-26. 27 215. 17
XIII, 1 214. 15
XIV, 4 215
XV, 32. 33. 37 218
Matth. II, 1. 2 313
III, 2. 11. 316. 434
V, 17. 42. 43. 421. 23
VII, 13 538
IX, 17 82
XI, 41. 42 223
XVIII, 6 316
XIX, 28 224
XXIV, 31 227
XXV, 27 423
30. 31. 33 223 ſq.
XXVI, 5. 34. 35. 224. 28
42 541
Marc. II, 22 82
IX, 49. 50 316
XIV, 30. 72 224. 27
Luc. IV, 18. 19 308
V, 36 82
VI, 27. 34 422 ſq.
XII, 4. 5 482
XIII, 1-5. 6-9 315
XVI 538
XVII, 20. 21 316
XIX, 13 423
Joh. I. 47 177
II, 4. 14 314. 423
III, 6 175
XIII, 15 176
XIX, 28 542
Act. III, 21 538
IV, 14. 16 482
XIV, 16 314
XIX, 1-7 433 ſqq.
Rom. I, 17 314
II, 5. 7. 25. 26 539. 40
III, 8 424
VIII, 32 540
X, 10 240
1 Cor. IX, 26 314
XV, 51. 52 223
2 Cor. VII, 10 537
Gal. III, 19 273
Eph. V, 32 483
Phil. II, 7. 8 539 ſq.
1 Theſſ. IV, 16 223
V, 2 ibid.
1 Tim. II, 8 82
1 Petr. III, 18 235 ſq.
2 Petr. III, 10 223
1 Joh. III, 4 536
Ebr. I, 5 13
V, 7 541
VII, 22 540
Apoc. II, 1-4 313
V, 9. 10 313 ſq.
VIII, IX 224
Scyri *unde nomen?* 158
Scythæ *qui?* 154. 172
Secare *Gellii quid?* 50 ſqq.
Seneka *radix quid?* 33 *ei. virtus* ib. ſqq.
Senenſium *epiſcoporum hiſt.* 140
de Sepulcris *ſub Aſcia* 353
Servi *iure dedicandi ſub Aſcica deſtituti* 354
Séverinus (*M. A.*) *laudatus* 106
Siclus *ſanctuarii unde nomen?* 38
Sigillorum *dipl. regulae* 364
Siena *laudata* 462
Slavorum *origines* 145 ſqq. *nomen unde?* 154 ſq. *mores* 155 *nomina* 161 ſqq. *religio* 172 ſq. *poſteri ubi?* 174
Slei-

Digitized by Google

Sleidani (*Io.*) *verſio comm. Ph. Cominaei laudata* 380
Sollicitorum *acad. Tarviſii* 305
Sorabi *unde nomen?* 162
Spori *qui?* 173
Stelluti (*Franc.*) *elogium* 104
Sternutantibus *bene precandi mos unde?* 295
Suevorum *nomen unde?* 149
Suppuratio *ubi fiat?* 491 ſqq.
Suſelicii *deſcriptio* 56 ſq.
Suſi *qui?* 56
Synodi VI. *romanae a.* 142
de Syllabis *quaedam* 59 ſqq.

T.

Talmudis *lectio utilis* 308
Targumim *quid?* 307 ſq.
Tartari *origo* 232 ſqq.
Tarviſinorum *hiſt.* 289 ſqq.
Taurolatria 199 ſqq.
Telchines *unde nomen?* 238
Teleſcopii *uſus inventus* 20 *nomen a quo inventum?* 104
Telluris *theoria* 34
Terrentii (*Io.*) *elogium* 104
Theologia *Mythica* 232 ſqq.
Therapeutæ *qui?* 533
Thermopylæ *unde?* 24
Thomaſii (*D. I. M.*) *Card. vita* 472 ſqq.
Torgenſis *lib. hiſt.* 126 ſqq.
Torquatus (*T.*) *princeps epici ap. Italos carminis* 332
Troili (*Nic.*) *Anti Roxolania examinatur* 172
Tubarum *uſus quis?* 232 *origo in funere* 349
Tubulata *corpora quae?* 480
adverſus Tumores *corporis medicina* 36
de Tumoribus 488 ſqq.
Tychonis (*de Brahe*) *Syſtema* 19 *catalogus ſtellarum* ibid. ſq.
Typographica *ars quo a. in Italiam introducta?* 304

V.

Vaccæ *marinae deſcriptio* 522
Valentis *Imp. mors* 153
Valerii (*Lucae*) *Ro. elogium* 103
Vallarſius (*Dom.*) *taxatus* 342 *plagii accuſatus* 357
Venæſectionis *uſus* 407 ſq.
Venedorum *duplex genus* 153 *nomen unde?* 154
Venetiarum *origo* 292 ſq.
Verberum *uſus in medicina* 411 ſqq.
Vicecancellariorum *nomen quando ortum?* 365 ſq.
Vindobona *hodierna quae?* 160. 250
Virium *aeſtimatio* 267 ſqq.
Univalvia *corpora quae?* 479
Vrbani VIII, *P. M., medicus* 106 *familiaris* ibid.
Vſura *an licita nec ne?* 421 ſqq.

W.

Waldemari III. *mors* 428
Warini *qui?* 165
Winricus (*a Kniprode*) *primus de litteris in Boruſſiam introducendis cogitavit* 525
Winuli *qui?* 160
de Wymar, *Comites, qui?* 48

Z.

Zabarella *quis fuerit?* 88
Zanottius (*Io. Petr.*) *auctor hiſt. Acad. Clement. Bonon.* 414

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google